

Ne pas vendre, F.C.

Destiné à la Bibl. Cantonale et Universitaire à Lausanne.

Frank Olivier
Lausanne, Mai 1927

A. E. Housman: M. Manilii Astronomicon Liber Primus (1903) p. XVI et XVII:

„ *Lucida tela diei*: these are the words that come into one's mind when one has halted at some stubborn perplexity of reading or interpretation, has witnessed Scaliger and Gronovius and Huetius fumble at it one after another, and then turns to BENTLEY and sees Bentley strike his finger on the place and say *thou ailest here, and here*. His Manilius is a greater work than either the Horace or the Phalaris.

Had Bentley never edited Manilius, Nicolaus Heinsius would be the foremost critic of Latin poetry; but this is a work beyond the scope of even Heinsius. Great as was Scaliger's achievement it is yet surpassed and far surpassed by Bentley's: Scaliger at the side of Bentley is no more than a marvellous boy... it is significant that Scaliger accomplished most in the easiest parts of the poem and Bentley in the hardest."

P. XIX: „The edition was brought out in 1739, when Bentley was seventy-seven, by his nephew and namesake; and such notes as that on V 404 declare that it was even yet unfinished."

Frank Olivier.


RICHARDUS BENTLEIUS
ÆT: XLVIII. MDCCX.
J. Thornhill pinxit.
Geo: Vertue Sculp.

M. MANILII
ASTRONOMICON

EX RECENSIONE


ET

CUM NOTIS

RICHARDI BENTLEII.



LONDINI,
Typis HENRICI WOODFALL,
Sumptibus PAULI et ISAACI VAILLANT.
MDCCXXXIX.



ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

THOMAE HOLLES

DUCI DE NEWCASTLE,

REGIAE MAIESTATI A SANCTIORIBUS CONSILIIS

ET A SECRETIS,

NOBILISSIMI ORDINIS PERISCELIDIS EQUITI,

ACADEMIAEQUE CANTABRIGIENSIS

MAGNO SENESCHALLO.

DUO iam abierunt anni, Vir illuſtriſſime, ex quo mihi Bibliothecam tuam ordinandam committere dignatus es. Ea ſcilicet te tangebat cura in hac infeliciſſima tempeſtate, qua literae humaniores ubique fere proſtratae iacent; ea vel in maximis tuis occupatio-

nibus ſolicitabat animum cogitatio; nempe ut haberes, ubi Te per negotiorum intervalla quam utiliſſime poſſes oblectare. Neque vero eſt cur quiſquam Te iure reprehendat, ſi, quod tempus alii vel pecuniis ſuis exercendis vel ludis ceteriſque voluptatibus tribuunt, hoc Tibi omne ſumas ad ea ſtudia recolenda, quibus a prima uſque adoleſcentia tantopere fueris deditus; quibuſque aliqua ſaltem ex parte acceptum referas, quod ad hunc ampliſſimum honoris gradum, ad hanc tantam famae nominiſque celebritatem, mature adeo perveneris. Licet enim tuae Tibi facultates generiſque ſplendor facilem ſane ad ſumma omnia patefacerent aditum; magni tamen eſt ingenii, omnique literarum genere probe exculti, graviſſimum illud munus, quod perplurimos iam annos tanto cum plauſu et gratulatione obtines, pro dignitate exequi.

Huic tuo igitur deſiderio, Vir nobiliſſime, tam iuſto tam laudabili quo cumulatius ſatisfacerem; cum alia omnia mihi undique ſubſidia diligentius conquiſivi, tum etiam Richardum Bentleium patruum meum digniſſimum de hac re conſului. Qui quidem, ut fuit in me ſemper indulgentiſſimus, non ſolum conſilio ſuo me adiuvit; verum ipſe inſuper aliquid ad Bibliothecam tuam inſtruendam conferre cupiens mihi ſtatim Manilium ſuum, iam olim prelo deſtinatum ac deſcriptum, ſed fato quaſi aliquo ad hoc uſque tempus reſervatum, in manus tradidit, ea lege et conditione ut Tibi eum ſuo etiam nomine dicarem. Libens ſcilicet facturus ipſe, ſi modo ſibi per aetatem rebus hiſce levioribus amplius vacare iam fuiſſet conceſſum.

conceſſum. Liceat igitur Manilio, Vir ornatiſſime, tuis tandem ſub auſpiciis in publicum prodire: qui, cum hunc novum ſuum cultum omnino Tibi debeat, ſe Tibi venditare mirabiliter geſtit. Neque ſane eſt, ut opinor, cur Tu hunc talem dedigneris clientem. Quamvis enim ad elegantiam vel Terentii vel Horatii, praegravante ſcilicet materia, fortaſſe non accedat; dignus tamen, ſi modo Tibi ita fuerit viſum, qui in Bibliothecam tuam ſelectiſſimam, tot ſibi abſterſis maculis, nunc denuo recipiatur.

Utinam ſane, quae mea eſt in literas literatoſque propenſiſſima voluntas, tanta nunc patronorum daretur copia, ut mihi difficilis fuiſſet deliberatio, cuinam potiſſimum hunc Noſtrum commendarem: cum vero Tu unus fere ex omnibus triſtes nunc reſpicias Camenas; ſi non privatum officium patruique mandata, publica certe vox Te mihi omnino deſignaſſet. Neque profecto improviſum hoc nobis contigit, aut inopinatum; cum ab ineunte aetate ea Tui dederis documenta, unde facile coniectura augurari licuit, Talem Te aliquando evaſurum, qualem nunc iudicamus cognitum. Teſtis eſt Alma Mater Cantabrigia, quae Te inter illuſtriſſimos ſuos filios gratulabunda commemorat; iucundiſſimamque illius temporis memoriam ſaepius recolit, cum in Aula Clarenſi privatus adhuc quam familiariſſime verſarere. Quo quidem omni tempore ſtudio adeo inflammato in eas diſciplinas, quibus illa aetas erudiri ſolet, incubuiſti; ita ſanctiſſimis ipſius inſtitutis morigerum Te in omnibus praebuiſti; ut cunctis abunde conſtaret nihil eſſe, quod

non

non eo ingenio, induſtria, verecundia conſequi poſſes. Et quamquam Te vitae tuae rationes, principiſque prudentiſſimi voluntas, ad alia maiora maturius avocarunt: iſtum tamen, quo in literas tum flagrabas, amorem adeo non abiecisti; ut in maximis etiam occupationibus ſtudia humanitatis numquam plane intermiſeris. Quali vero ſis in literas animo, quam certus eruditorum fautor ac patronus, nuperrime quidem omnibus planiſſime intellectum eſt; cum Academiae tuae patrocinium tam benigne ſuſcepiſti, Seneſchallique Tibi ea, qua debuit, obſervantia oblatum munus minime es aſpernatus. Noveras enim, Vir praeſtantiſſime, probe noveras Academias iam ex tempore aliquo male audire: partim quidem ex indoctorum hominum obtrectationibus; qui, cum omnis plane humanitatis ſint expertes, nullaſque umquam attigerint literas, totum illud, quod ipſi non aſſequantur, faſtidioſe ſatis contemnunt; optimarumque artium ſtudia invidioſe exagitant, quaſi hominum tantum otioſorum ſint oblectamenta, nihilque omnino adiumenti ad res gerendas afferant: partim etiam eorum ex calumniis; qui, cum per duos treſve annos alicubi forſitan in Academiis haeſerint, parvoſque admodum in ſtudiis fecerint progreſſus, quo melius ſuae patrocinentur ignaviae, Almam Matrem iniuſte criminantur; quaſi iam plane debilis et effoeta nullos omnino ferat fructus, ſed filios ſuos in otio inertiſſimo langueſcere prorſus patiatur. Quae omnia redarguere res ſane eſſet perfacilis; atque adeo Tu unus orationi noſtrae abunde feciſſes fidem, qui quidem ex hujus diſciplina profectus ampliſſimum reipublicae munus

nus tam insigniter ornas. Horum igitur ut occurreret malevolentiae, in tuum Academia confugit sinum: neque enim alium habuit praestantiorem, cui reipublicae literariae gubernacula in hac tempestate deferret. Te sibi patronum vel, si quod sanctius in terris cariusve detur nomen, patrem sibi adsciscit; tua fide, consilio, auctoritate, constantia, tota nititur; ut ipsam contra iniquissimorum hominum, qui bonis suis invident, criminationes defendas, orat obtestaturque: Te optime enim posse, qua polles apud regem gratia, confitentur omnes; velle etiam, quod tuum in se perpetuum fuit studium, nulla quidem dubitat.

Neque vero non perspicit ceteras etiam animi tui egregias sane virtutes: in quibus liberalitatem plane eximiam, promptamque semper in eruditos munificentiam, singulari cum magnitudine animi coniunctam, summis prout meritae sunt effert laudibus. Integritatem vero, spectatamque in muniis exercendis abstinentiam, quam maxime suspicit et admiratur: quae quidem quantae sint virtutes, hisce praesertim moribus perditissimis, si minus ipsae per sese eluceant, aliorum certe ex cupiditate plenissime cognosci potest. Tibi autem, Vir nobilissime, cum maiores tui illustrissimi fecerunt, ut rem familiarem amplificare omnino non sit necesse; tum animi tui aequitas et moderatio facit ut, etiamsi possis, tamen id non velis. Neque tamen quisquam Te privatae luxuriae insimulavit umquam. Quis enim in omnibus vitae partibus, nisi sicubi regis et reipublicae agatur gloria, moderatior

temperatiorque? quis, tui praesertim loci et amplitudinis, in omni cultu modestior? Atque adeo hinc Tibi infinitae istae suppetunt copiae, quas in tenuioribus locupletandis, quas in miserorum afflictis fortunis sublevandis; quas in conciliandis cunctorum animis et ad regis reique publicae usus adiungendis gloriose adeo impendis: ad quam laudem comparandam perplurima certe a natura habes adiumenta. Ea enim es humanitate, comitate, morum suavitate; tam mirifice in universorum animos benigna tua oratione influis; ita facile Te, cum placuerit, submittis, atque etiam infimis, salva dignitate, quodammodo communem praebes; ut ad demerendos homines plane videare natus. Quid, quod singulorum fere nomina adeo fideliter perceperis; ut, siquando quis illorum blandius ut fit sit compellandus, nomenclatore quidem minime indigeas? Neque enim gravioribus tantum rebus, quaeque ad summam rempublicam aliquo modo pertineant, memoria illa tua incredibilis ac plane divina inservit; verum hisce etiam levioribus, quae tamen ad benevolentiam conciliandam plurimum valent, facillime sese accommodat. Publicas vero tuas virtutes, quaeque in colloquiis, quae in concilio, quae in senatu, quae in universa denique republica praeclarissime gesseris; cum neque huiusce sint loci aut temporis, neque nostri ingenii ac tenuitatis; mihi sane deliberatum est omnino non attingere: praesertim cum ea in annales etiam sint itura, et apud futuros historicos iustum sibi praeconium aliquando sint inventura. Neque tamen hic commemorabo de fide tua in regem, amore in patriam,

caritate in tuos, conſtantia in amicos, benevolentia in omnes: non quod Tu hiſce etiam in virtutibus non aeque excellas; ſed quod cum Tibi ipſi, quae tua eſt modeſtia, haec laudum tuarum praedicatio nequaquam ad aures accedat grata; tum vero aliis nihil novi, nihil non pervulgati, nihil non ſermone omnium celebrati afferre poſſim. Ut regi igitur et reipublicae, ut amicis atque adeo bonis omnibus, diu Te incolumem conſervet Deus; ex animo quidem precatur Tibi,

Vir Illuſtriſſime,

Summa Obſervantia

Et Cultu

Devinctiſſimus

LONDINI
pridie idus Apriles
MDCCXXXIX.

RICHARDUS BENTLEIUS.

LECTORI S.

SPeraveram equidem Richardum Bentleium patruum meum dignissimum huic suae Manilii editioni, sicuti olim in se susceperat, voluisse praefari: cum vero ipse excusans aetatem fidem liberare iam plane abnuerit; pauca mihi sunt praefanda, ut scias, benevole lector, quid Vir ille doctissimus de hoc suo auctore senserit; quibus instructus subsidiis ad eum recensendum accesserit; qualisque in eo edendo ipsius fuerit ratio.

Et primum, ad auctoris patriam quod attinet, nihil sane habet quod affirmet: suspicatur tamen eum fuisse alicubi forsitan ex Asia peregrinum, tum ex singulari eius quorumdam verborum constructione, tum quia nusquam apparet ipsos Romanos hisce artibus adeo mature operam dedisse. Duos vero istos versiculos IV, 41, 776,

Speratum Hannibalem nostris *cecidisse catenis*,

Qua genitus cum fratre Remus hanc *condidit urbem*,

ex quibus nonnulli efficere conantur Manilium non modo fuisse Romanum, verum etiam Romae hoc suum poema composuisse; eos ambos pro spuriis, quales alii plurimis etiam in locis occurrunt, habet omninoque reiicit.

De auctoris nomine multum variant codices manuscripti. Codex enim Gemblacensis, omnium quotquot sunt longe optimus et antiquissimus, nullum a prima manu praefert titulum; sed manu tandem recenti, quod ex ipsis literarum ductibus abunde liquet, tituli loco ascriptum est *Manlius Poeta*. Neque sane est cur hoc casu aliquo ab exscriptore tantum praetermissum credamus; cum is in Prisciano, qui in eodem est volumine et ab eadem etiam manu, adeo se praebuerit diligentem, ut nomen tum auctoris tum etiam traductoris conservaverit. Liber enim iste sic habet in fronte,

INCIPIT PERIEGESIS PRISCIANI GRAMMATICI:

et in fine, FELICITER EXPLICIT PERIEGESIS ID EST
DESCRIPTIO ORBIS TERRARUM ET MARIS
PRISCIANI GRAMMATICI SECUNDUM
DIONISIUM:

ex quo certissime, ut opinor, concludamus licet exscriptorem hunc nullum invenisse auctoris nomen in suo exemplari. Tum vero codex Lipsiensis, qui quidem huic proxime accedit aetate, ita inscribitur,

ARATI

ARATI PHILOSOPHI ASTRONOMICON LIBER PRIMUS INCIPIT: at codex Vossianus annorum fere ccc sic habet, MARCI MALLII ANTIOCHI POENI ASTRONOMICON DIVO OCTAVIO QUIRINO AUGUSTO: codex autem Cassinensis, cuius antiquitatem tantopere sed frustra, ut opinor, iactitat Bonincontrius (nam quas ex eo profert lectiones omnes fere sunt malae notae, et ex codice transcriptae Gemblacensi longe recentiore) hanc inscriptionem exhibet, C. MANILII POETAE ILLUSTRIS ASTRONOMICON INCIPIT. Fieri igitur non potest, ut certi aliquid de hac re ex codicibus manuscriptis statuatur; cum Gemblacensis quidem a prima manu nullum omnino prae se ferat titulum, Lipsiensis evidentissime falsum, et e recentioribus nulli fere duo in eodem prorsus consentiant. Iam si antiquos scriptores attentius evolvamus, facile sane occurrit unde aliorum de hoc commenta refutemus, unde ipsi aliquid melius stabiliamus non occurrit. Nam quod quidam volunt hunc Nostrum cum esse Manlium Astrologiae conditorem, de quo Plinius meminit Nat. Hist. XXXV, 17, temporum ratio id plane repudiat. In confesso enim est apud omnes istum Manlium venisse Romam tertio bello Punico: quare opus suum Augusto iam seni post cladem Varianam dicare non potuit. Neque vero multo melius rem expediunt isti, qui censent hunc cum esse Manlium Mathematicum, qui, ut scriptum est apud Plinium XXXVI, 10, pilam Augusti obelisco imposuit. Nam, quem Plinius ibi memorat Mathematicum, nullo modo apparet eum fuisse poetam: et certe probabilius est, si quid tale de eo cognovisset Plinius, hoc neutiquam fuisse dissimulaturum. Neque sane necesse est hunc poetam, quicumque is tandem fuerit, adeo celebrem fuisse Mathematicum; cum, ut est apud Ciceronem, *constet inter doctos hominem ignarum astrologiae ornatissimis atque optimis versibus Aratum de caelo stellisque dixisse*; et re vera pateat hunc Nostrum saepius esse imperitum earum rerum, quas profitetur. Quod vero omnem omnino ansam istis praecidit, Harduinus disertis verbis affirmat Manlii nomen in codicibus manuscriptis ibi non extare; atque adeo e contextu prorsus eiecit. Crediderim sane opus hoc ab auctore suo numquam fuisse editum; vel quod is praematura morte abreptus illud nondum perfecisset, vel alia etiam aliqua forsitan de causa: sed cum per aliquot saecula delituisset, vix tandem in lucem fuisse prolatum. Hinc est, quod nemo veterum Grammaticorum versum ullum ex eo laudet; quod ubique in codicibus vetustioribus

omnino sine nomine, in recentioribus vero tam plane diverso feratur; dum scilicet sibi quisque ad libitum auctori anonymo affinxit nomen. Et Arati quidem nomen quin sit ablegandum, nulla, ut opinor, amplius est controversia; cum adeo sit manifestum omnibus unde huc migravit: Mallii autem vel Manlii vel Manilii quo tandem modo occupaverit codices, non adeo est in promptu iam designare. Forsitan is a vero non longe aberraverit, qui quidem coniecerit illud e Plinio huc fuisse traductum. Neque sane mirum, si *Manlius Antiochus Astrologiae conditor* tantopere arriserit eruditulo alicui, qui scilicet sibi persuasum habuit summi tantum esse Astrologi tam perite de Astrologia scribere, ut, nulla habita ratione temporum, illud statim suo praefixerit codici: atque hinc in ceteros codices aliqua tamen cum variatione fuisse propagatum.

Neque vero magis inter doctos de huius aetate convenit. Gevartius enim ad Theodosii usque tempora eum reiicit; illumque ipsum esse Theodorum Manlium autumat, in quem consulem Claudianus Panegyricum scripsit. Sed eius argumenta, ut opinor, hoc neutiquam evincunt. Nam ex ipso nomine, cum id adeo sit incertum, nullum profecto satis firmum argumentum peti potest. Quod autem ex eo arguat recentiorem, quia nusquam illius apud veteres scriptores occurrat mentio; hoc ei quidem commune est cum aliis auctoribus, quorum tamen de antiquitate nulla umquam extitit dubitatio. Quintus enim Curtius tam multis aetatibus ignotus latuit, ut ante saeculum a Christo nato decimum nemo omnium sit repertus, qui vel minimam ipsius historiaeve suae mentionem iniecerit: Velleii item Paterculi historia adeo parum nobis ex omni antiquitate est cognita, ut nisi unicum eius exemplar, idque misere dilaceratum, casu nescio quo in Germania fuisset repertum, scriptoris huiusce elegantissimi nomen plane intercidisset: et tamen nemo est mediocriter modo doctus, qui nesciat Velleium quidem imperante Tiberio floruisse, Curtiumque ab eodem non longo temporis intervallo fuisse disiunctum. At stylus poëtae nostri Augustaeo aevo vix satis videtur congruere. Quasi vero hoc sit adeo mirum, si in homine peregrino nonnihil peregrinitatis appareat. Nam graviora illa, quae nulla ratione defendi poterant, quaeque idcirco Gevartium tantopere offenderunt; ea omnia in hac editione vel feliciter emendata, vel auctori prorsus abiudicata reperies. Sit speciminis loco libri quinti versus 737,

Sic etiam magno quaedam respondere *mundo*;

ubi

ubi praeter omnem Latini sermonis morem poëta, ut vulgo quidem fertur, penultimam in *respondere* corripuit; quod ne in peregrino quidem ullo modo esset ferendum. Eruditissimus autem editor certissima coniectura laboranti poëtae hic subvenit: reposuit enim, quod et ipse loci sensus plane efflagitat,

Sic etiam in magno quaedam respublica *mundo est.*

Sed taedet hisce refutandis diutius immorari: nam tum ex ipsa operis inscriptione, tum ex aliis locis infinitis abunde liquet auctorem hunc tempore Augusti fuisse. Unum modo aliud proferam argumentum, quod hanc nostram opinionem amplius confirmat, et omnem omnino scrupulum de ea re videtur eximere, ex eiusdem Viri doctissimi notis ad Terentii Andriam ii, 1, 20, ubi haec habet: *Veteres in nominibus substantivis exeuntibus in* ius *vel* ium *semper genitivos casus* i *simplici efferebant; numquam* auxilii, consilii, &c. *sed* auxili, consili. *Primus ex poëtis qui hodie extant Propertius bis vel ter, Ovidius saepissime, et post eum alii omnes geminum* ii *usurpant: sub Augusti scilicet senescentis aetate mutatio illa facta est. Nigidius Figulus Romanorum a Varrone doctissimus apud Gellium* XIII, 25, Voculatio, *inquit*, qui poterit servari, si non sciemus in nominibus, ut *Valeri*, utrum interrogandi an vocandi sint? Nam interrogandi secunda syllaba superiore tono est quam prima, deinde novissima deiicitur: at in casu vocandi summo tono est prima, deinde gradatim descendunt. *Explicante ibidem Gellio*, voculatio *apud Nigidium est quem* accentum *nos dicimus*; casus interrogandi *quem nos* genitivum. *Ergo Nigidii aetate, qui post Augustum natum vixit, in nominibus in* ius *nulla erat distinctio vocativi et genitivi nisi solo accentu: a recto* Valerius *vocativus* Váleri, *genitivus* Valéri *pronuntiabatur*. Cum igitur Noster habeat *consilium*, *auxilium*, *ingenium*, *imperium*, *pretium*, *vitium*, *principium*, *connubium*, *coniugium*, *solstitium*, *spatium*, *hospitium*, *officium*, *supplicium*, *studium*, *odium*, *spolium*; numquam vero *consilii*, *auxilii*, &c. licet ceteris casibus obliquis saepissime utatur: omnino concludendum est illum vixisse ante hunc inductum morem. Neque enim credibile est eum adeo religiose ab usu horum genitivorum, qui quidem tantas sibi attulissent commoditates, abstinere voluisse, si quidem sibi ex more sui saeculi iis uti licuisset. Ne quid tamen dissimulemus, Noster semel quidem habet *dodecatemorii:* cum vero hoc sit verbum plane graecum, probabile est scriptum etiam fuisse literis graecis δωδεκατημορίῳ; utcumque vero sit, haec unica certe exceptio

exceptio ad hanc noſtram rationem infirmandam haud valebit. Ex hiſce igitur omnibus ſic demum ſtatuimus: Auctorem hunc fuiſſe alicubi forſitan ex Aſia peregrinum: verum nomen eius, cum neque codices manuſcripti, neque auctor ipſe, neque veteres ſcriptores hic nos quicquam adiuvent, iam erui non poſſe: eum tamen ad Auguſti tempora omnino pertinere.

Iam vero ut ſcias quibus opibus inſtructus Vir doctiſſimus huic poëtae recenſendo ſe accinxit: praeter editionem Bononienſem omnium primam in folio, anno MCCCCLXXIV; Italam ſecundam in quarto, anno et loco editionis non memorato, ex bibliotheca Regiae Societatis Londini; Romanam in folio cum notis Laurentii Bonincontrii, anno MCCCCLXXXIV; et recentiores quotquot ſunt omnes, hiſce uſus eſt codicibus manuſcriptis: *Gemblacenſi* DCCC annorum, omnium optimo et vetuſtiſſimo, quem per aliquod tempus penes ſe habuit, et ad editionem Scaligeri poſteriorem ipſe bis exegit: *Lipſienſi* in Bibliotheca Paulina annorum DCC, quem cum eadem editione duo eruditi iuvenes contulerunt, Ioach. Frid. Fellerus anno MDCXCIII, et Gotefridus Richterus anno MDCCIX: *Veneto* annorum DCC a Io. Frid. Gronovio olim collato, cuius variantes lectiones Vir celeberrimus Iacobus Gronovius benigne communicavit: *Voſſiano* ab annis fere CCC ſcripto ſed ab antiquiſſimo codice expreſſo, quem Lugduni Batavorum ſtudioſi duo adoleſcentes cum eadem editione Scaligerana accuratiſſime contulerunt anno MDCCIX. Hi quatuor codices in pleriſque omnibus conſentiunt, et a poſterioribus, qui ſub Petrarchae aetate interpolati ſunt, immane quantum diſcrepant. Uſus eſt praeterea codice *P. Pithoei*, cuius varias lectiones in margine editionis primae Bononienſis vidit; hic quaſi medius eſt inter vetuſtos illos et recentiores, et in plurimis convenit cum Voſſiano: alio in *Collegio Corporis Chriſti Oxonii* CCC annorum: item alio in *Bibliotheca Bodleiana*, qui prius erat viri clariſſimi Edvardi Bernardi, eiuſdem aetatis: alio etiam in *Bibliotheca Regia Pariſiis* eiuſdem aetatis, cuius varias lectiones celeberrimus Bern. Montfaucon ſuppeditavit: alio denique in *Bibliotheca Palatina* eiuſdem aetatis, ex editione Franciſci Iunii et adverſariis Caſparis Barthii.

Hiſce talibus inſtructus ſubſidiis Manilium perplurimis certe in locis quam feliciſſime emendavit; ſic tamen ubique ſe geſſit, ut ne minimum quidem ab editione Scaligeri poſteriore receſſerit, quin illius mutationis ſtatim in notis reddiderit rationem. Quinetiam eas ipſas,

ipſas, quas eiecit, lectiones utcumque falſas et abſurdas infra textum tamen ubique poſuit: ita ut lector uno eodemque conſpectu hanc Scaligerique editionem intueri poſſit. Et ſi forte editor certiſſima ductus coniectura longius paulo a recepta lectione aliquando deflexiſſe videatur; reminiſcendum tamen eſt hunc poëtam eſſe omnium ſcriptorum quotquot ſunt corruptiſſimum, adeo ut variae in eo lectiones verborum fere exaequent numerum, verſuum certe longe exſuperent. Et hae quidem lectiones ſaepius vel in optimis etiam codicibus ita ſunt ineptae, ut omnem pene fidem iis abrogare; ita inter ſe contrariae et plane oppoſitae, ut coniecturis vel maxime a recepta lectione diſtantibus locum dare videantur. Tum et ea ipſa, quae immutavit, in textum ſaepius Scaligeri tantum ex coniectura venerunt. Nonnulli vero hic illic occurrebant verſus vel prorſus ſpurii, vel ita ſaltem depravati, ut nullus ſenſus idoneus ex iis elici poſſet; hos igitur omnes, ne ullam lectori crearent moram, typis ut vulgo vocantur Italicis imprimendos voluit. In notis quidem ea fere ſola tractavit, quae ad textum conſtituendum pertinent, et haec ipſa plerumque breviter; vel quod hiſce nugis velle addere pondus videri nollet, vel quod obſcuram diligentiae laudem minime aucuparetur.

Conſtitueram ſane nonnullas adieciſſe figuras in ſecundo libro, ubi etiam illarum in notis bis terve occurrit mentio; rem vero attentius perpendenti eae minus videbantur neceſſariae: earum igitur loco orbis caeleſtis dedi tabulam, ex antiquo globo marmoreo in aedibus Farneſianis Romae fideliter expreſſam. Quod cum ſit antiquitatis monumentum plane ſingulare, et ad Manilium etiam illuſtrandum plurimum conferat; rem non ingratam me harum rerum ſtudioſis facturum arbitrabar, ſi illud in aes inciſum nunc primum, quod quidem ſciam, in publicum emitterem. Licet enim Vir eruditiſſimus Franciſcus Blanchinus eius ſaepius fecerit mentionem in hiſtoria ſua univerſali, et aliquam etiam eius dederit imaginem; ea tamen eſt adeo minuta, ut qualis ſit globus iſte exinde perſpici omnino nequeat. Idem Vir praeclarus in diſſertatione ſua de Kalendario et Cyclo Caeſaris promiſit ſe *globum hunc Romanarum antiquitatum imo et Graecarum et Aſſyrii et Aegypti monumentum praeſtantiſſimum aliquando editurum:* aliis vero impeditus negotiis, ut credere par eſt, fidem praeſtare haud potuit. At nuperrime Vir eximius Martinus Foulkes, ut aliis omnibus, ſic artibus etiam Mathematicis inſtructiſſi-

mus,


mus, globi huiusce Farnesiani ectypum summa conformatum cura secum Roma deportavit; et nobiscum pro singulari sua humanitate, summoque ad literas promovendas studio, benigne communicavit. Quinetiam ne quid forte in eo describendo erraret artifex, ipse etiam tabulam hanc ad ectypum suum accuratissime exegit. Ad polum quidem antarcticum paululum deficit globus; qua scilicet Herculis incumbit humeris: ut cernere est in minore huic subiecta figura. Deest etiam aliquid ad polum arcticum; qua parte marmor, incertum qua de causa, est plane excavatum.

Cum autem apud plurimos poëta hic plane sorduerit, vel quia illum tot deformatum mendis minus intelligebant, vel quia rem talem posse exornari minime credebant; placuit hic testimonii loco adiungere duorum doctissimorum hominum gravissima de illo iudicia. Scaliger quidem prolegomena sua ad Manilium sic concludit: *De Manilio autem nondum statui, magis optandumne fuerit illum publice in scholis legi, an dolendum quod hactenus neglectus iacuerit. Poëta ingeniosissimus, nitidissimus scriptor, qui obscuras res tam luculento sermone, materiam morosissimam tam iucundo charactere exornare potuerit: Ovidio suavitate par, maiestate superior; uno vincitur, quod non potest manum tollere de tabula, et numquam scit desinere; in quo peccat, non iudicio sed fertilitate et indulgentia styli. Est et aliud non leve vitium in Nostro, quod nimius in verborum iteratione; cum posset aut parcius eadem, aut alia pro illis usurpare. Hisce exceptis, nihil ad perfectionem absoluti operis in hoc auctore requiras. In primis omnia eius prooemia et παρεκβάσεις extra omnem aleam posita sunt. Nihil illis divinius, nihil copiosius, gravius et iucundius dici potest.* Barthius vero saepissime illum in Adversariis suis collaudat, e quibus unum modo hunc proferam locum p. 374: *Quantus poëta, quamque eloquens scriptor Manilius fuerit, quantique ingenii, licet vel ex sola descriptione Andromedae perspicere; quae paucos Latinae linguae conditores habet suspicere: adeo multis orationis acutae et nervosae luminibus exornata est.* Vale.

Errata

In textu.		In notis.	
i, 289.	ad *lege* at	IV, 911.	habeatur. *lege* habeatur?
ii, 623.	Nemaee — Nemeaee	v, 81.	campum — circum
IV, 783.	Tinacriam — Trinacriam	v, 178.	denti — videnti
IV, 912.	fibrae. — fibrae?	v, 571.	verteba — vertebat
v, 390.	ver, — venit	v, 578.	quia — qui


ORBIS CÆLESTIS
Ex marmore anti
in ÆDIBUS FAR
ROMÆ


STIS Tabula
e antiquo
FARNES:
MÆ

M. MANILII
ASTRONOMICÔN.
LIBER PRIMUS.

CARMINE divinas artes, et conſcia fati
Sidera diverſos hominum variantia caſus,
Caeleſtis rationis opus, deducere mundo
Aggredior; primuſque novis Helicona movere
Cantibus, ad viridi nutantes vertice ſilvas
Hoſpita ſacra ferens nulli memorata priorum.
Tu mihi, tu, Caeſar, patriae princepſque paterque,
Qui regis auguſtis parentem legibus orbem,
Conceſſumque patri mundum deus ipſe mereris,
Das animos, vireſque facis ad tanta canenda.

Et

Vulg. v. 5. ET. 7. HUNC mihi. 10. ANIMUM.

V. 5. ET VIRIDI NUTANTES VERTICE SILVAS. Omnes quidem codices *et* habent: reponendum tamen,

AD *viridi nutantes vertice ſilvas*
Hoſpita ſacra ferens.

Hoc pacto junguntur apte, quae prius laxa erant et hiantia. Vidit hoc et Fred. Gronovius. *Nutantes vertice*, ut Virgil. Aen. ix, 681.

Conſurgunt geminae quercus, intonſaque caelo
. Attollunt capita, et ſublimi vertice nutant.

V. 7. HUNC MIHI TU CAESAR. Scripti veteres *hunc*, recentiores *nunc*. Repono, quod concinnius eſt,

Tu *mihi, tu Caeſar, patriae princepſque paterque.*

ut Virgil. Aen. vi, 834.

Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo.

et Aen. vii, 41. Tu *vatem*, tu *diva mone.*

et Aen. ix, 404.

Tu *dea*, tu *praeſens noſtro ſuccurre labori.*

V. 10. DAS ANIMUM, VIRESQUE FACIS. Cum ſemel inſediſſet mendoſum illud *hunc* in verſu ſeptimo, conſequens erat, ut iidem hic ponerent *animum*. Atqui ab Auctoris manu erat,

Das ANIMOS, *vireſque facis.*

ut Virgil. Aen. ii, 617.

Ipſe pater Danais animos *vireſque ſecundas Sufficit.*

et Aen. vii, 383. *Dant* animos *plagae.*

Martialis, viii, 73.

Si dare vis noſtrae vires animoſque *Thaliae.*

Ovid. Amor. ii, xvii, 7. *Dat facies* animos.

et Met. xii, 242. *Vina dabant* animos; et alibi paſſim. *Vireſque facis:* ut Ovid.

Met.

Iamque favet mundus propius ſcrutantibus ipſum,
Et cupit aethereos per carmina pandere cenſus.
Hoc ſub pace vacat. iam nunc iuvat ire per altum
Aëra, et inmenſo ſpatiantem vivere caelo,
Signaque et adverſos ſtellarum noſcere curſus.
Quod ſolum noviſſe parum eſt. impenſius ipſa
Scire iuvat magni penitus praecordia mundi:
Quaque regat terrena ſuis animalia ſignis
Cernere,

Vulg. v. 11. IAM PROPIUSQUE. 12. RAPIT. 13. TANTUM.——IPSUM. 18. GENERETQUE.

Met. iv, 527.

Occupat hunc (vires *inſania* fecerat) *Ino.*

V. 11. IAM PROPIUSQUE FAVET MUNDUS. Illud *que* loco venit non ſuo. Repono,

IAMQUE *favet mundus* PROPIUS *ſcrutantibus ipſum.*

et ordine et ſententia meliore. Non enim *propius favet* connectenda ſunt, ſed *propius ſcrutantibus*: ut Noſter alibi *propius rimari, propius adſpectare.* i, 735.

Dum nova rimatur propius *ſpectacula mundi.*

iv, 908. *victorque ad ſidera mittit Sidereos oculos,* propiuſque adſpectat *Olympum.*

V. 12. ET RAPIT AETHEREOS PER CARMINA PANDERE CENSUS. Pro *rapit*, quae recentiorum codicum lectio eſt, veteres quattuor *cupit.* Atque id revocandum:

Et CUPIT *aethereos per carmina pandere cenſus.*

Mundus *favet* ſe ſcrutantibus, et *cupit*, gaudet, ſe aperire. Noſter ii, 142.

Et gaudente *ſui mundo* per carmina *vatis.*

V. 13. HOC SUB PACE VACAT TANTUM IUVAT IRE PER IPSUM. *Vacat* Gemblacenſis cum novitiis aliquot, recte: ceteri antiqui *vocat*: omnes ſententiam ibi finiunt, puncto poſt *vacat* vel *vocat* poſito. Et ſane hoc *tantum* inſulſe hic repetitur; cum paulo ante habuerimus, *ad* tanta *canenda.* Lego et diſtinguo,

Hoc ſub pace vacat. IAM NUNC *iuvat ire per* ALTUM *Aëra.*

Virgilius Georg. i, 42.

Ingredere, et votis iam nunc *adſueſce vocari.*

Propertius ii, 15.

Ipſe ego venabor: iam nunc *me ſacra Dianae Suſcipere, et Veneri ponere vota* iuvat.

Ceterum *altum* reponimus ex codice Veneto: ceteri enim *ipſum.* Sed *ipſum* paulo ante habuimus, et mox habebimus *ipſa*, utrumque in fine verſiculi. Pythagoras apud Naſonem Met. xv, 147. iuvat *ire per* alta *Aſtra; iuvat, terris et inerti ſede relictis, Nube vehi.*

V. 18. QUAQUE REGAT GENERETQUE SUIS ANIMALIA SIGNIS. *Quaque* a Scaligero eſt, et recte: libri enim omnes *quaeque.* Sed inepte et perverſo ordine veniunt, *regat generetque*; quaſi prius *regeret* animalia, deinde *generaret.* Corrigo,

Quaque regat TERRENA *ſuis animalia ſignis.*

ut Noſter ii, 83.

Ducit ab aethereis terrena animalia *ſignis.*

Si miraris et obſtupeſcis, *terrena* potuiſſe demutari in *generetque*; perge modo in his libris perlegendis, et foedioribus mendis implicatus mirari deſines.

V. 22. CERTA TUM LEGE CANENTEM. Vetuſti omnes *cum lege*; pauci ex novitiis *tum*: quod Scaligerum admiſiſſe doleo. Quorſum enim *tum*, alio ſcilicet tempore, cum *iam* canit, et mundus *iam* circumſtrepit? lege igitur,

certa CUM *lege canentem.*

ubi *cum* praepoſitio eſt, non conjunctio. *Lege*; hoc eſt, metro, lege carminis. Sic Horatius Carm. iv, ii, 10.

Seu

Cernere, et in numerum Phoebo modulante referre.
Bina mihi poſitis lucent altaria flammis :
Ad duo templa precor, duplici circumdatus aeſtu,
Carminis et rerum: certa cum lege canentem
Mundus et inmenſo vatem circumſtrepit orbe ,
Vixque ſoluta ſuis inmittit verba figuris.
Quem primum interius licuit cognoſcere caelum,
Munere caeleſtum? quis enim , nolentibus illis,
Cepiſſet

Vulg. v. 22. TUM. 25. INFERNIS——TERRIS. 26. MUNERA.—— CONDENTIBUS.

Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit, numeriſque fertur
Lege ſolutis.

Atque hoc prius dixerat,

duplici circumdatus aeſtu
Carminis et rerum :

rerum ut Aſtronomus ; *carminis*, ut Poëta. Sic iii, 35. ipſe de eadem re iure gloriatur ;

quae noſſe nimis, quid? dicere quantum eſt?
Ordine quid proprio? pedibus quid jungere certis ?

V. 24. VIXQUE SOLUTA SUIS. Interpretantur *ſoluta*, ἔναρθρα, *articulata verba*. Tu intellige *proſaica*. Vix oratione proſa tradi poſſunt Aſtronomica; quanto difficilius verſibus? Horatius iam citatus,

numeriſque fertur *Lege* ſolutis.

Ovid. Triſt. iv, x, 24.

Scribere conabar verba ſoluta *modis*.

Statius Silv. ii, vii, 21.

Dum qui vos geminas tulit per artes,
Et vinctae pede vocis et ſolutae.

Suis figuris, id eſt, ſuis circulis et diagrammatis ; ſine quibus aſtronomica tradi et doceri nequeunt.

V. 25. QUEM PRIMUM INFERNIS LICUIT COGNOSCERE TERRIS MUNERA CAELESTUM? *Infernis* Scaligero placuit ; *Quis*, inquit, *ab his locis infernis ad illa superna penetraſſet?* Ego contra aio, Quis unquam dixit *infernas terras?* infernae ſedes, valles, &c. ſemper de inferis accipiuntur. Codices omnes *interius*, non *infernis* ; recte: nam in alio verbo mendum deliteſcit. Lego,

Quem primum INTERIUS *licuit cognoſcere* CAELUM?

Quis, ait, primus valuit *interiora caeli* cognoſcere? ut Noſter i. 19.

Scire iuvat magni penitus praecordia mundi.

et iii, 61.

Quae quaſi per mediam mundi praecordia *partem.*

Quem primum licuit? quod uſitatius diceretur *cui primo licuit?* ſed ita Plautus Pſeudol. i, i, 14. *Licet* me *id ſcire, quid ſit?* et Lucanus ii, 15.

liceat *ſperare* timentes.

V. 26. MUNERA CAELESTUM? Gemblacenſis pro varia lectione, *munere:* eaque lectio certiſſima eſt. Nulli licuit interius caelum cognoſcere, niſi favore ſuperûm ſive munere caeleſtum: ut Noſter i, 11.

Iamque favet *mundus proprius ſcrutantibus ipſum.*

Sequentia haec plane poſtulant.

V. 26. QUIS ENIM CONDENTIBUS ILLIS? Quo ſenſu eſt illud *condentibus?* Alius accipit *creantibus:* alius *abſcondentibus*. Illud ineptiſſimum, et hoc ineptum. Non enim *abſcondunt* ſuperi. Sic iv, 922.

Ipſe vocat noſtros animos ad ſidera mundus;
Nec patitur, quia non condit, *ſua iura latere.*

Repone,

quis enim NOLENTIBUS ILLIS?

ut mox, *invitis diis*. Probat *deorum munere*

 Aſtro-

Cepiſſet furto mundum, quo cuncta reguntur?
Quis foret humano conatus pectore tantum,
Invitis ut diis cuperet deus ipſe videri?
Tu princeps auctorque ſacri, Cyllenie, tanti:
Per te iam caelum interius, iam ſidera nota,
Sublimes aperire vias, imumque ſub orbem,
Et per inane ſuis parentia finibus aſtra,
Mominaque, et curſus ſignorum, pondera, vires.
Maior uti facies mundi foret, et veneranda
Non ſpecies tantum, ſed et ipſa potentia rerum:
Sentirentque deum gentes, quam maximus eſſet,
Quis ſua diſpoſuit per tempora, cognita ut eſſent
Omnibus et mundi facies, caelumque ſupernum.
Et natura dedit vires, ſeque ipſa recluſit;
Regales animos primum dignata movere,
Proxima tangentes rerum faſtigia caelo:
Qui domuere feras gentes oriente ſub ipſo,

Quas

Vulg. v. 27. CLEPSISSET.

Aſtrologiam inventam eſſe; quis enim, *illis nolentibus*, arcana fatorum ſcire potuiſſet?

V. 27. CLEPSISSET FURTO MUNDUM. *Clepere*, verbum ſuo tempore probum; ſed, cum auctor ſcriberet, nimis antiquum et caſcum. Dedit ille,

CEPISSET *furto mundum, quo cuncta reguntur?*

Capere furto, ut *capere arte, dolo, fraude, aſtu, inſidiis, &c.* Sic Noſter iv, 30.

Captus *et a captis orbis foret.*

et iv, 886. *Et* capto *potimur mundo.*

et ii, 127.

Quis neget eſſe nefas invitum prendere *mundum;*
Et, velut in ſemet, captum *deducere in orbem?*

V. 29. *Invitis ut diis cuperet deus ipſe videri?*

32. *Sublimes aperire vias, imumque ſub orbem*
33. *Et per inane ſuis parentia finibus aſtra,*
34 *Mominaque et curſus ſignorum, pondera, vires?*
30. *Tu princeps auctorque ſacri, Cyllenie, tanti:*
31. *Per te iam caelum interius, iam ſidera nota.*
35. *Maior uti facies mundi foret.*

Primus Scaliger hunc verſuum ordinem in editione ſua dedit. Libri univerſi eum ſervant, quem in textu nunc exhibemus. *Momina* quoque a Scaligero eſt: libri omnes *nomina*. Equidem indignor tam capitale ingenium a ſpuriis et inficetis verſibus ludificari. Novem iſti, qui verſum 30 ſequuntur, omnes ſuppoſiti ſunt. *Caelum interius* v. 31. jam habuimus v. 25. *Sublimes aperire vias*, &c. nullo ſenſu.

Quas ſecat Euphrates; in quas et Nilus inundat,
Qua mundus redit, et nigras ſuperevolat urbes.
Tum qui templa ſacris coluerunt omne per aevum,
Delectique ſacerdotes in publica vota
Officio vinxere deum; quibus ipſa potentis
Numinis accendit caſtam praeſentia mentem,
Inque deum deus ipſe tulit patuitque miniſtris.
Hi tantum movere decus; primique per artem
Sideribus videre vagis pendentia fata.
Singula nam proprio ſignarunt tempora caſu,
Longa per aſſiduas complexi ſaeccula curas:
Naſcenti quae cuique dies, quae vita fuiſſet:
In quas fortunae leges quaeque hora valeret:
Quantaque quam parvi facerent diſcrimina motus.
Poſtquam omnis caeli ſpecies, redeuntibus aſtris,
Deſcripta in proprias ſedes, et reddita certis
Fatorum ordinibus ſua cuique potentia formae;

Per

Vulg. v. 55. NASCENDI. 59. PERCEPTA.

ſenſu. *Pondera, vires* ſemibarbare, pro et pondera, atque vires. *Maior mundi facies:* quî fieri poteſt *maior? veneranda*; non ſolet auctor hexametrum ſic claudere. *Species*, idem prorſus, quod paulo ante *facies*. *Deum, quam maximus eſſet*; ne latine quidem dictum. Poſtremi duo verſus a libris omnibus abſunt; credo eos a Bonincontrio, qui primus Manilium cum commentario edidit, fuiſſe confictos. Iam vero vides, ut apte verſus genuini connectantur;

Tu princeps auctorque ſacri, Cyllenie, tanti:
Et natura dedit vires.

V. 44. QUAS SECAT EUPHRATES, IN QUAS ET NILUS INUNDAT. Etiam hic verſus eo abeat, unde malum pedem huc intulit. An Euphrates ſecat *gentes?* Terras potius et campos arbitrabar. *In quas inundat*; barbare dictum. Et fruſtra Gronovius ſubſtituit *rigat*. Riguos amnes atque hortos noveram: riguas gentes iam primum inaudio.

V. 45. QUA MUNDUS REDIT. Sub ipſo orientis limine, qua mundus redit ſupra horizontem. Sic iii, 586. de cardine orientali:

Si bene conſtiterit primo ſub cardine luna,
Qua redit in terras mundus.

V. 55. NASCENDI QUAE CUIQUE DIES. *Naſcendi lex, naſcendi ſors* recte dicuntur: ſed quis umquam *diem* dixit *naſcendi* pro *die natali?* Repone,

NASCENTI *quae cuique dies, quae vita fuiſſet.*

V. 59. PERCEPTA IN PROPRIAS SEDES. Veteres codices *praecepta*, recentiores *percepta*: neutrum convenit. Repone,

De-

Per varios uſus artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam; ſpeculataque longe
Deprendit tacitis dominantia legibus aſtra,
Et totum alterna mundum ratione moveri,
Fatorumque vices certis diſcurrere ſignis.
Nam rudis ante illos nullo diſcrimine vita
In ſpeciem converſa, operum ratione carebat,
Et ſtupefacta novo pendebat lumine mundi:
Tum velut amiſſis moerens, tum laeta renatis
Sideribus; varioſque dies incertaque noctis
Tempora nec ſimiles umbras, iam ſole regreſſo,
Iam propiore, ſuis impar diſcernere cauſis.
Necdum etiam doctas ſolertia fecerat artes,
Terraque ſub rudibus ceſſabat vaſta colonis.
Tumque in deſertis habitabat montibus aurum,
Immotuſque novos pontus ſubduxerat orbes.

Nec

Vulg. v. 72. POTERAT. 78. SED———SE NOSSE PUTABAT.

DESCRIPTA *in proprias ſedes.* ut iv, 589.
Quattuor in partes *caeli* deſcribitur *orbis.*
et iv, 733.
Et certis deſcripta *nitent regionibus aſtra.*

V. 64. ET TOTUM ALTERNA MUNDUM RATIONE MOVERI. Libri univerſi *alterna:* et ita Scaliger in textu; ſed in notis mavult *aeterna:* quod et bonus Fayus ſecutus eſt. Tu codicum auctoritatem hic ſequere. Sic ii, 402.
Ut ſociata forent alterna *ſidera* ſorte;
Et ſimilis ſibi mundus, et omnia in omnibus aſtra. et ii, 62.
Totumque alterno *conſenſu vivere mundum,*
Et rationis *agi* motu.

V. 65. CERTIS DISCURRERE SIGNIS. Hanc emendationem Scaligero debemus: libri omnes *diſcernere.*

V. 71. IAM SOLE REGRESSO, IAM PROPIORE SUIS POTERAT DISCERNERE CAUSIS. Quid ait? poteratne rudis vita *ſuis cauſis* diſcernere varietatem dierum, noctium, et umbrarum? Sic verba, ut feruntur, affirmant. Sed auctor hoc volebat, *non poterat diſcernere:* et idem voluerunt interpretes, verbis utcunque invitis. Fefellit hos particula negativa *nec*, *nec ſimiles umbras:* quam ad *poterant* referebant, ut ſit *nec poterant.* Atqui *nec ſimiles* ſeparari non poſſunt: idem quod *et non ſimiles, et diſſimiles.* Vidit hoc acutiſſimus Huetius; et ut particulam negativam lucraretur, ſubſtituit NEC *ſole regreſſo.* Sed omnes ubique ſcripti habent, *iam ſole regreſſo, iam propiore:* et, ſi unum *iam* abſtuleris, quid fiet de altero? nam geminatum hic requiri ſciunt, qui latine ſciunt. Repono,
iam ſole regreſſo,
Iam propiore, ſuis IMPAR *diſcernere cauſis.*
Conſtructio eſt, *Rudis aetas operum ratione carebat*, moerens *amiſſis ſideribus*, laeta *renatis*, impar *varios dies diſcernere ſuis cauſis.*

V. 78.

Nec vitam pelago, nec ventis credere vota
Audebant, ſe quiſque ſatis noviſſe putabant.
Sed cum longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miſeris dedit, et ſua quemque
Advigilare ſibi iuſſit fortuna premendo:
Seducta in varias certarunt pectora curas,
Et quodcumque ſagax tentando repperit uſus,
In commune novum commentum laeta dederunt.
Tunc et lingua ſuas accepit barbara leges,
Et fera diverſis exercita frugibus arva,
Et vagus in caecum penetravit navita pontum,
Fecit et ignotis iter in commercia terris.
Tum belli paciſque artes commenta vetuſtas.
Semper enim ex aliis alia proſeminat uſus.
Ne vulgata canam; linguas didicere volucrum,
Conſultare fibras, et rumpere vocibus angues,

Sol-

Vulg. v. 84. BONUM——DEDERE. 88. ITINER. 90. ALIAS. 91. NEC.

V. 78. SED QUISQUE SATIS SE NOSSE PUTABAT. Libri veteres uno conſenſu, quod paullo melius vulgato eſt,

SE *quiſque ſatis* NOVISSE PUTABANT.

V. 84. IN COMMUNE BONUM COMMENTUM LAETA DEDERE. *Commune bonum* frequenter occurrit, et ſic codices. Lege tamen,

In commune NOVUM *commentum laeta* DEDERUNT.

In commune; abſolute, ut paſſim. Phaedrus v, vi, 3.

Eja, inquit, in commune *quodcumque eſt lucri.*

Novum commentum; quod uſus modo repererat. Porro *dederunt* vetuſti omnes.

V. 88. FECIT ET IGNOTIS ITINER COMMERCIA TERRIS. Sic veteres *itiner*, excepto Veneto, qui *iter in.* Sane nimis vetuſtum pro auctoris ſaeculo illud *itiner.* Lego,

Fecit et ignotis ITER IN *commercia terris:*

Fecit et terris ignotis iter, commerciorum cauſa. *Terris*, caſu dativo, non idem quod *ad terras*; ſed fecit, ut ignotae terrae iter inter ſe tentarent. Sic Ovid. Met. iv, 69.

Et voci feciſtis iter,

hoc eſt, ut vox iter haberet. et Met. xv, 106.

Fecit iter ſceleri. et Art. Am. ii, 332.

In tabulas multis haec via fecit iter.

V. 90. SEMPER ENIM EX ALIIS ALIAS PROSEMINAT USUS. Si *alias* adſciſcis, intelligendum erit ex priore verſu *artes.* Sed libri veteres *alia:* non ſolum artes, ſed res quaſcumque. Recte. Producit finalem *alias* cum caeſurae virtute, tum geminae conſonantis.

V. 91. NEC VULGATA CANAM. Melius veterrimus Gemblacenſis;

NE *vulgata canam.*

V. 95.

Sollicitare umbras, imumque Acheronta movere,
In noctemque dies, in lucem vertere noctes:
Omnia conando docilis solertia vicit:
Nec prius imposuit rebus finemque manumque,
Quam caelum ascendit ratio, cepitque profundis
Naturam rerum claustris, viditque quod usquam est.
Nubila cur tanto quaterentur pulsa fragore;
Hiberna aestiva nix grandine mollior esset,
Arderent terrae, solidusque tremisceret orbis,
Cur imbres ruerent, ventos quae causa moveret,
Pervidit; solvitque animis miracula rerum:
Eripuitque Iovi fulmen viresque tonandi,
Et sonitum ventis concessit, nubibus ignem.
Quae postquam in proprias deduxit singula causas,
Vicinam ex alto mundi cognoscere molem
Intendit, totumque animo comprendere caelum:
Attribuitque suas formas, sua nomina signis;

Quasque

Vulg. v. 96. MODUMQUE. 97. PROFUNDUM. 98. CAUSIS. 104. TONANTIS.

V. 96. NEC PRIUS IMPOSUIT REBUS FINEMQUE MODUMQUE. Elegans lectio est in vetustis omnibus;

Nec prius imposuit rebus finemque MANUMQUE.

Ovidius Heroid. xvi, 115.

Imposita *est factae postquam* manus *ultima classi.*

et Met. viii, 200.

postquam manus *ultima coeptis*
Imposita *est.*

et xiii, 403.

Imposita *est sero tandem* manus *ultima bello.*

et Rem. Amor. 114.

Supremam bellis imposuisse manum.

Ita alii non raro.

V. 97. CEPITQUE PROFUNDAM NATURAM RERUM CAUSIS. Gemblacensis, Lips. Voss. *profundam*: Venetus *profundum*: ceteri omnes, qui recentiores sunt, *profundis.* Repono,

Quam caelum ascendit ratio, cepitque PROFUNDIS
Naturam rerum CLAUSTRIS, *viditque quod usquam est.*

Cepit naturam; ut Noster i, 27. *cepisset mundum*; et ii, 127. *prendere mundum.* *Claustra naturae*, ut Lucretius i, 71.

confringere ut arcta
Naturae primus portarum claustra *cupiret.*

Haec opposita sunt: ratio et in caelum ascendit, et descendit in profunda naturae claustra. Noster i, 541.

ratio, *cui nulla resistunt*
Claustra, *nec immensae moles, caecive recessus.*

V. 104. ERIPUITQUE IOVI FULMEN VIRESQUE TONANTIS. Vetusti *tonantis:*

quam

Quaſque vices agerent, certa ſub ſorte notavit:
Omniaque ad numen mundi faciemque moveri,
Sideribus vario mutantibus ordine fata.
Hoc mihi ſurgit opus, non ullis ante ſacratum
Carminibus. faveat magno fortuna labori,
Annoſa et molli contingat vita ſenecta;
Ut poſſim rerum tantas evincere moles,
Magnaque cum parvis ſimili percurrere cura.
Ac quoniam caelo deſcendit carmen ab alto,
Et venit in terras fatorum conditus ordo,
Ipſa mihi primum naturae forma canenda eſt,
Ponenduſque ſua totus ſub imagine mundus:
Quem ſive ex nullis repetentem ſemina rebus
Natali quoque egere placet, ſemperque fuiſſe
Et fore, principio pariter fatoque carentem:
Seu permixta chaos rerum primordia quondam
Diſcrevit partu, mundumque enixa nitentem

Fugit

Vulg. v. 116. EMERGERE. 118. ET.

quam lectionem ſi admitterem; tunc legere vellem,

Eripuitque Iovi NOMEN *viresque tonantis.*

Sed recentiores duo, *tonandi:* atque id placet. Ita Noſter i, 368. de Iove,

Lacte fero creſcens ad fulmina vimque tonandi. et iv, 903.

Unus in inſpectus rerum vireſque loquendi.

Ovid. Amor. iii, vi, 70.

Currendi vires *eripiente metu:*

Sic alibi *vires nocendi, ſequendi, loquendi,* &c. Amor. iii, v, 19. de tauro:

Viſus erat, ſomno vires *adimente* ferendi,
Cornigerum terrae depoſuiſſe caput.

Ubi perperam acutiſſimus Heinſius ex codicibus quibuſdam in textum intulit *ferenti. Ferre caput,* paſſim.

Virgil. Aen. i, 193. de cervis,

Ductoreſque ipſos primum capita alta ferentes.

V. 112. SIDERIBUS VARIO. Hoc Scaliger recte: nam libri omnes *variis.*

V. 116. TANTAS EMERGERE MOLES. Scaliger: *moles* ἀρχαϊκῶς *pro fluctibus.* Huetius: *Emergere, active: hoc uſu vix alibi reperias.* Neque hic reperiri poteſt: dedit enim auctor,

Ut poſſim rerum tantas EVINCERE *moles.*

Virg. Aen. ii, 496.

*Non ſic aggeribus ruptis cum ſpumeus amnis
Exiit, oppoſitaſque* evicit *gurgite* moles.

Noſter ii, 783.

Sic mihi cunctanti tantae ſuccedere moli.

In codicibus ſcriptis, qui ſcribendi compendia ſectantur, *emgere* et *euicere* non niſi litera differunt.

V. 118. ET QUONIAM CAELO CARMEN

DE

Fugit in infernas caligo pulſa tenebras:
Sive individuis, in idem reditura ſoluta,
Principiis natura manet, poſt ſaecula mille;
Et paene ex nihilo ſumptum eſt nihilumque futurum,
Caecaque materies caelum perfecit et orbem:
Sive ignis fabricavit opus, flammaeque micantes,
Quae mundi fecere oculos, habitantque per omne
Corpus, et in caelo vibrantia fulmina fingunt:
Seu liquor hoc peperit, ſine quo riget arida rerum
Materies, ipſumque creat, quo ſolvitur, ignem:
Aut neque terra patrem novit, nec flamma, nec aër,
Aut humor; faciuntque deum per quattuor artus,
Et mundi ſtruxere globum, prohibentque requiri
Ultra ſe quicquam: cum per ſe cuncta creentur;

Frigida

Vulg. v. 136. VORAT. 140. TUM———CREANTUR.

DESCENDIT AB ALTO. Lege ex veterrimis,

Ac *quoniam caelo* DESCENDIT CARMEN *ab alto.*

Ac tantum mutavimus, quod illi *at*.

V. 128. SIVE INDIVIDUIS IN IDEM REDITURA SOLUTA. Hi quattuor verſus ſpurii ſunt, et a manu indocta. Epicuri hoc dogma longe luculentioribus verbis enarratur infra, atque ibidem refutatur et ſpernitur, ut i, 493. *nec forte coiſſe magiſtra*
Ut voluit credi qui primus moenia mundi
Seminibus ſtruxit minimis, inque illa reſolvit.
Quomodo igitur hic ut probabile ponitur, quod illic improbatur? Vide inſuper ſermonis barbariſmos: *in idem* reditura, pro *in eadem*; principia ſcilicet. *Sumptum eſt nihilumque futurum*, pro *ſumpta* et *futura*; nempe *natura*. Vide et ignorantiam hominis: quaſi Epicuri individua *paene nihilum* vel ipſum *nihilum* eſſent: quae ad infinitos mundos condendos ſufficere potuiſſent.

V. 136. IPSUMQUE VORAT, QUO SOLVITUR, IGNEM. Vetuſti *vorat* recentiores *vocat*. *Elegantiſſime*, inquit Scaliger, *liquor vorat ignem, et ignis liquorem*. Sed hoc nunc non agitur, quid ignis *voret*, ſed quid *pariat*. Dedit auctor,

ipſumque CREAT, *quo ſolvitur, ignem.*

Sive aqua, inquit, cetera elementa, ipſumque, a quo diſperditur, ignem creat. Quod ut re mirabile; ita dictu argutum, et re vera elegantiſſimum.

V. 139. PROHIBENTQUE REQUIRI ULTRA SE QUICQUAM: TUM PER SE CUNCTA CREANTUR. Periit prava lectione argumenti vis et ratio. Repone,

CUM *per ſe cuncta* CREENTUR.

Cum vetuſti omnes: *creentur* Lipſienſis pro varia lectione.

V. 141. FRIGIDA NE CALIDIS. In vitio eſt illud *ne*. Non enim ideo creantur, *ne* deſint: ſed quia creantur, ideo non deſunt. Lege,

cum per ſe cuncta creentur;
Frigida NEC *calidis deſint.*

Sex

Frigida nec calidis desint, aut humida siccis,
Spiritus aut solidis; sitque haec discordia concors,
Quae nexus habiles et opus generabile fingit,
Atque omnis partus elementa capacia reddit.
Semper erit genus in pugna; dubiumque manebit,
Quod latet, et tantum supra est hominemque deumque.
Sed facies quacumque tamen sub origine rerum
Convenit, et certo digestum est ordine corpus.
Ignis in aethereas volucer se sustulit oras;
Summaque complexus stellantis culmina caeli,
Flammarum vallo naturae moenia fecit.
Proximus in tenues secessit spiritus auras,
Aëraque extendit medium per inania mundi:
Ignem ut flatus alat vicinis subditus astris.

Vulg. v. 141. NE. 149. AURAS. 152. DESCENDIT. 154. ignem flatus ALIT.

Sex codices, quorum duo vetusti, *nec* habent.

V. 146. SUPRA EST HOMINEMQUE DEUMQUE. *Supra* tres veterrimi Gemb. Venetus et Lipf. ut frustra Huetius litem moveat de *super*. Idem, contra Scaligerum, explicat *supra hominis* captum *et dei* potestatem. Frustra hoc quoque non enim potestas, sed scientia requiritur, ad solvendam quaestionem de mundi origine.

V. 149. IGNIS IN AETHEREAS VOLUCER SE SUSTULIT AURAS. Hoc plane perversum; licet omnes codices agnoscant. Ignis enim supra *auras* evolavit; quas aër sive aether, sive spiritus constituit; et si sustulit se in *auras*, aurae ibi fuerunt ante ignis ascensum. Repone,

Ignis in aethereas volucer se sustulit ORAS.

Lucretius et alii passim.

V. 152. PROXIMUS IN TENUES DESCENDIT SPIRITUS AURAS. Mirum vero *descendisse* spiritum sive aëra; cum ignis *se sustulerit*. Ergo ante descensum inter ignes locum habuit. Vides τὴν ἀτοπίαν. Sed neque *descendit* neque *escendit* in *auras*: aurae enim non locus aetheris, sed materies: Lege ergo,

Proximus in tenues SECESSIT *spiritus auras*.

Rarefactus secessit; rarescebat in auras. Noster infra, 162.

Quoque magis puras humor secessit in auras.

Ovid. Fast. v, 375.

Omnia finierat: tenues secessit in auras.

V. 154. IGNEM FLATUS ALIT VICINIS SUBDITUS ASTRIS. Hoc, quia nullo nexu prioribus cohaeret, sine omni venere est. Lege ergo, sententia postulante,

Ignem UT *flatus* ALAT *vicinis subditus astris*.

Plane ut mox, 157.

Ut liquor exhalet——evomat—— pascat.

Recte autem hic *flatus* pro aëre; quia ignis flatu excitatur et augescit.

Tertia ſors undas ſtravit fluctuſque natantes,
Aequoraque effudit toto naſcentia ponto:
Ut liquor exhalet, tenues atque evomat auras,
Aëraque ex ipſo ducentem ſemina paſcat.
Ultima ſubſedit glomerato pondere tellus,
Convenitque vagis permixtus limus arenis,
Paulatim ad ſummum tenui fugiente liquore.
Quoque magis puras humor ſeceſſit in auras,
Et ſiccata magis ſtrinxerunt aequora terrae,
Adiacuitque cavis fluidum convallibus aequor;
Emerſere fretis montes, orbiſque per undas
Exiliit,

Vulg. v. 156. Aequora PERFUDIT. 162. UNDAS. 163. TERRAS.

V. 155. FLUCTUSQUE NATANTES AEQUORA PERFUDIT. Sic quidem codices: et Scaliger ad locum, *Trajectio*, inquit, *Maniliana: id eſt, fluctus natantes fudit per aequora.* Diſplicet hoc Huetio; qui aliam conſtructionem adſciſcit: cui tamen deeſt coniunctio *et*, ſententia turpiter hiante. O miſeram auctoris ſortem; ſi ſic toties excuſandus eſt. Tu lege et diſtingue,

Tertia ſors undas ſtravit fluctuſque natantes;
AEQUORAQUE EFFUDIT *toto naſcentia ponto.*

Ita ii, 225.

Cancer, et effuſo *gaudentes* aequore *piſces.*

Ovid Amor. ii, xvi, 25.

Charybdis
Fundit et effuſas *ore reſorbet aquas.*

V. 157. UT LIQUOR EXHALET TENUIS, ATQUE EVOMAT AURAS. Sic codices; ſed diſtingue,

Ut liquor exhalet, TENUES *atque evomat auras.*

Maniliani enim codices ubique in ſimilibus verbis plurales accuſativos per *is* ſcribunt. Non *tenuis liquor* ergo, ſed *tenuis auras*: ut poetae omnes paſſim.

V. 160. CONVENITQUE VAGIS LIMUS PERMIXTUS ARENIS. Meliore ordine veteres omnes;

Convenitque vagis PERMIXTUS LIMUS *arenis.*

ut *limus*, quod ſententiam ducit, in arſi et ſub ictu ponatur.

V. 162. QUOQUE MAGIS PURAS HUMOR SECESSIT IN UNDAS, ET SICCATA MAGIS STRINXERUNT AEQUORA TERRAS. Haec nullo ſenſu feruntur. Quid enim eſt, *humorem ſecedere in undas?* Quid porro illud, *ſiccata aequora magis ſtringere terras?* Immo neceſſe eſt, ut eo *minus* ſtringant. Sed facilis eſt emendatio, quam argumentum ipſum ſuppeditat. Corrige ergo,

Quoque magis puras humor ſeceſſit in AURAS;
Et ſiccata magis ſtrinxerunt aequora TERRAE.

Sententia iam clara. *Quo magis aqua exhalans et rareſcens in aëra ſeceſſit, et eam ob cauſam* magis ſiccata *aequora, in cavas convalles receſſerunt*; ideo tandem, terra ſtringente, orbis terrae exiliit. Ovid. Met. xv, 245.

reſolutaque tellus
In liquidas roreſcit aquas: tenuatus in auras
Aëraque humor *abit.*

Huetius ad locum; *perverſo*, inquit, *ſenſu, vel potius nullo*: legique jubet,

Siccataſque *magis ſtrinxerunt aequora* terras.

Ubi vir ſummus in illud ipſum perverſum incidit, quod volebat effugere. Si enim aequora magis magiſque terras ſtrinxiſſent; eo tardius,

Exiliit, vafto claufus tamen undique ponto.
Imaque de cunctis mediam tenet undique fedem.
Idcircoque manet ftabilis, quia totus ab illo
Tantundem refugit mundus: fecitque cadendo
Undique ne caderet. medium totius et imum eft.
Istaque contractis confiftunt corpora plagis,
Et concurrendo probibent in longius ire.
Quod nifi librato penderet pondere tellus,
Non ageret currus, mundi fubeuntibus aftris,
Phoebus ab occafu, et numquam remearet ad ortus:
Lunave fubmerfos regeret per inania curfus:

Nec

Vulg. v. 168. ILLA. 174. CURSUS. 175. AD OCCASUM.

dius, immo numquam terra arida emerfiffet. Pro *terras* codices hic vetufti *terram.* Recte *terrae ftrinxerunt aequora:* ut alibi iv, 627.

Haec medium terris circumdat linea pontum,
Atque bis undarum tractum conftringit *habenis.*

V. 167. IMAQUE DE CUNCTIS MEDIAM TENET UNDIQUE SEDEM. Iterum verfum fpurium habemus, et vel furca expellendum. *Ima* inquit, et volebat *tellus.* Atqui *orbis* mafculinum nomen praeceflerat: Deinde omnes codices fequente verfu *illo* non *illa:* quod priorem τῆς νοθείας plane damnat. Quid, quod auctor mox eandem rem dicit, *medium totius et imum eft.*

V. 171. ICTAQUE CONTRACTIS CONSISTUNT CORPORA PLAGIS, ET CONCURRENDO PROHIBENT IN LONGIUS IRE. Huetius fcribit *probibentur longius:* et profecto codex Voffianus *probibetur in longius.* Sed uterque verfus κακῶς κείμενος eft, et reiiciendus. Vide modo ifta, et litera eadem ter iterata, et fyllabarum paritate, deformia; *contractis confiftunt corpora,* cum alias rotundiffimos verfus Nofter effingat. Quid quod haec praecedentibus repugnent. Non enim ex fententia auctoris *ictibus, plagis, verberibus* terra in imum ab igni et aethere compulfa eft; fed ignis et aether fponte fua et ingenita levitate furfum fe ex imo fuftulerunt.

V. 174. NON AGERET CURSUS, MUNDI SUBEUNTIBUS ASTRIS, PHOEBUS AD OCCASUM, ET NUMQUAM REMEARET AD ORTUS. Sic argumentatur: *terram in medio pendere: quippe alioqui non nocte fubter terram fol iret, non mane ad ortus remearet.* Lege igitur,

Non ageret CURRUS, *mundi fubeuntibus aftris,*
Phoebus AB OCCASU, *et numquam remearet ad ortus.*

Certe cum *mundi aftra* in confpectum *fubeunt,* fol *ab occafu,* non *ad occafum* fe fert; hoc enim interdiu facit. *Agere currus* paffim.

V. 176. LUNAVE SUBMERSOS REGERET PER INANIA CURSUS. Vetufti quidem *curfus:* fed duo recentes *currus:* quod et Scaliger malebat. Nofter infra i, 667.

Subfequiturque fuo folem vaga Delia curru.

Verfus tamen eft fpurius: neque enim *fubmerfos currus* belle dixit; et putide poft Phoebi currus, currus Lunae iterat: et cum addit *per inania;* id fumit, quod probaturus eft, infra terram inania perviaque fpatia dari. Deinde *Lucifer* atque idem *Hefperos,* folis perpetuus comes, male per hunc verfum a Phoebo disiungitur.

2

Nec matutinis fulgeret Lucifer horis,
Hesperos emenso dederat qui lumen olympo.
Nunc quia non imo tellus deiecta profundo,
Sed medio suspensa manet, sunt pervia cuncta;
Qua cadat, et subeat caelum, rursusque resurgat.
Nam neque fortuitos ortus surgentibus astris,
Nec toties possum nascentem credere mundum,
Solisve assiduos partus et fata diurna:
Cum facies eadem signis per saecula constet;
Idem Phoebus eat caeli de partibus iisdem;
Lunaque per totidem luces mutetur, et orbes;
Et natura vias servet, quas fecerat ipsa,
Nec tirocinio peccet; circumque feratur
Aeterna cum luce dies, qui tempora monstrat

Nunc

Vulg. v. 178. IMMERSO. 181. CADERET. 190. QUOD—MONSTRANT.

jungitur. Denique in redditione i, 184. *Solis* tantum assiduos partus et interitus credere nequit; nec addit *lunae*.

V. 178. HESPEROS IMMERSO DEDERAT QUI LUMEN OLYMPO. *Immerso* unus et alter ex recentioribus: at veteres *immenso*. Sane *immerso*, nisi pro *submerso* sive infra Horizontem abdito accipias, quod tamen non tibi licebit, nullum sensum habet. Ac re vera quidem dat lucem *submerso olympo*; et cum Hesperus nobis est, aliis est Lucifer: hoc tamen hic loci demonstrandum erat, non sumendum. Quare reponendum est,

Hesperos EMENSO *dederat qui lumen olympo.*

Emenso per diem olympo cum solem licet radiis ejus occultatus semper comitetur, dat tandem lumen suum Hesperus sub noctem. Virgilius de sole, Georg. i, 450.

Hoc etiam, emenso *cum iam decedet olympo,*
Profuerit meminisse magis.

Noster ii, 835. de cardine occidentali,

Ultimus emenso *qui condit sidera* mundo.

V. 180. SUNT PERVIA CUNCTA, QUA CADERET SUBEAT CAELUM, RURSUSQUE RESURGAT. Miror cur versus 181, a viro magno post versum 185, contra omnes codices, extra sedem suam trudatur, cum ibi nullo sensu feratur, hic et commodo et necessario; si levi emendatione juvetur. Libri quippe habent, *Qua caderet, subeat.* Lege, *Qua* CADAT ET *subeat:* quod et alii ante nos viderunt. *Spatia* infra terram pervia sunt, qua caelum, et quae in caelo sunt, eant redeantque.

V. 189. CIRCUMQUE FERATUR AETERNA CUM LUCE DIES, QUOD TEMPORA MONSTRANT. *Quod tempora monstrant* libri veteres: sed ex recentioribus unus *qui*, tres *monstrat:* Repone igitur,

circumque feratur
Aeterna cum luce dies, QUI *tempora* MONSTRAT.

Qui dies eadem monstrat tempora, nunc his, nunc illis, cum luce aeterna. Dies quippe semper lucet, et sibi constans, dimidiam terrae partem illustrat.

V.

Nunc his, nunc illis eadem regionibus orbis.
Semper et ulterior vadentibus ortus ad ortum
Occaſumve obitus caelum cum sole pererret.
Nec vero tibi natura admiranda videri
Pendentis terrae debet. cum pendeat ipſe
Mundus et in nullo ponat veſtigia fundo:
Quod patet ex ipſo motu, curſuque volantis:
Cum ſuſpenſus eat Phoebus, curruſque reflectat
Huc illuc agiles, et ſervet in aethere metas:
Cum luna et ſtellae volitent per inania mundi:
Terra quoque aërias leges imitata pependit.
Eſt igitur mediam tellus ſortita cavernam
Aëris, e toto pariter ſublata profundo;
Nec patulas diſtenta plagas, ſed condita in orbem
Undique

Vulg. v. 192. ULTERIUS. 193. OCCASUMQUE—CAELO ET—PERENNET. 198. CURSUMQUE. 202. TELLUS MEDIAM. 203. ET——SUSPENSA.

V. 192. SEMPER ET ULTERIUS VADENTIBUS ORTUS AD ORTUM, OCCASUMQUE OBITUS CAELO ET CUM SOLE PERENNET. Ita dedit Scaliger: ſed libri veteres,

Semper et ulterior *vadentibus ortus ad* ortus,
Occaſumve *obitus:* caelum *et cum ſole perennet.* Repone,
Semper et ULTERIOR *vadentibus ortus ad ortum*
*Occaſumv*E *obitus* CAELUM *cum ſole* PERERRET.

Ubi ordo eſt, ulterior ortus vadentibus ad ortum, ulteriorve obitus vadentibus ad occaſum, pererret caelum cum ſole. *Pererret*, circumerret, circumeat caelum.

V. 197. QUOD PATET EX IPSO MOTU CURSUQUE VOLANTIS. Rurſus habes verſum ſpurium. *Motu curſuque*, quam putide? quaſi utrumque non idem ſit. *Volantis*, quam ignave? cum tertio mox verſu dicturus ſit, *volitent*. Cur autem hoc ipſum demonſtratum it, quo ad aliud demonſtrandum utitur? Mundum ſine fundo pendere, per ſe *patet*; cum fundus iſte, ſi quem fingis, pars mundi ſit; et alio fundo ad inſiſtendum egeat.

V. 198. CURSUMQUE REFLECTAT HUC ILLUC, AGILES ET SERVET IN AETHERE METAS. Mirifice profecto *agiles metas*: quae niſi fixae ſint, metae eſſe non poſſunt. Lege et diſtingue,

CURRUSQUE *reflectat*
Huc illuc agiles, et ſervet in aethere metas.

Seneca Medea 787, de luna,

Video Triviae currus agiles.

V. 202. EST IGITUR TELLUS MEDIAM. Concinnius recentior codex,

Eſt igitur MEDIAM TELLUS *ſortita cavernam.*

V. 203. AERIS, ET TOTO PARITER SUSPENSA PROFUNDO. Pro *ſuſpenſa* codices univerſi *ſublata*. Lege,

Aëris, E *toto pariter* SUBLATA *profundo.*

V.

Undique ſurgentem pariter, pariterque cadentem.
Haec et naturae facies. ſic mundus et ipſe
In convexa volans teretes facit eſſe figuras
Stellarum; soliſque orbem lunaeque rotundum
Aſpicimus, tumido quaerentis corpore lumen,
Quod globus obliquos totus non accipit ignes.
Haec aeterna manet diviſque ſimillima forma,
Cui neque principium eſt uſquam nec finis in ipſa;
Sed ſimilis toto ore ſibi, perque omnia par eſt.
Sic ſtellis glomerata manet mundoque figura.
Idcirco terris non omnibus omnia ſigna
Conſpicimus. nuſquam invenies fulgere canopum,
Donec Niliacas per pontum veneris oras.
Sed quaerent helicen, quibus ille ſupervenit ignis,
Quod laterum tractus obſtant, medioque tumore

Eripiunt

Vulg. v. 206. EST. 212. IPSO. 213. REMANET—PERQUE. 219. QUI.——— HABITANT, MEDIIQUE TUMORES.

V. 206. HAEC EST NATURAE FACIES. Lege, *Haec* ET *naturae facies.* Hoc eſt, non terrae modo, ſed naturae ſive mundi totius.

V. 212. CUI NEQUE PRINCIPIUM EST USQUAM NEC FINIS: IN IPSO SED SIMILIS TOTO REMANET, PERQUE OMNIA PAR EST. Quid ſibi vult illud *ipſo toto*; cum femininum *forma* praecedat? Duo recentiores *ipſa.* Lege et diſtingue,

Cui neque principium eſt uſquam nec finis in IPSA:
Sed ſimilis toto ORE SIBI, *perque omnia par eſt.*

Recte deſcribit ſuperficiem ſphaericam. *In ipſa,* pro *in ſe* vel *ſe ipſa,* paſſim hic auctor. Toto *ore ſibi,* non *ore manet:* quia *manet* iam altero abhinc verſu habuimus.

V. 214. SIC STELLIS GLOMERATA MANET MUNDOQUE FIGURA. Codices univerſi,

Sic ſtellis glomerata manent mundumque figurant.

Verſus ſpurius: et fruſtra vir magnus interpolare voluit. De *telluris* hic agit, non de *ſtellarum* et *mundi* rotunditate, quam ſupra aſſerit i, 207. Tum autem quod ſequitur,

Idcirco terris non omnibus omnia ſigna
Conſpicimus.

demonſtrat huius verſiculi νοθείαν. Quid enim? an ſtellae ſimul omnes a terra conſpici non poſſunt, quia *ſtellae* et *mundus* rotundus eſt? nugae. Immo, quia *terra* ipſa rotunda eſt.

V. 219. QUI LATERUM TRACTUS HABITANT, MEDIIQUE TUMORES. Veteres univerſi ſic habent,

Quod *laterum tractus habitant,* medioque tumore.

ubi unius mendi loco tria nova nobis dederunt editiones. Repone,

QUOD *laterum tractus* OBSTANT, MEDIOQUE TUMORE:
Eripiunt terrae caelum, viſuſque coërcent.

Quibus, inquit, canopus *supervenit* ſive verti-

calis

Eripiunt terrae caelum, viſuſque coërcent.
Te teſtem dat, luna, ſui glomeraminis orbis:
Quae cum merſa nigris per noctem deficis umbris,
Non omnes pariter confundis ſidere gentes,
Sed prius eoae quaerunt tua lumina terrae.
Poſt, medio ſubiecta polo quaecumque coluntur.
Ultima ad heſperios infectis volveris alis:
Seraque in extremis quatiuntur finibus aera.
Quod ſi plana foret tellus; ſemel orta per omnem
Deficeres pariter toti miſerabilis orbi.
Sed quia per teretem deducta eſt terra tumorem,
His modo, poſt illis apparet Delia terris
Exoriens ſimul atque cadens. quia fertur in orbem
Ventris, et acclivis pariter declivia iungit,
Atque alios ſuperat gyros, alioſque relinquit.

Ex

Vulg. v. 221. GLOMERABILIS. 224. GENTES. 227. GENTIBUS. 228. SIMUL ICTA per OMNES. 229. DEFICERET.

calis impendet, ii non vident helicen. Hoc verum eſt, et vera cauſa aſſignatur; quod tractus laterum telluris ſuo tumore *obſtant* et impediunt, quo minus videri poſſit.

V. 221. TE TESTEM DAT, LUNA, SUI GLOMERABILIS ORBIS. *Dat* ſine nominativo hic fertur; et deeſt *tellus:* quod nullo iure conceditur. Recte igitur ſagaciſſimus Gronovius,

Te teſtem dat, luna, ſui glomeraminis *orbis.*

Orbis terrae te teſtem citat ſuae rotunditatis. *Glomeramen* eo ſenſu ſaepe Lucretius. Noſter iv, 523.

Pleiadum parvo referens glomeramine *ſidus.*

V. 224. SED PRIUS EOAE QUAERUNT TUA LUMINA GENTES. *Gentes* haeſit a ſuperiore verſu. Et ſane intra quinque lineas ter repetitur invenuſte. Repono,

Sed prius eoae quaerunt tua lumina TERRAE.

V. 225. POST, MEDIO SUBIECTA POLO QUAECUMQUE COLUNTUR, ULTIMA AD HESPERIOS INFECTIS VOLVERIS ALIS. Verſus ſpurii et inepti. *Subiecta* quod oportuit *ſubiectae*, ut ſupra *eoae terrae*. *Ultima* pro *denique, poſtremo*; ne latine quidem. Et *volveris alis* monſtroſe. Quis enim *alas* lunae attribuit? *Hoc plane ἰδιωτικόν*, inquit Scaliger: maluit tamen auctori, quam falſario imputare. *Volveris alis*; nihil ſtultius. Certe ſi alas habet, non volvitur ſed volat.

V. 227. QUATIUNTUR GENTIBUS AERA. Immo, ne odioſa fiat repetitio, repone,

Seraque in extremis quatiuntur FINIBUS *aera.*

ut ii, 275.

extremis *iungit ſe* finibus *ipſa.*

V. 228. SIMUL ICTA PER OMNES DEFICERET PARITER TOTI MISERABILIS ORBI. Repone,

SEMEL ORTA *per* OMNEM
DEFICERES *pariter toti miſerabilis orbi.*

Omnem et *ſemel orta* codices univerſi. Semel per omnem tellurem orireris et deficeres: non

Ex quo colligitur terrarum forma rotunda.
Hanc circum variae gentes hominum atque ferarum,
Aëriaeque colunt volucres. pars eius ad arctos
Eminet, austrinis pars est habitabilis oris;
Sub pedibusque iacet nostris, supraque videtur
Ipsa sibi; fallente solo declivia longa,
Et pariter surgente via, pariterque cadente.
Hanc ubi ad occasus nostros sol aspicit ortus,
Illic alma dies sopitas excitat urbes,
Et cum luce refert operum vadimonia terris.
Nos in nocte sumus, somno sic membra locamus.
Pontus utrasque suis disiungit et alligat undis.
Hoc opus, inmensi constructum corpore mundi,
Membraque naturae diversa condita forma
Aëris atque ignis terrae pelagique iacentis,

Vis

Vulg. v. 242. HINC ubi AB OCCASU. 243. ORTA. 246. UTROSQUE——DISTINGUIT.

per vices, nunc hic, nunc illic. *Deficeres* scribe, hoc est, *tu, o luna:* ut supra.

V. 235. EX QUO COLLIGITUR TERRARUM FORMA ROTUNDA. Versus inficetus et spurius. *Terrarum* hic habes: cum mox sequatur *hanc* et *pars eius.* Ergo *terrae* dictum oportuit, non *terrarum.* Vide vero sententiam:

Sed quia per teretem deducta est terra tumorem.

Hoc est, *quia terra rotunda* est, luna non simul omnibus terris exoritur: *ergo terra rotunda est.* Nonne dialectice loquitur, ut nihil supra?

V. 242. HINC UBI AB OCCASU NOSTROS SOL ASPICIT ORTUS. Libri omnes, *Hanc* ubi *ad occasus* nostros. Repone,

HANC *ubi* AD OCCASUS *nostros sol aspicit ortus,*
Illic ALMA *dies sopitas excitat urbes.*

Hanc partem telluris austrinam, sive hemisphaerium alterum quod infra nostrum est horizontem, *ubi ad occasus nostros* positus *sol aspicit: sol ortus*, hoc est *sol oriens*, casu nominativo. *Alma dies*; quia *ortus* et *orta* pene contigua ferri non possunt.

V. 245. NOS IN NOCTE SUMUS, SOMNO SIC MEMBRA LOCAMUS. Ita Scaliger ex coniectura: nam libri omnes, *somnosque in membra locamus.* Versus spurius est et barbarus: quem emendare velle, est laterem lavare. Atque huc ab interpolatore quodam intrusum esse, versus sequens monstrabit. Certe, cum supra 242, *solem ad occasus nostros* statuisset, quid opus erat monitore, *nos postea in nocte esse?*

V. 246. PONTUS UTROSQUE SUIS DISTINGUIT ET ALLIGAT UNDIS. Cur sodes *utrosque*, homines scilicet aut populos? In superiore quidem spurio *nos* habemus; at in prioribus non *incolas* partis austrinae, sed *regiones* ipsas. Repone,

Pontus UTRASQUE *suis* DISIUNGIT *et alligat undis.*

Utrasque, scilicet *partes*, nostram *arcticam*, et illam *austrinam.* Hinc patet *νοθεία* praecedentis

cedentis

Vis animae divina regit; ſacroque meatu
Conſpirat deus, et tacita ratione gubernat,
Mutuaque in cunctas diſpenſat foedera partes,
Altera ut alterius vires faciatque, feratque,
Summaque per varias maneat cognata figuras.
Nunc tibi ſignorum lucentes undique flammas
Ordinibus certis referam. primumque canentur
Quae medium obliquo praecingunt ordine mundum,
Solemque alternis vicibus per tempora portant,
Atque alia adverſo luctantia ſidera mundo.
Omnia quae poſſis caelo numerare ſereno.
E quibus et ratio fatorum ducitur omnis:
Ut ſit idem primum, mundi quod continet arcem.
Aurato princeps aries in vellere fulgens
Reſpicit, admirans averſum ſurgere taurum,

Sub-

Vulg. v. 252. ET MULTA. 253. ALTER. 257. MEDIA.

caedentis verſus: quo interpoſito, conſtructio ita turbatur, ut *utraſque partes* vix recte dicas. *Diſiungit et alligat:* haec antitheta, et ſimilia infinita, *ſurgitque caditque, ſequiturque fugitque,* deliciae ſunt hujus ſcriptoris. Ceterum *pontus* hic horizon eſt, ut Graeci Latinique paſſim: et fruſtra eſt Huetius, qui Scaligerum hic ſugillat, ipſe caſtigandus.

V. 252. ET MULTA IN CUNCTAS DISPENSAT FOEDERA PARTES. Hoc ſane ſupra neceſſitatem et fidem; ut *cunctae et ſingulae* partes habeant *multa* inter ſe foedera. Repone,

MUTUAQUE *in cunctas diſpenſat foedera partes.*

Noſter ii, 359.

Mutua *nec magno conſenſu* foedera *ſervant.*

Firmat, quod ſtatim ſequitur, *altera ut alterius,* hoc eſt, *mutuo.* Cum ab ignaro librario *multaque* ſcriptum eſſet; acceſſerunt boni correctores, qui metri gratia *et multa* ſubſtituerunt.

V. 253. ALTER UT ALTERIUS. Quis eſt iſte *alter?* Scaliger malebat *alterum.* Repone, ALTERA *ut alterius. In cunctas partes diſpenſat foedera, ut altera* pars *alterius,* &c. Sed hoc alii ante nos viderunt.

V. 257. QUAE MEDIA OBLIQUO PRAECINGUNT ORDINE MUNDUM. Sic et libri omnes: ſed reponendum,

Quae MEDIUM *obliquo praecingunt ordine mundum.*

ſic infra, 281. *medium mundum:* et 308. *medium orbem.*

V. 259. ATQUE ALIA ADVERSO. Hoc eſt, *Quae portant ſolem atque alia ſidera,* &c. ſive planetas: non ut alii perperam caſu recto: *Atque alia ſidera* canentur.

V. 262. UT SIT IDEM MUNDI PRIMUM, QUOD CONTINET ARCEM. Sic verba colloces;

Ut ſit idem PRIMUM, MUNDI *quod continet arcem.*

V.

Submiſſo vultu geminos et fronte vocantem.
Quos ſequitur cancer, cancrum leo, virgo leonem.
Aequato tum libra die cum tempore noctis
Attrahit ardenti fulgentem ſcorpion aſtro.
In cuius caudam contentum dirigit arcum
Mixtus equo, volucrem iam mittens iamque ſagittam.
Tum venit anguſto capricornus ſidere frigens.
Poſt hunc inflexam defundit aquarius urnam,
Piſcibus aſſuetas avide ſubeuntibus undas.
Quos aries tangit claudentes ultima ſigna.
Haec igitur texunt aequali ſidera tractu
Ignibus in varias caelum laqueantia formas.
Altius his nihil eſt. haec ſunt faſtigia mundi.

Publica

Vulg. v. 269. CONTENTO ARCU. 270. MISSURUS. 271. FLEXUS.

V. 269. CONTENTO DIRIGIT ARCU MIXTUS EQUO VOLUCREM MISSURUS IAMQUE SAGITTAM. Libri veteres *contento arcu*; recentiores *contentum arcum:* recte. Ita lib. ii, 171. libri univerſi de eodem centauro:

qui intentum *dirigit* arcum
Iunctus equo.

Porro illud *miſſurus iamque ſagittam* plane barbarum eſt. Dederat auctor,

CONTENTUM *dirigit* ARCUM
Mixtus equo, volucrem IAM MITTENS IAMQUE *ſagittam.*

V. 271. TUM VENIT ANGUSTO CAPRICORNUS SIDERE FLEXUS., Non placet illud *flexus:* cum ſtatim ſequatur, *poſt hunc inflexam*; alterutrum in mendo ſit, neceſſe eſt. Atqui poſterius bene habet, ut iv, 259.

Ille quoque inflexa *fontem qui proiicit* urna.

Lege igitur,

Tum venit anguſto capricornus ſidere FRIGENS. ut ii, 252.
Teque tuo, capricorne, gelu contractus in aſtris.

V. 275. HAEC IGITUR TEXUNT AEQUALI SIDERA TRACTU. Hic verſus cum ſex ſequentibus longe ultra ſuas ſedes in ſcriptis libris editiſque transferuntur; poſt verſum nempe 538.

Non caſus opus eſt, magni ſed numinis ordo.

Atqui hic ſuum locum habent, ut ſtatim videbis. *Haec*, inquit, *ſidera texunt aequali tractu*. Quaenam autem iſta ſunt, niſi duodecim in zodiaco, quae ſingula, occupant gradus triginta *tractu aequali?* Sic enim infra, i, 556.

Efficiunt orbem zonae, qua ſigna feruntur
Bis ſex aequali ſpatio texentia *caelum.*

Quippe extra zodiacum inaequalia ſpatia a ſignis occupantur, ut ne unum quidem alteri par ſit. Tum illud quoque,

Altius his nihil eſt, haec ſunt faſtigia mundi,

plane de zodiaci ſignis dictum eſt, ut ſupra 262.

Ut ſit idem primum, mundi quod continet arcem.

V. 282. AT QUI FULGENTES CAELO CONSURGIT AD ARCTOS. *Qui*, hoc eſt, *axis*; qui verſu demum hinc quinto primum conſpicitur. Deinde ſi *qui* hic recipis, duos axes neceſſario admittis, hunc qui ad arctos ſurgit,

Publica naturae domus his contenta tenetur
Finibus, amplectens pontum terrasque iacentes.
Omnia concordi tractu veniuntque, caduntque,
Qua semel incubuit caelum, versumque resurgit.
At qua fulgentes caelum consurgit ad arctos,
Omnia quae e summo despectant sidera mundo,
Nec norunt obitus, unoque in vertice, tantum
In diversa sitae, caelumque et sidera torquent;
Aëra per gelidum tenuis deducitur axis,
Libratumque regit diverso cardine mundum:
Sidereus circa medium quem volvitur orbis,
Aethereosque rotat cursus; immotus ad ille
Austrinas arctos magni per inania mundi
Perque

Vulg. v. 282. QUI—CAELO. 283. quae summo. 287. GERIT. 290. IN BINAS.

surgit, alterum qui ad ima descendit. Repone igitur,

At QUA *fulgentes* CAELUM *consurgit ad* [*arctos.*

Duo sane recentiores *caelum.*

V. 283. OMNIA QUAE SUMMO. Concinnius legas, *omnia quae* E *summo.*

V. 284. UNOQUE IN VERTICE TANTUM IN DIVERSA SITAE CAELUMQUE ET SIDERA TORQUENT. Libri universi *situ: sitae* a Scaligero. Sed et hi duo versus a mala manu sunt. Quam frigide illud *tantum?* Neque hic erat locus describendi *binas arctos,* cum per arctos nil nisi polum ipsum significet. Arctorum *situs* postea eleganter describit i, 310.

Nec paribus positae sunt frontibus: utraque caudam
Vergit in alterius rostrum, sequiturque sequentem.

Ergo, si *non positae sunt paribus frontibus*, illud idem est, quod *in diversa sitae.* Vapulet igitur interpolator.

V. 287. LIBRATUMQUE GERIT DIVERSO CARDINE MUNDUM. Codices omnes *regit:* mutatum a Scaligero.

V. 290. IN BINAS ARCTOS MAGNI PER INANIA MUNDI PERQUE IPSUM TERRAE DIRECTUS CONSTITIT ORBEM. *Constitit* Scaligero debetur; nam libri omnes *conspicit:* et recte: nam in alio vocabulo latet mendum. Repone,

AUSTRINAS *arctos magni per inania mundi*
Perque ipsum terrae directus CONSPICIT *orbem.*

Ubi ordo est: *axis ille,* qui a septentrione iuxta ursas maiorem et minorem incipit, *directus conspicit austrinas* et oppositas *arctos per inania mundi et ipsum terrae orbem.* Ita infra 588.

Circulus austrinas qui stringit et obsidet arctos.

Binae arctos sunt ursa maior minorque, neque polos utrosque arcticum et antarcticum significare possunt. iii, 409.

geminasque ostendit in arctos.

Conspicit, axis scilicet: ut mox i, 300. de eodem:

Ipse videt circa volitantia cuncta moveri.

V.

Perque ipſum terrae directus conſpicit orbem.
Nec vero ſolidus ſtat robore corporis axis,
Nec grave pondus habet, quod onus ferat aetheris alti.
Sed cum aër omnis ſemper volvatur in orbem,
Quoque ſemel coepit, totus volet undique in ipſum:
Quodcumque in medio eſt, circa quod cuncta moventur,
Uſque adeo tenue, ut verti non poſſit in ipſum,
Nec iam inclinari, nec ſe convertere in orbem,
Hoc dixere axem, quia motum non habet ullum:
Ipſe videt circa volitantia cuncta moveri.
Summa tenent eius miſeris notiſſima nautis
Signa, per inmenſum cupidos ducentia pontum:
Maioremque helice maior decircinat arcum.
Septem illam ſtellae certantes lumine ſignant:
Qua duce per fluctus Graiae dant vela carinae.
Anguſto cynoſura brevis torquetur in orbe,

Quam

Vulg. v. 291. CONSTITIT. 292. E SOLIDO——ROBUR——EIUS. 297. ID.

V. 292. NEC VERO E SOLIDO STAT ROBUR CORPORIS EIUS. Libri omnes *robore*: et duo vetuſtiſſimi, Gemblacenſis et Lipſienſis, *eï* pro *eius*: *robur* a Scaligero eſt: verſus mendoſus et ſemibarbarus: Lego,

Nec vero SOLIDUS *ſtat* ROBORE *corporis* AXIS.

A Virgilio habuit, quem ſaepe imitatur. Aen. ii, 639. *vos o quibus integer aevi*
Sanguis, ait, ſolidaeque ſuo ſtant robore *vires.*

V. 297. USQUE ADEO TENUE, UT VERTI NON POSSIT ID IPSUM. *Id* a Scaligero eſt: libri univerſi *in ipſum*: ut ſupra, 295.
totus volet undique in ipſum.
In ipſum perinde eſt, ac *in ſe* vel *in ſe ipſum*: hoc auctori noſtro perpetuum propriumque eſt. Nulla ergo cauſa eſt, cur *id* admittamus.

V. 298. NEC IAM INCLINARI, NEC SE CONVERTERE IN ORBEM. Verſus ineptus et ſpurius. Nihil novi dicit; nihil quod non in priore eſt. *Inclinari* autem prave hic et barbare.

V. 307. TAM SPATIO, QUAM LUCE MINOR. Libri veteres, QUAM *ſpatio*, TAM *luce minor*. Elegantius: quia iam de *ſpatio* locutus eſt, illi *maiorem arcum* aſſignans, huic *orbem anguſtum*. Ut igitur *ſpatio*, quod iam dictum; ita, quod nunc dicitur, *luce* minor. Virgil. Aen. viii, 723.
Quam *variae linguis, habitu* tam *veſtis et armis.*

V. 309. NON APPARENTEM PELAGO QUAERENTIBUS ORBEM. Quid? an nunquam Poeni cynoſuram ſervant; niſi cum novum *orbem* quaerunt, extra Herculis columnas? Immo in mari ſuo mediterraneo quotieſcumque littus non vident. Repone,

Non

Quam ſpatio, tam luce minor: ſed iudice vincit
Maiorem Tyrio. Poenis haec certior auctor,
Non apparentem pelago quaerentibus oram.
Nec paribus poſitae ſunt frontibus. utraque caudam
Vergit in alterius roſtrum, ſequiturque ſequentem.
Has inter fuſus, circumque amplexus utramque
Dividit et iungit ſquamis ardentibus anguis;
Ne coëant, abeantve ſuis a ſedibus umquam.
Hunc inter, mediumque orbem, quo ſidera ſeptem
Per bis ſena volant contra nitentia ſigna,
Mixta ex diverſis conſurgunt viribus aſtra,
Hinc vicina gelu, caelique hinc proxima flammis:
Quae, quia diſſimilis, qua pugnat, temperat aër,
Frugiferum ſub ſe reddunt mortalibus orbem.
Proxima fulgentes arctos, boreamque rigentem
Nixa venit ſpecies genibus, ſibi conſcia cauſae.

A

Vulg. 307. TAM—QUAM. 309. ORBEM. 311. ROSTRO. 313. CINGIT STELLIS. 318. POLIS. 321. FRIGENTES.

Non apparentem pelago quaerentibus ORAM.

V. 311. VERGIT IN ALTERIUS ROSTRO. *Vergere caudam in roſtro,* vix bene latine dicitur. Repone, *Vergit in alterius* ROSTRUM, vel MERGIT *in alterius roſtro.*

V. 313. DIVIDIT ET CINGIT STELLIS ARDENTIBUS ANGUIS. Lego,

Dividit et IUNGIT SQUAMIS *ardentibus anguis.*

Dividit et iungit; antitheton huic ſcriptori ſollemne. *Squamis,* non *ſtellis:* Virgilius de angue, Aen. v, 87.

Caeruleae cui terga notae, maculoſus et auro
Squamam incendebat fulgor.

V. 318. HINC VICINA POLIS, CAELIQUE HINC PROXIMA FLAMMIS. *Polis* a Scaligero eſt: perperam. Inter *hunc* anguem, ait auctor, et *zodiacum* ſidera veniunt e diverſis frigoris et caloris viribus temperata. De noſtro igitur polo hic agit, non etiam de antarctico. Libri omnes *poli:* ſed noſter aliique dativum hic uſurpant: ut v, 174.

Nunc cancro vicina *canam.*

Facile eſt reponere *polo:* ſed vide annon verius ſit,

Hinc vicina GELU, *caelique hinc proxima flammis.*

Gelu et *flammae* ipſa per ſe oppoſita ſunt: *polus* et *flammae,* non niſi per aliquod tertium.

V. 321. PROXIMA FRIGENTES ARCTOS BOREAMQUE RIGENTEM. Apage iſta *frigentes rigentem:* tam ſono ſimilia, quam ſenſu eadem. Repone,

Proxima FULGENTES *arctos boreamque rigentem.*

Sic ſolet Noſter: ſupra, 282.

At qua fulgentes *caelum conſurgit ad* arctos.

Infra, 564.

Circulus ad boream fulgentem *ſuſtinet* arcton.

V.

A tergo nitet arctophylax; idemque boötes,
Quod ſtimulis iunctis inſtat de more iuvencis,
Arcturumque rapit medio ſub pectore ſecum.
At parte ex alia claro volat orbe corona,
Luce micans varia: nam ſtella vincitur una
Circulus, in media radiat quae maxima fronte;
Candidaque ardenti diſtinguit lumina flamma,
Gnoſſia deſertae quondam monumenta puellae.
At lyra diductis per caelum cornibus inter
Sidera conſpicitur, qua quondam ceperat Orpheus
Omne quod attigerat cantu, maneſque per ipſos

Fecit

Vulg. v. 324. SIMILIS. 328. RADIANS——PROXIMA. 330. ET FULGENT.

V. 324. QUOD SIMILIS IUNCTIS INSTAT DE MORE IUVENCIS. *Cui* ſimilis? ut recte interrogat Scaliger. Idem egregie corrigit,

Quod ſtimulo *iunctis inſtat de more iuvencis.*

Sic, ait, *ex Gemblacenſi legere malim:* atqui et iſte liber et ceteri omnes *ſimilis:* quare hoc viri magni coniecturae debeatur. Tibull.i,i,10.

Aut ſtimulo *tardos increpuiſſe boves.*

Hic tamen lege STIMULIS, ut Ovid. Met. xiv, 647.

Saepe manu ſtimulos *rigida portabat, ut illum*
Iurares feſſos modo diſiunxiſſe iuvencos.

V. 328. CIRCULUS, IN MEDIA RADIANS QUAE PROXIMA FRONTE. Quorſum pertinet illud *proxima?* Vetuſti quattuor *maxima*. Repone,

Circulus in media RADIAT *quae* MAXIMA *fronte.*

Ideo ab una ſtella *vincitur* ceterarum circulus, quia haec *maxima*. *Radiat* autem ſententia ipſa flagitat.

V. 330. GNOSSIA DESERTAE ET FULGENT MONUMENTA PUELLAE. Omnes praeter Gemblacenſem et Lipſienſem *fulgent*, omiſſo *et*. Utroque modo, conſtructio perturbata eſt. Mirum ni ab interpolatore hoc venerit. Repono, per epexegeſin,

Gnoſſia deſertae QUONDAM *monumenta puellae.*

Noſter v, 253. *tollentur ab undis*
Clara Ariadneae quondam monumenta *coronae.*

Avienus de corona: *[amoris.*
Haec quondam *Bacchi* monumentum *fulget*

V. 335. HUIC CAELESTIS HONOS. Tres vetuſti *hinc:* recte. *Hinc*, ob hanc *cauſam*, quia omnia et manes ipſos cantu ceperat: ideo ſequitur, potentia ſimilis *cauſae.*

V. 338. SERPENTEM MAGNIS OPHIUCHUS NOMINE SIGNIS DIVIDIT. Quaenam ſunt illa *magna ſigna*, ophiucho ſcilicet atque angue maiora? et quomodo *dividit* ſerpentem a magnis ſignis, qui ipſe totus a ſerpente cingitur? Dederat auctor,

Serpentem GRAIIS *ophiuchos nomine* DICTUS.

Cicero in Arateis,

propter caput anguitenentis,
Quem claro perhibent ophiuchon nomine graii.

Noſter ii, 693. de dodecatemorio,

Quae tantum graio *ſignari* nomine *poſſit.*

et 908. *deus ille locus ſub* nomine graio
Dicitur. et iv, 816.

quas

Fecit iter, domuitque infernas carmine leges.
Hinc caeleſtis honos, ſimiliſque potentia cauſae:
Tunc ſilvas et ſaxa trahens, nunc ſidera ducit,
Et rapit inmenſum mundi revolubilis orbem.
Serpentem Graiis ophiuchos nomine dictus
Dividit, atque etiam toto ingens corpore corpus
Explicat, et nodos ſinuataque terga per orbes.
Reſpicit ille tamen molli cervice reflexus,
Et redit, eluſis per laxa volumina palmis.
Semper erit paribus bellum, quia viribus aequant.
Proxima ſors cygni, quem caelo Iuppiter ipſe

Im-

Vulg. v. 335. HUIC. 338. MAGNIS——SIGNIS. 339. ET TOTO MERGENTEM. 342. EXPEDIT EFFUSIS.

quae ſint ecliptica graio
Nomine. et v, 645.
Nixa genu ſpecies, et graio nomine dicta
Engonaſin.

V. 339. ET TOTO MERGENTEM CORPORE CORPUS EXPLICAT. Quid hic ſibi vult *mergentem?* Scaliger tacet: at Huetius auctori dicam ſcribit: quod *inſecta* quidem corpus corpore *mergere* poſſunt; at *ſerpentes* minime, ob oſſeam ſpinam. Hoc quidem verum: ſed incaſſum et fruſtra hic adnotatur. Gemblacenſis codex a prima manu; non, ut Scaligero creditum eſt, a ſecunda;

Dividit, ATQUE ETIAM TOTO INGENS *corpore corpus*
Explicat, et nodos, ſinuataque terga per orbes.

Lipſienſis et Voſſianus;

Dividit, et iam toto ingentem *corpore corpus.*

Cum *atque* excidiſſet; ut ſyllabarum numerus verſui conſtaret, dederunt *ingentem*: ex *ingentem* recentiores *mgentem*. Recte ſine dubio Gemblacenſis. Recte enim dixeris, *explicat corpus et nodos et terga*; ſed ſi admiſeris, *explicat mergentem corpus et nodos*; vel, ut coniectare facile eſt, *cingentem*; ut Germanicus,

medium cingens ophiuchum;

et Avienus, *medium cingit ſpiris ophiuchum*: non recte addas, *et nodos*. Conſtructio enim poſtularet, *cingentem nodos*; ſenſu nullo.

V. 342. EXPEDIT, EFFUSIS PER LAXA VOLUMINA PALMIS. RESPICIT ILLE TAMEN MOLLI CERVICE REFLEXUS. Haec a Scaligero infeliciter immutata ſunt. Libri alio ordine ferunt,

Reſpicit ille tamen molli cervice reflexus,
Et dedit effuſis per laxa volumina palmis.

Unde certa naſcitur emendatio,

Et REDIT ELUSIS *per laxa volumina palmis.*

Ophiuchus utraque manu ſerpentem, quantum poteſt, conſtringit: ille contra eludit ſtringentem, et per eius manus elabitur. Germanicus,

Lux tenuis manibus, per quas elabitur anguis,
Preſſus utraque manu medium cingens ophiuchum.

Noſter i, 875.

Squalidaque eluſi *deplorant arva coloni:*

ubi vetuſti codices, ut hic omnes, *effuſi.*

V. 343. SEMPER ERIT PARIBUS BELLUM, QUIA VIRIBUS AEQUANT. Verſus barbarus, et auctori ſuppoſitus: *aequant* pro *aequantur*. *Paribus, quia viribus aequant*; hoc eſt, paribus, quia pares ſunt.

Imposuit, formae pretio, qua cepit amantem:
Cum deus in niveum descendit versus olorem;
Tergaque fidenti subiecit plumea Ledae.
Nunc quoque diductas volitat stellatus in alas.
Hinc imitata nitent cursumque habitumque sagittae
Sidera. tum magni Iovis ales fertur in altum,
Assueto volitans gestet ceu fulmina mundo;
Digna Iove, et caelo quod sacris instruit armis.
Tum quoque de ponto surgit delphinus ad astra,

Oceani

Vulg. 345. PRETIUM. 347. FIDENTI. 351. MUNDI.

V. 345. FORMAE PRETIUM QUA CEPIT AMANTEM. Gemblacensis codex *pretio*: ceteri omnes *pretium*. Recte *pretio* per appositionem. *Imposuit caelo, pretio formae.* Caelum scilicet erat formae pretium.

V. 347. TERGAQUE FIDENTI. Cur *fidenti Ledae?* an Ledam per aethera portavit volando; ut Europam per aequor natando? Nemo hoc finxit. Repone,

Tergaque SIDENTI *subiecit plumea Ledae.*

Leda scilicet cygni tergo insidebat. Noster v, 85.

Necnon alterno desultor sidere dorso
Quadrupedum.

Ovid. Met. ii, 869. *ausa est quoque regia virgo,*
Nescia quem premeret, tergo considere *tauri*.

V. 351. ASSUETO VOLITANS, GESTET CEU FULMINA MUNDI. Scaliger, vitiosa lectione implicitus, *Assueto*, inquit, *pro magis assueto*: Huetius adverbialiter sumit, *assueto*; perinde in caelo, ut in aëre solet. Utrumque auctore indignum. Repone et distingue,

Assueto volitans gestet ceu fulmina MUNDO.

Volans expansis alis, ceu gestet fulmina caelo assueto: cui scilicet per diuturnas operas assueverat. Contra Virgilius Ecl. v, 56.

Candidus insuetum *miratur* limen olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.

Noster i, 273.

Piscibus assuetas *avide subeuntibus* undas.

Ovidius Heroid. xviii, 22.

Meque per assuetas *sedula ferret* aquas.

et xix, 36.

Ponimus assuetae *signa notamque* viae.

V. 357. QUAM PERSEOS ARMUS EXCIPIT. Haec a Scaligero sunt: codices universi, *quam Perseus armis Eripit.* Frustra vero medicina adhibetur; cum sine dubio spuria sint, et in morboniam releganda. Repone,

Et finitur in Andromeda. succedit iniquo.

Equus, inquit, non integer est, sed dimidiatus; et ab umbilico in Andromedae signo consumitur. Vides Andromedae mentionem tantum obiter hic fieri: illius vero et Persei ἀστροθεσίαν infra habes i, 364, &c. Adde quod deltoton *iniquo* quidem sive magno *spatio* ab equo *divisum est*; sed *Perseo* satis propinquum est: et *succedit* quidem equo, dum sidera moventur, sed Persea *antecedit*.

V. 359. QUOI TERTIA LAMPADA DISPAR CONSPICITUR PARIBUS. *Lampada* casu recto pro *lampas* excusant Scaliger et Huetius; quia Priscianus (p. 758.) *Invenimus*, inquit, *auctores, plerumque graecos servantes accusativos, ut lampada pro lampadem: quamvis Plautus hanc lampadam dixit in Casina: tene hanc lampadam: immo ego illam tenebo.* Atquihodie apud Plautum Cas. iv, 4. etiam vetustissimi codices *lampadem* habent; ut et Menaech. v, 2. *lampadibus ardentibus*, non *lampadis* a recto *lampada*. Quin et ipse Priscianus *lampadem* legebat scribebatque ibi, non

lam-

Oceani caelique decus, per utrumque ſacratus.
Quem rapido conatus equus comprendere curſu
Feſtinat, pectus fulgenti ſidere clarus;
Et finitur in Andromeda: *quam Perſeos armus*
Excipit, *et ſociat ſibi*. *cui* ſuccedit iniquo
Diviſum ſpatio, quod tertia linea diſpar
Conſpicitur paribus, deltoton nomine ſidus,
Ex ſimili dictum. Cepheuſque, et Caſſiepia
In poenas ſignata ſuas: iuxtaque relicta

An-

Vulg. v. 359. QUOI TERTIA LAMPADA. 362. RELICTAM.

lampadam: quod ipſius verba evincunt, quae de accuſativis a nominativo *graeco*, non a *latino* inflexis. Sed viderit hoc Plautus: non ea venia noſtro dabitur, ſub exitu Auguſti. Noſter i, 844.

Lampadas et fiſſas ramoſos fundit in ignes.

Sic ibi codices univerſi: et brevis ultima ſatis oſtendit caſum ibi rectum *lampas* eſſe, non *lampada*. Ceterum codices, *quod* habent, non ut Scaliger *quoi*. Repone,

QUOD *tertia* LINEA *diſpar*
Conſpicitur paribus, *deltoton nomine ſidus*
A ſimili dictum.

Deltoton, inquit, *nomine*, quia inſtar literae Δ delta, unam ex tribus lineam habet breviorem duabus reliquis, quae inter ſe pares ſunt. *Linea*, inquam, longitudine diſpar, non lampas ſive ſtella luce et ſplendore diſpar, deltoto nomen facit. Clare Aratus phaen. 234.

τὸ δ' ἐπὶ τρισὶν ἐστάθμηται
Δελτωτὸν πλευρῇσιν, ἰσαιομένῃσιν ἐοικὸς
Ἀμφοτέρῃς· ἡ δ' οὔτι τόση.

Ubi Scholiaſtes: τὸ Δελτωτὸν, τρίγωνόν ἐστιν ἰσοσκελὲς, οὐκ ἰσόπλευρον· τὰς γὰρ καθέτους πλευρὰς ἴσας ἔχει, τὴν δὲ κάθετον ὑποτείνουσαν βραχυτέραν ἐκείνων. Avienus de baſi deltoti,

Tertia, *quae ſtantes ſuſtentat* linea *ductus*,
Parcior, *haud ſimili ſeſe ſub limite tendit.*

Germanicus de re eadem;

Tres illi laterum ductus: aequata duorum
Sunt ſpatia: unius brevior, ſed clarior ignis.

Sic hodie fertur, *brevior*. Ergo *ignis*, inquit Scaliger, *pro tota baſi hic ſumitur, cum tamen nullus ſit ignis in lineis, ſed in angulis.* Haec vero mirifica ſunt. Quam in promptu erat correxiſſe, *unius* BREVIUS? hoc eſt, *unius* lateris *brevius* quidem eſt *ſpatium:* ſed ſtellam clariorem habet. Atque ita *lampadam* iſtam, quae Scaligeri Huetiique oculis caliginem offudit, prorſus extinximus.

V. 362. IUXTAQUE RELICTAM ANDROMEDAM VASTOS METUENTEM PISCIS HIATUS EXPOSITAM PONTO DEFLET SCOPULISQUE REVINCTAM: NE VETEREM PERSEUS CAELO QUOQUE SERVET AMOREM. *Ne veterem* nullo ſenſu fertur. Scaliger coniiciebat *ni*, probante poſtea Huetio malente tamen *ut*, quod tanto ingenio indignum eſt. Gemblacenſis et Lipſienſis *in*; at Voſſianus clare *ni*. Hoc tamen poſito, priora illa mendi arguuntur. Vide modo orationis ſeriem. *Deflet*, inquit, mater filiam *metuentem* piſcis hiatus; *ni Perſeus ſervet amorem*. Atqui ſi *nunc metuit*, fruſtra infertur *ni*; quod eſt *prohibentis metuere*. Deterius eſt, quod ſequitur: deflet *expoſitam ponto et revinctam ſcopulis*, *ni Perſeus auxilio iuvet*. Hic vero illud *ni* hoc intus in ſe habet; liberatam eſſe in caelo Andromedam, et ſcopulis ſolutam. *Scopulis*, inquit, *revincta* eſſet, ni Perſeus auxilium tuliſſet. Atqui in ἀστροθεσίᾳ ſemper in iiſdem vinclis manſit et manebit. Non auctoris haec peccata ſunt,

ſed

Andromede vaſtos metuat iam priſtis hiatus,
Expoſitam ponto deflet, ſcopuliſque revinctam,
Ni veterem Perſeus caelo quoque ſervet amorem,
Auxilioque iuvet, fugiendaque Gorgonis ora
Suſtineat, ſpoliumque ſibi peſtemque videnti.
Tum vicina ferens nixo veſtigia tauro
Heniochus, ſtudio mundumque et nomen adeptus;
Quem primum curru volitantem Iuppiter alto
Quadriiugis conſpexit equis, caeloque ſacravit.
Tunc ſubeunt hoedi claudentes ſidere pontum;
Nobilis et mundi nutrito rege capella:
Cuius ab uberibus magnum ille aſcendit olympum,
Lacte fero creſcens ad fulmina vimque tonandi.
Hanc ergo aeternis merito ſacravit in aſtris

Iuppiter,

Vulg. v. 363. ANDROMEDAM——METUENTEM PISCIS. 365. NE. 367. TESTEMQUE.

ſed interpolatoris qui et verſum integrum ſuppoſuit: Repone, *iuxtaque* RELICTA

ANDROMEDE *vaſtos* METUAT IAM PRISTIS *hiatus*,
NI *veterem Perſeus caelo quoque ſervet amorem*.

Niſi Perſeus prope adſit, priſco amore devinctus; iam quoque metuat cetum, ut olim in terris. *Priſtis* non *piſcis* etiam Gronovius vidit Obſerv. i, 18. *Piſcis* alii ſideri nomen eſt: hoc *priſtis, piſtris, piſtrix* vocatur Ciceroni, Germanico, Avieno. *Andromede*, ut Ovid. Heroid. xv, 35.

placuit Cepheïa Perſeo,
Andromede, patriae fuſca colore ſuae.

V. 367. TESTEMQUE VIDENTI. Recte Huetius atque ante illum Launoius *peſtemque videnti:* in ſaxam ſcilicet vertendo quicumque eam conſpexerit.

V. 378. PLEIADES HYADESQUE FERI PARS UTRAQUE TAURI IN BOREAM SCANDUNT. HAEC SUNT AQUILONIA SIGNA. Libri habent *Pleiadeſque* et *Borean*; ſed verſus hi duo ſuppoſiti ſunt. Vide modo, pleïades hyadeſque, *utraque*; barbare, pro *utraeque*. Deinde cum *pars* tauri ſint, in ipſo tauro memoratae ſunt. Denique quomodo pleïades hyadeſque *aquilonia ſigna* ſunt? utique *pars* tauri ſunt; taurus totus in zodiaco eſt: aquilonia vero ſunt, quae intra zodiacum polumque ſunt arcticum.

V. 380. ASPICE NUNC INFRA SOLIS SURGENTIA CURSUS. *Infra?* immo INTRA legendum. A borealibus ſignis deſcendens verſus auſtrina, iubet notare illa quae media ſunt et *intra* zodiacum labuntur: quae, quia ſupra memorata ſunt, i, 263. hic indicta praeterit. Si *infra* adſciſcis; quomodo ſodes *ſuper exuſtas terras* labuntur? cum zona torrida *intra* tropicos tota ſita ſit, non *infra*.

V. 383. IMO SUBNIXUM VERTUNTUR SIDERA MUNDUM. *Sidera* ſolus Gemblacenſis: ceteri omnes *lumina:* quod amplectimur; quia *ſidera* verſu ab hinc altero praeceſſerat.

V. 384. ALTERA PARS ORBIS SUB AQUIS IACET INVIA NOBIS. Hunc et novem

vem

Iuppiter, et caeli caelum mercede rependit.
Pleïades hyadesque, feri pars utraque tauri
In boream scandunt. haec sunt aquilonia signa.
Aspice nunc, intra solis surgentia cursus,
Quae super exustas labuntur sidera terras;
Quaeque intra gelidum capricorni sidus et axe
Imo subnixum vertuntur lumina mundum:
Altera pars orbis sub quîs iacet invia nobis,
Ignotaeque hominum gentes, nec transita regna,
Commune ex uno lumen ducentia sole;
Diversasque umbras, laevaque cadentia signa,
Et dextros ortus caelo spectantia verso.
Nec minor est illis mundus, nec lumine peior,
Nec numerosa minus nascuntur sidera in orbem.

Caetera

Vulg. v. 380. INFRA. 383. SIDERA. 384. AQUIS. 390. ORBE.

vem sequentes, invitis codicibus, extra suas sedes relegavit Scaliger post versum scilicet 453, levibus et nullis quidem rationibus inductus: sed bonum *Fayum* in partes suas traxit. *Professus est*, inquit, *se scripturum de iis tantum signis, quae* notia *vocantur. Ea vero sola dicuntur* notia, *quae in austrum quidem submota sunt, sed tamen in conspectum nostrum veniunt.* Hoc recte: et quid tum postea? *Atqui*, ait, *in his decem versibus de iis terrae tractibus loquitur, ad quos nemo umquam nostrum penetravit,*

Ignotas hominum gentes, nec transita regna.

Atqui, ὦ θαυμάσιε, institutum argumentum deseris et destituis. Non idem est, *ad terrae tractus aliquos non posse penetrare*, et *sidera*, quae tractibus illis superveniunt. *in conspectum nostrum non posse venire.* An quisquam borealium ex auctoris huius sententia, non dico ultra notia signa, sed ultra tropicum cancri *penetrare* potuit? Pergit vero vir magnus, et versiculum istum

Nec minor est illis mundus nec lumine peior,

satis ait *declarare, de ignotis eum stellis agere*; quae numquam scilicet in conspectum nostrum veniunt. Immo nihil minus quam hoc declarat. Mundus iste non peior nostro est nec magnitudine nec lumine: prius per se patet, cum terra et mundus rotundi sint: non *lumine*, quia orionem, caniculam, argo, centaurum aliaque signa habet nostris non cedentia. Ceterum quale illud sodes est,

sub aquis *iacet invia nobis:*

Sub aquis, inquit idem, *est sub horizonte. Oceanum, pontum, undas* nonnumquam sic accipi libens concedo: totum illud *sub aquis iacere* pernego. Quisquamne scriptor dixerit, ignotas hominum gentes *sub aquis iacere*, et tamen vivere caelumque ac siderum ortus obitusque spectare? quae sodes haec esset sartago loquendi? in proximo erat vera lectio, quam Gemblacensis suppeditabat, firmantque Lipsiensis, Vossianus et Venetus,

Altera pars orbis sub QUIS *iacet invia nobis.*

Sub quis, hoc est, *sub quibus luminibus, vel sideribus.* Nihil clarius.

V. 390. NASCUNTUR SIDERA IN ORBE.

Re-

Caetera non cedunt: uno vincuntur in aftro
Augufto, fidus noftro qui contigit orbi;
Caefar nunc terris, poft caelo maximus auctor.
Cernere vicinum geminis licet oriona
In magnam caeli pandentem brachia partem,
Nec minus extento furgentem ad fidera paffu:
Singula fulgentes humeros cui lumina fignant,
Et tribus obliquis demiffus ducitur enfis.
At caput orion excelfo immerfus olympo
Per tria fubducto fignatur lumina vultu:
Non quod clara minus, fed quod magis alta recedant.
Hoc duce per notium decurrunt fidera mundum.
Subfequitur rapido contenta canicula curfu,
Qua nullum terris violentius advenit aftrum.
Nec gravius cedit: nec horrens frigore furgit.
Sic in utrumque movet mundum, et contraria reddit.

Nec

Vulg. 392. QUOD. 395. TENDENTEM. 399. IMMENSUS. 400. SUBDUCTOS ——VULTUS. 402. TOTUM.

Repone, *nafcuntur fidera in* ORBEM.

V. 392. AUGUSTO, SIDUS NOSTRO QUOD CONTIGIT ORBI. Immo vel legendum, *qui contigit*; vel *Auguftum* fidus.

V. 395. IN MAGNAM CAELI TENDENTEM BRACHIA PARTEM. Cum *magnam* dicit, non *diftantem* et *remotam*; fequitur ut auctor fcripferit,

In magnam caeli PANDENTEM *brachia partem.*

Sic Virgilius Aen. vi, 282. de ulmo,

In medio ramos annofaque brachia pandit.

Nofter v, 550.

Mollia per duras panduntur brachia *cautes.*

Quin in ἀστροθεσίᾳ orionis brachia a lateribus *panduntur*, non a pectore *tenduntur*.

V. 399. AT CAPUT ORION EXCELSO IMMENSUS OLYMPO PER TRIA SUBDUCTOS SIGNATUR LUMINA VULTUS. Duo recentiores *immerfus*, ut et Scaliger recte coniecit; omnes, *fubducto vultu*. Repone igitur,

At caput orion excelfo IMMERSUS *olympo*
Per tria SUBDUCTO *fignatur lumina* VULTU.

Immerfus et *fubducto*; quod fingeretur, caelum refpiciens, tergo nobis obverfo.

V. 402. HOC DUCE PER TOTUM DECURRUNT SIDERA MUNDUM. Hoc vero nimium eft, ut *totum* ducat mundum: omnia noftra borealia, ipfa figna zodiaci. Satis eft, fi in fua zona regnum obtineat. Repone,

Hoc duce per NOTIUM *decurrunt fidera mundum.*

Nofter i, 445.

Tum notius *pifcis venti de nomine dictus.*

et 453.

Quae notia *antiqui dixerunt fidera vates.*

V. 405. NEC GRAVIUS CEDIT, NEC HORRENS FRIGORE SURGIT. SIC IN UTRUMQUE MOVET MUNDUM, ET CONTRARIA

TRARIA

Nec vacuum solis fulgentem deserit orbem.
Hanc qui surgentem, primo quum redditur ortu,
Montis ab excelso speculantur vertice Tauri,
Proventus frugum varios, et tempora discunt;
Quaeque valetudo veniat, concordia quanta.
Bella facit, pacemque refert, varieque revertens
Sic movet, ut vidit, mundum, vultuque gubernat.
Magna fides hoc posse, color cursusque micantis
In radios: vix sole minor; nisi quod procul haerens
Frigida caeruleo contorquet lumina vultu.
Caetera vincuntur specie, nec clarius astrum
Tinguitur oceano, caelumve revisit ab undis.
Tunc procyon, veloxque lepus; tum nobilis argo,
In caelum subducta mari quod prima cucurrit,
Emerita, et magnis tandem defuncta periclis:
Servando dea facta deos; cui proximus anguis

Squamea

Vulg. 410. EVENTUS——DICUNT. 421. EMERITUM magnis MUNDUM TENET ACTA PROCELLIS.

TRARIA REDDIT. NEC VACUUM SOLIS FULGENTEM DESERIT ORBEM. *Nec horrida* Gemblacensis cum Lipsiensi. *Saevit* pro *surgit* solus Gemblacensis. Iam vero *haec vacuum* vetusti quattuor: universi denique versum tertium ante secundum ponunt. Scaliger ordinem immutabat; quocum eo nomine litigat Huetius. Ego me fateor, nec verba probare, nec sententiam capere. Mirum ni a barbaro quodam intrusa sint: cum, his demptis, nihil sensui vel orationi deesse videatur. Illud quoque vide *sic in utrumque movet mundum:* quod iterum habes et longe melius infra 413.

Sic movet, *ut vidit*, mundum, *vultuque gubernat.*

Quare abeant *ἐις κόρακας*.

V. 410. EVENTUS FRUGUM VARIOS, ET TEMPORA DICUNT. Gemblacensis *ducunt*. Repone;

PROVENTUS *frugum varios et tempora* DISCUNT.

Proventus frugum passim: *eventus* aliarum rerum; consiliorum, iudiciorum, litium, &c. Porro, i, 416. pro *caeruleo vultu* doctissimus Huetius *ventre* substituit. Frustra. Nam Manilius de stella sirio loquitur, non de toto asterismo: ut patet ex illo, *vix sole minor.*

V. 421. EMERITUM MAGNIS MUNDUM TENET ACTA PROCELLIS. Libri veteres *periclis:* recentiores *procellis*. *Procellis* sententiae parum convenit: nec *periclis agi* belle dicitur. Quin et *emeritum caelum* pro *meritum* nolim apud nostrum admittere, licet bis apud Silium hodie occurrat *emerito caelo*; locis tamen suspectis, ut doctissimi Drakenborchii editio monstrat. Utcumque id sit; quod Silii aetate licuit solitumque fuit, non idcirco et in Augusti. Certe sententia hic frustra tot verbis oneratur, *subducta in caelum*, et *tenet*

mundum

Squamea dispositis imitatur tergora flammis;
Et Phoebo sacer ales; et una gratus Iaccho
Crater; et duplici centaurus imagine fulget,
Pars iuvenis, tergo pectus commissus equino.
Ipsius hinc mundi templum est, victrixque solutis
Ara nitet sacris, vastos cum terra gigantas
In caelum furibunda tulit; cum di quoque magnos
Quaesivere deos. dubitavit Iuppiter ipse,
Quod poterat non posse timens; cum surgere terram
Cerneret, et verti naturam crederet omnem;
Montibus atque aliis aggestos crescere montes,

Et

Vulg. v. 423. LUMINA. 426. HOMINIS. 429. TUM.

mundum sive caelum; *δὶς ταυτόν*. Repono igitur, quod ipse melius esse fateberis; et, si aequus es, ipsi auctori non mihi id adscribes. Contemplare modo literarum ductus,

Emeritum magnis mundum tenet acta periclis.
EMERITA, ET *magnis* TANDEM DEFUNCTA PERICLIS.

Virgilium imitatus est, ut saepe alias, et ex latinis solum: Aen. vi, 83.

O tandem *magnis pelagi* defuncte periclis:
Sed terrae graviora manent.

Emerita navis est, quae munere suo defuncta, ut Phaselus ille Catulli, *nunc recondita*
Senet quiete.

V. 423. SQUAMEA DISPOSITIS IMITATUR LUMINA FLAMMIS. O oscitautes et indoctos librarios! Ubique ingerunt *caelum*, *mundum*, *lumina*, *sidera*, &c. Repone,

Squamea dispositis imitatur TERGORA *flammis.* ut Virgilius Georg. iii, 426.
Squamea *convolvens sublato pectore* terga.

et Aen. ii, 218. *bis collo* squamea *circum*
Terga *dati.* Noster infra 440.
Quam propter cetus convolvens squamea terga. et 612.
Et redit in caelum; squamosaque tergora *ceti.*

Quid sit, *imitari squamea lumina dispositis luminibus*, explicet, qui potest.

V. 426. PARS HOMINIS, TERGO PECTUS COMMISSUS EQUINO. Mira sane constructio, *pars hominis commissus*. Repone,

Pars IUVENIS, *tergo pectus commissus equino:*

Sic Noster de altero centauro, ii, 566.

Turba sub unius iuvenis *virtute ferarum.*

V. 429. TUM DI QUOQUE MAGNOS. Libri omnes *tumidi*: Scaliger ingeniose *tum di*; nisi quod adhuc corrigendum erat, CUM *di*; sententia continuata.

V. 434. ET TAM VICINOS FUGIENTIA SIDERA COLLES. Inepte post *montes* intulit *colles*; a maiore ad minus deveniens. Repone,

Et IAM VICINAS *fugientia sidera* MOLES.

Virgilius Aen. i, 65.

Hoc metuens molemque et montes *insuper altos.*

V. 435. ARMA IMPORTANTES ET RUPTA MATRE CREATOS DISCORDES VULTU PERMIXTAQUE CORPORA, PARTUS. Pro *creatos*, Gemblacensis *coactos*. Versus barbari et adulterini; ex margine in locum alienam intrusi. Quid? an *montes* et *moles arma importabant*, *discordes partus erant?* Nebulo hic, quisquis erat, tam commodam occasionem nactus, noluit *gigantas* dimittere, sine dono vel ipsis monstrosiore. Voluit tamen hos interseri post versum 428.

V.

Et iam vicinas fugientia ſidera moles:
Arma importantes et rupta matre creatos,
Diſcordes vultu, permixtaque corpora, partus.
Nec dum hoſtile ſibi quicquam, nec numina norat
Siqua forent maiora ſuis. tunc Iuppiter arae
Sidera conſtituit, quae nunc quoque maxima fulget.
Quam propter cetus convolvens ſquamea terga
Orbibus inſurgit tortis, et fluctuat alvo:
Intentans morſum, ſimilis iam iamque tenenti,
Qualis ad expoſitae fatum Cepheïdos olim
Expulit adveniens ultra ſua litora pontum.

Tum

Vulg. v. 434. TAM VICINOS—COLLES. 437. HOSTIFERUM——QUEMQUAM ——NORANT. 439. FULGENT. 443. UNDIS.

V. 437. HOSTIFERUM NECDUM SIBI QUEMQUAM NUMINA NORANT, SIQUA FORENT MAIORA SUIS. Libri veteres univerſi *necdum hoſtiferum ſibi.* Nec ſententiam nec verborum conſtructionem quiſquam hic evolvere queat. Repone,

Nec dum HOSTILE *ſibi* QUICQUAM, NEC *numina* NORAT
Siqua forent maiora ſuis.

Continuatur orationis ſeries. *Dubitavit Iuppiter ipſe, timens non poſſe, quod tamen poterat.* Unde vero iſta dubitatio? Ex periculi magnitudine, montibus pene ad caelum extructis: tum nondum ſuarum virium periculum fecerat, nihil adhuc hoſtile ſibi habens; neſcivit denique annon alia alicubi numina forent ſuis potentiora. Iuno apud Virgilium Aen. vii, 310. *quod ſi* mea numina non ſunt
Magna ſatis, *dubitem haud equidem implorare quod uſquam eſt.*

V. 439. QUAE NUNC QUOQUE MAXIMA FULGENT. Lege cum duobus recentioribus FULGET: *ara* ſcilicet *maxima,* non ſidera; quae in ara non ſunt niſi quartae et quintae magnitudinis.

V. 442. INTENTANS MORSUM, SIMILIS IAM IAMQUE TENENTI. Verſus ſpurius. Cui, quaeſo, *cetus morſum intentat, et ſimilis tenenti eſt?* Andromedae ſcilicet: hoc enim voluit cuculus ille, qui primus hunc verſum hic inſeruit. Atqui tam ſimilis eſt tenenti Andromedam, quam qui dimidio caelo ab ea diſtet. Cicero in Arateis,

Exin ſemotam procul in tutoque locatam
Andromedam tamen explorans fera quaerere piſtrix *Pergit.*

Et Germanicus,

At procul expoſitam ſequitur Nereïa piſtris
Andromedam: media eſt ſolis via; cum tamen illa
Terretur monſtro pelagi, gaudetque ſub axe
Diverſo poſita.

Ceterum ex Virgilio adumbratus eſt verſus, Aen. xii, 753. *at vividus umber*
Haeret hians, iam iamque tenet, ſimiliſque tenenti
Increpuit malis, morſuque eluſus inani eſt.

V. 443. QUALIS AD EXPOSITAE FATUM CEPHEIDOS UNDIS EXPULIT ADVENIENS ULTRA SUA LITORA PONTUM. Ordo eſt, *expoſitae undis:* at iſtis *fatum Cepheïdos* interiectis duo haec non poſſunt coniungi. Vetat poetarum mos, et ratio ipſa. Repone,

Qualis ad expoſitae fatum Cepheïdos OLIM
Expulit adveniens ultra ſua litora pontum.

Expoſitae abſolute: ut Germanicus,

At procul expoſitam *ſequitur Nereïa piſtris*
Andromedam.

F V.

Tum notius piſcis venti de nomine dictus
Exſurgit de parte noti; qua fuſa feruntur
Flexa per ingentes ſtellarum flumina gyros.
Ulterius capiti coniungit aquarius undas
Amnis; et in medium coëunt, et ſidera miſcent.
His, inter ſoliſque vias, arctoſque latentes
Axem quae mundi ſtridentem pondere torquent,
Orbe peregrino caelum depingitur aſtris;
Quae notia antiqui dixerunt ſidera vates.
Ultima, quae mundo ſemper volvuntur in imo,
Quîs innixa manent caeli fulgentia templa,
Nuſquam in conſpectum redeuntia cardine verſo,
Sub-

Vulg. v. 446. CUI IUNCTA. 448. ALTERIUS CAPITIS. 455. INNEXA——SIGNA.

V. 446. EXSURGIT DE PARTE NOTI, CUI IUNCTA FERUNTUR., Libri univerſi *cuncta*, non ut Scaliger *iuncta*: quod minus belle hic inſeritur; cum ſtatim habeamus *coniungit*. Neque illud *cui* recte habet: conſtructio enim poſtularet, non *cui piſci*, ſed *cui noto*, ſenſu abſurdo. Repono,

Exſurgit de parte noti, QUA FUSA *feruntur*
Flexa per ingentes ſtellarum flumina gyros.

Fuſa, qui ex aquarii urna defuſa ſunt.

V. 448. ALTERIUS CAPITIS CONIUNGIT AQUARIUS UNDAS. *Capitis* a Scaligero eſt; libri univerſi *capiti*. Porro *alterius* ſolus Gemblacenſis; ceteri omnes *ulterius*. Repone,

ULTERIUS CAPITI *coniungit aquarius undas.*

Ulterius, hoc eſt, magis verſus auſtrum. Sane *alterius* nullum locum hic habet; cum piſcis notius *ſolitarius* et *μονάζων* dicatur.

V. 455. QUÎS INNEXA MANENT CAELI FULGENTIA SIGNA. Vide orationis ſeriem: *ultima*, ſidera ſcilicet, quae ultra circulum antarcticum abſconduntur, *quibus innexa ſunt fulgentia ſigna*. Quomodo vero ſigna fulgentia innexa ſunt ſideribus, quae nobis non fulgent? Fruſtra hic ſenſum communem quaeras. Solus Gemblacenſis *ſigna* habet: ceteri univerſi *templa*. Repono,

Quîs INNIXA *manent caeli fulgentia* TEMPLA.

Templa caeli, totum poëtis caelum, *innititur* polo antarctico, tanquam *imo fundo* ſive fundamento. Lucretius v, 492.

altaque caeli
Denſebant procul a terris fulgentia templa.

V. 458. ET VERSAS FRONTIBUS ARCTOS. Somniavit auctor, in Parnaſſo, non in caelo, polum utrumque ſimilia ſigna exhibere. Unde iterum dicit i, 588.

Circulus auſtrinas *qui ſtringit et obſidet* arctos.

Atque hoc ei, ut poetae, condonamus, non ut aſtronomo. Sed nulla venia dignus eſt falſarius ille, qui quattuor ſequentes verſiculos hic inſeruit; a ſe confictos, ſed invita Minerva. *Credimus*, inquit, *exemplo*. Quo exemplo id credis? An auſtralia ſigna, quae a nobis ſpectantur ultra tropicum capricorni, ſimilia ſunt illis quae ſupra tropicum cancri ſunt? An ſidera illa, quae hinc inde ab aequatore intra duos tropicos viſuntur, inter ſe ſimilia ſunt? Si haec diſſimillima, cur illa circa polos ſimilia

Sublimis ſpeciem mundi, ſimileſque figuras
Aſtrorum referunt, et verſas frontibus arctos.
Uno diſtingui medias, claudique dracone
Credimus exemplo: quia vis fulgentia viſus
Hunc orbem caeli vertentis ſidera curſu
Cardine tam ſimili fultum, quam vertice ſingit.
Haec igitur magno diviſas aethere ſedes
Signa tenent, totum mundi diducta per orbem.
Tu modo corporeis ſimiles ne quaere figuras;
Omnia ut aequali fulgentia membra colore
Deficiat nihil, aut vacuum quid lumine ceſſet.
Non poterit mundus ſufferre incendia tanta,

Vulg. v. 463. HAS. 464. DEDUCTA. 466. OMNIAQUE. 467. UT VACUUMQUE A.

ſimilia exiſtimentur? Si *exemplo* duceris, haec ipſa exempla deterrere te debebant. Ceterum in verſibus ſequentibus,

quia vis fulgentia viſus
Hunc orbem caeli vertentis ſidera curſu,
Cardine tam ſimili fultum quam vertice ſingit.

quia vis et *fingit* a Scaligero ſunt; libri omnes *quamvis* et *pingit*. Equidem indignor tantum ingenium, falſarii indocti nugis irretitum, tam abſurda et ſe indigna protulisse. Quia *vis* viſûs (id ipſum quam incondite dictum) *fingit* utrumque polum eſſe ſimilem. Atqui, *ὦ θαυμάσιε*, non *vis viſûs*, ſed vis *φαντασίας* imaginationis id finxerit. Quid porro fiet de illo *fulgentia?* an obtorto collo trahetur ad *ſidera?* Quis ex proletariis poetis tam perverſo ordine verba diſponeret? mihi nullum dubium eſt, quin interpolator ſic dederit,

Credimus exemplo; QUAMVIS FUGIENTIA VISUS.

quod ex Noſtro habuit, iii, 363.

Signa patent, nullos umquam ſugientia viſus.

Atqui hic *fugientes*, *arctos* ſcilicet, dictum oportuit: ille ſtolidus *aſtra* ſubintelligi poſſe exiſtimavit. Porro duos reliquos verſiculos ſic videtur dediſſe;

HINC *orbem caeli vertentis ſidera curſu*
Cardine tam ſimili fultum, quam vertice PINGUNT.

De globis factitiis haec accipienda. Sed et hic ſtuporem ſuum prodit; cum *cardinem* de auſtrali polo dicit, *verticem* de boreali. Atqui *cardo* et *vertex* idem prorſus ſignificant; et utrumque de utroque polo dicitur. Ut Noſter i, 603, et alibi paſſim;

Seque ſecant gemino *coëuntes* cardine *mundi.*

V. 463. HAS IGITUR MAGNO DIVISAS AETHERE SEDES SIGNA TENENT, MUNDI TOTUM DEDUCTA PER ORBEM. Libri omnes, *haec igitur*. Repone,

HAEC *igitur magno diviſas aethere ſedes*
Signa tenent, TOTUM MUNDI DIDUCTA *per orbem.*

ut ſupra 275, cum zodiaci ſigna recenſuiſſet,

Haec igitur *texunt aequali ſidera tractu.*

Deducta librariorum error: ut ſupra 331, omnes libri habent *deductis* pro *diductis*.

V. 466. OMNIAQUE AEQUALI FULGENTIA MEMBRA COLORE DEFICIAT NIHIL UT, VACUUMQUE A LUMINE CESSET. Libri veteres, *omnia ut aequali*; et *deficiat nihil et vacuum qua:* Voſſianus *quia*. Repone,

Omnia UT *aequali fulgentia membra colore*

Omnia ſi plenis ardebunt ſidera membris.
Quicquid ſubduxit, ſibimet natura pepercit,
Succubitura oneri; formas diſtinguere tantum
Contenta, et filis oſtendere ſidera certis.
Linea deſignat ſpecies, atque ignibus ignes
Reſpondent; media extremis, atque ultima ſummis
Redduntur: ſatis eſt, ſi ſe non omnia celant.
Praecipue, medio cum luna implebitur orbe,
Certa nitent mundo: cum luna conditur omne
Stellarum vulgus: fugiunt ſine nomine turba.
Pura licet vacuo tum cernere ſidera caelo:
Nec fallunt numero, parvis nec mixta feruntur.
Et, quo clara magis poſſis cognoſcere ſigna,

Non

Vulg. v. 470. FLAMMIS. 472. STELLIS. 473. IGNEA. 478. SIGNA. 479. PLURA——CEDERE.

Deficiat nihil, AUT *vacuum* QUID *lumine ceſſet.*

V. 470. QUICQUID SUBDUXIT FLAMMIS, NATURA PEPERCIT. *Cui,* amabo, pepercit? Dederat auctor,

Quicquid ſubduxit, SIBIMET *natura pepercit,*
Succubitura oneri.

Sibimet, ut infra 867.

Sed trahit ad ſemet *rapido Titanius aeſtu.*

Lupus apud Silium vii, 721.

Iam ſibimet metuens, *ſpirantem dentibus imis*
Reiectat praedam.

V. 472. ET STELLIS OSTENDERE SIDERA CERTIS. Repone,

et FILIS *oſtendere ſidera certis.*

Paſſim hoc ſenſu *fila* uſurpat Noſter.

V. 473. IGNEA DESIGNAT SPECIES; ATQUE IGNIBUS IGNES RESPONDENT. *Ignea* a Scaligero eſt: Libri univerſi *linea.* Rectiſſime; LINEA *deſignat ſpecies.* Hoc firmat ſuperiorem emendationem, et ab ipſa firmatur: *filis oſtendere, linea deſignare. Linea,* ut et *fila* frequenter hoc ſenſu habet auctor. Non tota igitur ſignorum membra ſtellis referta et expreſſa ſunt: ſatis eſt, ſi, ut in lineari pictura, exterior et qualiſcumque ſignorum ambitus repraeſentetur.

V. 478. FUGIUNT SINE NOMINE SIGNA. Hoc vero ineptiſſimum. Quomodo enim *ſigna* ſunt, ſi *ſine nomine* ſunt? ut ſigna eſſe non poſſunt ſine certa ſpecie et forma: ita nec ſpecies ſine nomine. Non ſigna hic vult auctor, ſed *ſtellas* minimae magnitudinis; quae negliguntur, nec nomine dignatae ſunt. Sed facilis emendatio eſt: Repone,

cum luna conditur omne
Stellarum vulgus: fugiunt ſine nomine TURBA.

Sic v, 736. de re eadem:

Vulgus *iners videas, et iam* ſine nomine turbam.

Boni librarii *ſigna* ſuppoſuerunt; ne nomen ſingulare cum plurali verbo diſcordaret.

V. 479. PLURA LICET VACUO TUM CEDERE SIDERA CAELO: NEC FALLUNT NUMERO, NEC PARVIS MIXTA FERUNTUR. Falſus eſt Scaliger; cum ex Gemblacenſi citat *tum credere:* unde ille refinxit *tum cedere:* nam et Gemblacenſis (ut meis oculis vidi)

Non varios obitus norunt, variofve recurfus:
Certa fed in proprias oriuntur fingula luces,
Natalefque fuos occafumque ordine fervant.
Nec quicquam in tanta magis eft mirabile mole,
Quam ratio, et certis quod legibus omnia parent.
Nufquam turba nocet, nihil ullis partibus errat,
Laxius aut brevius mutatove ordine fertur.
Quid tam confufum fpecie, quid tam vice certum eft?
Ac mihi tam praefens ratio non ulla videtur,
Qua pateat mundum divino numine verti,
Atque ipfum effe deum: nec forte coiffe magiftra;
Ut voluit credi, qui primus moenia mundi
Seminibus ftruxit minimis, inque illa refolvit:

E

Vulg. v. 482. VARIOSQUE. 483. SIDERA. 488. ET LEVIUS.

vidi) et alii univerfi *tum cernere.* Atqui hoc falfum eft, *licere plura fidera cernere in plenilunio:* immo contrarium verum eft: ea caufa erat Scaligero, ut immutaret. Sed *cernere* bene habet; aliud vocabulum in noxia eft. Repone,

> PURA *licet vacuo tum* CERNERE *fidera caelo:*
> *Nec fallunt numero,* PARVIS NEC *mixta feruntur.*

Libri veteres *parvis nec*, quod altero concinnius eft. Ceterum vir fummus Huetius, dum cupide nimis Scaligerum fugillat, in craffiorem ipfe errorem incidit. Defendit illud utrumque *plura cernere*: hoc eft, inquit, in novilunio, cum *vacuum caelum* luna reliquit. Atqui *vacuo* hic *caelo* non eft vacuo a *luna*, fed a *minutis ftellis*, quae tum obfcurantur. Probant hoc, quae mox fequuntur,

> *Nec fallunt numero, parvis nec mixta feruntur.*

Si enim *vacuo caelo non funt mixta parvis*; certe non in novilunio, cum parva et minima omnia poffunt cerni. Diverfus error tantis viris eadem de caufa obrepfit, quod verfum 476.

> *Praecipue medio cum luna implebitur orbe,*

de luna διχοτόμῳ five *femiplena* interpretarentur. Atqui *medio orbe* non id eft quod *media facie*; fed medio curfu, medio orbe menftruo: cum luna femper plena eft: et idcirco addit auctor *implebitur*.

V. 482. VARIOSQUE RECURSUS. Legendum VARIOSVE.

V. 483. CERTA SED IN PROPRIAS ORIUNTUR SIDERA LUCES. Male fit iftis librariis, qui *fidera* et eiufmodi toties nobis ingeminant. Cum *figna* iam dixerit auctor, quantae incuriae effet addidiffe *fidera*, quod idem eft: Repone,

> *Certa fed in proprias oriuntur* SINGULA *luces.*

Singula oriuntur in *luces proprias*, hoc eft, ftatis anni diebus; et fervant eofdem ortus et obitus.

V. 488. LAXIUS ET LEVIUS. Hoc vult, nihil *errat* extra orbitam fuam; eofdem circulos femper defcribit, non nunc maiores, alias minores. Lege igitur,

> *Laxius* AUT BREVIUS.

V.

E quîs et maria et terras et ſidera caeli,
Aetheraque inmenſis fabricantem finibus orbes
Solventemque alios conſtare; et cuncta reverti
In ſua principia, et rerum mutare figuras.
Quis credat tantas operum ſine numine moles
Ex minimis, caecoque creatum foedere mundum?
Si fors iſta dedit nobis, fors ipſa gubernet.
At cur diſpoſitis vicibus conſurgere ſigna,
Et velut imperio praeſcriptos reddere curſus,
Cernimus; ac nullis properantibus ulla relinqui?
Cur eadem aeſtivas exornant ſidera noctes
Semper, et hibernas eadem? certamque figuram
Quiſque dies reddit mundo, certamque relinquit?
Iam tum, cum Graiae verterunt Pergama gentes,
Arctos et orion adverſis frontibus ibant:
Haec contenta ſuos in vertice flectere gyros;
Ille ex diverſo vertentem ſurgere contra
Obvius, et notio ſemper decurrere mundo.
Temporaque obſcurae noctis deprendere ſignis

Iam

Vulg. v. 496. IMMENSOS. 501. GUBERNAT. 512. TOTO.

V. 496. AETHERAQUE IMMENSOS FABRICANTEM FINIBUS ORBES. Quid vero *finibus* per ſe poſitum; niſi dicas quales vel quanti ſint? An *orbis* vel ulla figura ſine finibus concipi poteſt? Repone,

Aetheraque IMMENSIS *fabricantem finibus orbes.*

V. 499. QUIS CREDAT TANTAS OPERUM SINE NUMINE MOLES EX MINIMIS, CAECOQUE CREATUM FOEDERE MUNDUM? Verſus ſpurii. Quam inepte, *quis credat?* quaſi non tota Epicureorum ſecta id crederet. Tum vide qualis ſit conſtructio: *quis credat tantas moles operum* (creatas eſſe) *ex minimis, mundumque creatum caeco foedere?* In ſecundo orationis membro ponit, quod in primo venire debuit. Quid porro eſt *caeco foedere?* Hoc ſecum pugnat. Si enim *foedere*, certe non *caeco*, non ab ignaris facto. Verſus ſunt ſpurii, quos nebulo lectione falſa prioris verſus deceptus inſeruit.

V. 501. SI FORS ISTA DEDIT NOBIS, FORS IPSA GUBERNAT. Libri univerſi *gubernet*: rectiſſime. *Si fors dedit iſta nobis, ipſa fors gubernet*, ſi poſſit: ea ſcilicet conſtantia, qua nunc gubernantur.

V. 512. ET TOTO SEMPER DECURRERE MUNDO. *Toto mundo*, inquit Scaliger; *quia*

Iam poterant: caelumque ſuas diſtinxerat horas.
Quot poſt excidium Troiae ſunt eruta regna?
Quot capti populi? quoties fortuna per orbem
Servitium imperiumque tulit, varieque revertit?
Troianos cineres in quantum oblita refovit
Imperium? fatis Aſiae iam Graecia preſſa eſt.
Saecula dinumerare piget, quotieſque recurrens
Luſtrarit mundum vario sol igneus orbe.
Omnia mortali mutantur lege creata.
Nec ſe cognoſcunt terrae vertentibus annis.
Exutae variant faciem per ſaecula gentes.
At manet incolumis mundus, ſuaque omnia ſervat;
Quae nec longa dies auget, minuitve ſenectus;
Nec motus puncto currit, curſuſque fatigat.
Idem ſemper erit, quoniam ſemper fuit idem.
Non alium videre patres, aliumve nepotes
Aſpicient. deus eſt, qui non mutatur in aevo.
Numquam tranſverſas ſolem decurrere ad arctos;
Nec mutare vias, et in ortum vertere curſus,

Au-

quia utriuſque hemiſphaerii magnas partes occupat. At quorſum hoc ab auctore memoratur? nempe ut oſtendat, ſidera iam eoſdem ſitus inter ſe retinere, quos olim Troianis temporibus habuerunt. Iam vero ſi *toto* mundo decurrit; contrarium potius hinc inferas, orionem locum ſuum non ſervare. Repono,

et NOTIO *ſemper decurrere mundo.*

ut ſupra verſu 402.

Hoc duce per notium *decurrunt ſidera mundum.*

Iam ratio recte procedit; ut *arctos* olim et hodie in boreali mundo; ita *orion* in notio. Neutrum ſidus e ſuo loco abſceſſit.

V. 524. EXUTAE VARIANT FACIEM PER SAECULA GENTES. Codices omnes, *exutas variam.* Etiam hunc verſum expungo. Geſtiebant olim falſarii ſuos, ubicumque poterant, verſus intrudere. Quod nuſquam factu facilius, quam in his ſententioſis.

V. 527. NEC MOTUS PUNCTO CURRIT. Veteres libri, *curvat, currat.* Quin et hic verſus ablegandus a textu. Huiuſmodi autem interpolationes, quae pro Manilianis ſe oſtentant, hanc ab acutiſſimo Scaligero cenſuram extorſerunt, *quod non poſſet Manilius manum tollere de tabula, et numquam ſciret deſinere.* Vere dictum: ſi has nugas ipſius auctoris eſſe concedimus: falſo, ſi emuncta nare ſcimus a genuinis ſpuria diſcernere.

V

Auroramque novis naſcentem oſtendere terris;
Nec lunam certos excedere luminis orbes,
Sed ſervare modum, quo creſcat, quove recedat;
Nec cadere in terram pendentia ſidera caelo,
Sed dimenſa ſuis conſumere tempora ſignis;
Non caſus opus eſt, magni ſed numinis ordo.
  Ipſe autem quantum convexo mundus olympo
Obtineat ſpatium, quantis bis ſena ferantur
Finibus aſtra, docet ratio; cui nulla reſiſtunt
Clauſtra, nec inmenſae moles, caecive receſſus;
Omnia ſuccumbunt, ipſum eſt penetrabile caelum.
Nam quantum a terris atque aequore ſigna recedunt,
Tantum bina patent. quacumque inciditur orbis
Per medium, pars efficitur tum tertia gyri,
Exiguo dirimens ſolidam diſcrimine ſummam.
Summum igitur caelum bis bina refugit ab imo

Aſtra,

Vulg. v. 542. CEDUNTQUE. 545. QUANTUMQUE. 548. RESURGIT.

V. 542. CUI NULLA RESISTUNT CLAUSTRA, NEC IMMENSAE MOLES, CEDUNTQUE RECESSUS. *Ceduntque* ſine dubio mendoſe. Poſt negativa iſta *nulla* et *nec*, *ceduntque* perinde eſt, ac *nec cedunt*. Repone,

Clauſtra, nec immenſae moles, CAECIVE *receſſus*.

hoc eſt, ſeducti, tenebroſi: ut paſſim *caecae cavernae, latebrae*.

V. 545. QUANTUMQUE INCIDITUR ORBIS PER MEDIUM, PARS EFFICITUR TUM TERTIA GYRI. Conſtructio hic laborat. *Quantum* inciditur, *tum* efficitur. Oportuit certe *tantum*. Sed vetuſti codices omnes habent *quacumque*; quod reponendum:

quacumque *inciditur orbis*
Per medium, pars efficitur tum tertia gyri.

Quacumque circulus per centrum inciditur, diametros fit, quae eſt pars fere tertia peripheriae: theorema Archimedis. *Orbis* hic non eſt mundus, ſed quivis circulus. *Quacumque*; quia in quovis circulo infinitae diametri duci poſſunt. *Pars tertia*: hoc ex auctoris ſaeculo et communi operariorum axiomate. At recentiores hoc non uſquequaque verum eſſe deprehenderunt: quod et auctor ipſe intellexit, *exiguo diſcrimine*.

V. 548. SUMMUM IGITUR CAELUM BIS BINA RESURGIT AB IMO, ALTERA BIS SENIS UT SIT PARS TERTIA SIGNIS. Haec corrupta ſunt: miramque moleſtiam creaverunt Scaligero, et Gronovio in *De pecunia veteri* iv, 5. quorum uterque et verba et verſuum ſeriem immutant. Nihil his opus erit, ſi modo codices conſulantur: qui omnes *refugit* habent, non *reſurgit*: et pro *altera bis ſenis*; Gemb. Lipſ. Venetus *aſtra bis ſenis*; Voſſianus *aſtro*. Lege et diſtingue,

Summum igitur caelum bis bina REFUGIT *ab imo*

As.

Aſtra, e bis ſenis ut ſit pars tertia ſignis.
Sed quia per medium eſt tellus ſuſpenſa profundum,
Binis a ſummo ſignis diſcedit et imo.
Hinc igitur quacumque ſupra te ſuſpicis ipſe,
Qua per inane meant oculi, quaque ire recuſant,
Binis aequandum eſt ſignis: ſex tanta rotundae
Efficiunt orbem zonae; qua ſigna feruntur
Bis ſex, aequali ſpatio texentia caelum.
Nec mirere vagos partus eadem eſſe per aſtra,
Et mixtum ingenti generis diſcrimine fatum;
Singula cum tantum teneant tantoque ferantur
Tempore, vix toto ſurgentia ſidera menſe.
  Reſtat ut aethereos fines tibi reddere coner,
Filaque diſpoſitis vicibus comitantia caelum,
Per quae dirigitur ſignorum flammeus ordo.
Circulus ad boream fulgentem ſuſtinet arcton,

Vulg. v. 549. ALTERA bis. 552. HOC igitur QUODCUMQUE. 560. SEX TOTA ——LUCE.

ASTRA, E *bis ſenis ut ſit pars tertia ſignis.* In omni, inquit, circulo diametros eſt pars fere tertia circumferentiae: *igitur*, cum caelum ſit circulare, ſummum ab imo diſtat *quattuor aſtra*, ut ſit pars tertia e duodecim aſtris. Sed quia tellus in centro caeli eſt, ea diſtat a caelo ſemidiametri ſpatium, ſive duo ſigna. *Refugit*, hoc eſt, receſſit, diſtat, ut 565.

Sexque fugit *ſolidas a caeli vertice partes.*

Reſurgit hic nullo modo ferri poteſt.

V. 552. HOC IGITUR QUODCUMQUE SUPRA TE SUSPICIS IPSE. *Hoc* a Scaligero venit; et illuc redibit. Certe *hoc quodcumque ſupra te ſuſpicis* totum horizontem comprehendit; nec *binis ſignis* aequandum, ſed prope ſex. Libri omnes, *hinc igitur*. Repone,

HINC *igitur*, QUACUMQUE *ſupra te ſuſpicis ipſe.*

Hinc, ab hac terra. *Quacumque*, ſive ad verticem caeli, ſive ad latera.

V. 560. TANTOQUE FERANTUR TEMPORE SEX TOTA SURGENTIA SIDERA LUCE. In hac quidem lectione conſpirant codices, et acquieſcunt interpretes. Videamus quid intus habeat. *Nec mirere*, inquit, varietatem fatorum ſub eodem ſigno: cum *ſingula ſigna tantum* ſpatii *teneant*, gradus nempe triginta, et duodecimam totius orbis partem; *tantoque ferantur tempore:* quid poſtea? expectabam ex ſententiae filo, *ſingula ferantur*. Ille vero *ſex ſidera* infert, ut probet de ſingulis. Quod, ſodes, genus argumenti? Quid illud porro, *tota luce?* inexplicabile, et ſenſu caſſum. Repone,

Singula cum tantum teneant tantoque ferantur
Tempore, VIX TOTO *ſurgentia ſidera* MENSE.

Singula ex xii ſignis menſem ex xii unum conſumunt, ab ortu ad obitum. *Vix toto*, ut infra 585.

Vixque *dies tranſit candentem extenta per aeſtum.*

Sexque fugit ſolidas a caeli vertice partes.
Alter, ad extremi decurrens ſidera cancri,
In quo conſummat Phoebus lucemque moramque,
Tardaque per longos circumfert lumina flexus,
Aeſtivi medio nomen ſibi ſumit ab aeſtu;
Temporis et titulo potitur: metamque volantis
Solis et extremos deſignat fervidus axes;
Et quinque in partes aquilonis diſtat ab orbe.
Tertius, in media mundi regione locatus,
Ingenti ſpira totum praecingit olympum;
Parte ab utraque videns axem: quo culmine Phoebus
Componit paribus numeris noctemque diemque,
Veris et autumni currens per tempora mixta.
Hic medium aequali diſtinguit limite caelum:
Quattuor et gradibus ſua fila reducit ab aeſtu.
Proximus hunc ultra, brumalis nomine gaudens,

Ultima

Vulg. v. 569. AESTIVUM. 570. METAQUE. 571. ACTUS. 575. LIMINE. 578. CUM. 580. TANGENS.

V. 565. SEXQUE FUGIT SOLIDAS. Quota pars circuli ſunt ſex iſtae ſolidae? hoc non liquet. Forſitan auctor dederit,

Sex e triginta fugiens *a vertice partes.*

Eudoxum Cnidium ſequitur; qui totum meridianum in partes 60 diviſit; ut a polo ad polum ſint 30. Vide nos infra ad i, 592. Ergo circulum hunc deſcribit, non ad Romae ſitum, ſed ad Cnidi; ubi elevatio poli eſt graduum 36.

V. 569. AESTIVUM MEDIO NOMEN SIBI SUMIT AB AESTU. Malebat Scaliger, *aeſtivi*. Recte: ſic paulo infra 580.

Proximus hunc ultra brumalis nomine gaudens.

V. 570. METAQUE VOLANTIS SOLIS. Hoc eſt *potitur meta*. Lege, mutata diſtinctione, METAM*que volantis Solis et*, hoc eſt *deſignat*. Duo ex recentioribus libri *metamque*.

V. 571. ET EXTREMOS DESIGNAT FERVIDUS ACTUS. Immo repone, AXES; *Metam et extremos axes volantis solis*; ſub quibus *fervidus* fit. Virgilius Georg. iii, 107.

volat vi fervidus axis.

Extremos axes, ut *ſummus currus* iv, 163.

Quam Phoebus ſummis revocatus curribus ambit.

V. 575. QUO LIMINE PHOEBUS. Scripti omnes *lumine*; mendoſe: Scaliger *limine*: Huetius *limite*; quod vocabulum rurſus habes, verſu hinc tertio. Dedit auctor,

Parte ab utraque videns axem: quo CULMINE *Phoebus.*

Linea aequinoctialis poëtis culmen caeli eſt: et cum *Phoebus parte ab utraque axem*, ſive utrumque polum, *videt*; certe e *culmine* proſpicit.

V. 578. CUM MEDIUM AEQUALI. Immo HIC *medium aequali. Hic*, circulus aequinoctialis. Niſi ſic legeris, non *hic* circulus *quattuor gradibus* a tropico cancri diſtabit; ſed ſol ipſe: quod ineptum et abſurdum.

V.

Ultima designat fugientis limina solis;
Invida cum obliqua radiorum munera flamma
Dat per iter minimum nobis: sed finibus illis,
Quos super incubuit, longa stant tempora luce;
Vixque dies transit candentem extenta per aestum.
Bisque iacet binis summotus partibus orbis.
Unus ab his superest extremo proximus axi
Circulus, austrinas qui stringit et obsidet arctos.
Hic quoque brumalem per partes quinque relinquit:
Et quantum a nostro sublimis cardine gyrus
Distat, ab adverso tantundem proximus illi.
Sic per tricenas vertex a vertice partes
Divisus, duplici summa circumdat olympum;
Et per quinque notat signantes tempora fines.
His eadem est via, quae mundo; pariterque rotantur
Inclines, sociosque ortus occasibus aequant:

Quan-

Vulg. v. 582. INVIDAQUE. 592. TIBI PER BINAS.

V. 580. PROXIMUS HUNC ULTRA BRUMALIS NOMINE TANGENS. Pro *tangens* recentiores *cingens:* unde Scaliger in priore editione *circes* hoc est *circulus*. At in secunda *tangens* adscivit ex codice Gemblacensi. Et Venetus quoque *tangens*; Lipsiensis pro variis lectionibus, *tingens*, *tangens*, *cingens*. Repone,

Proximus hunc ultra, brumalis nomine GAUDENS. Ita Noster ii, 829.

Nec capit externum, proprio quia nomine gaudet.

V. 582. INVIDAQUE OBLIQUA. Repone, *invida* CUM *obliqua*. Cum *sol* dat nobis radiorum munera. Si *que* retines; constructio erit, cum *circulus brumalis* dat &c. inepte. Ceterum codices universi *invid*; unde Scaliger ex coniectura *invida*, *hoc est*, *parca*, *maligna*. Rectissime. Noster iii, 285.

cum sidera flexo
Ordine conficiunt cursus obliqua malignos.

V. 592. SIC TIBI PER BINAS VERTEX A VERTICE PARTES DIVISUS. Cum *sic* dicit; quae antea fusius dicta erant, breviter et summatim colligit. Quid ergo sibi vult *per binas partes?* Diviserat certe *verticem a vertice*, polum a polo, per partes vi, v, iv; iv, v, vi: quae simul faciunt partes *triginta*. Repone igitur,

Sic PER TRICENAS *vertex a vertice partes*
Divisus, duplici summa circumdat olympum,

et *notat* olympum per quinque fines sive circulos parallelos. Eudoxus, astronomorum dux, divisit circulum in sexaginta partes, non, ut postea factum, in trecentas sexaginta. Ea divisione, tropici distant ab aequatore partes 24 ex 360; non ut nunc ponuntur, $23\frac{1}{2}$: et circulus arcticus tantundem a polo. Vide Geminum p. 19. et Achillem Tatium cap. 26. Ceterum, ut recte ibidem Geminus, arcticus a polo non in omni climate eandem distantiam habet: sed alibi maiorem, alibi minorem:

 Ka-

Quandoquidem ſecti, qua totus volvitur orbis,
Fila trahunt alti curſum comitantia caeli;
Intervalla pari ſervantes limite ſemper,
Diviſoſque ſemel fines, ſortemque dicatam.
Sunt duo, quos recipit ductos a vertice vertex,
Inter ſe adverſi, qui cunctos ante relatos,
Seque ſecant, gemino coëuntes cardine mundi;
Tranſverſoque polo rectum ducuntur in axem:
Tempora ſignantes anni, caelumque per aſtra
Quattuor in partes diviſum menſibus aequis.
Alter ab excelſo decurrens limes olympo
Serpentis caudam ſiccas et dividit arctos,
Et iuga chelarum medio volitantia gyro:
Extremamque ſecans hydram mediumque ſub armis
Centaurum, adverſo conſurgit rurſus ab axe,
Et redit in caelum; ſquamoſaque tergora ceti,
Lanigerique notat fines, clarumque trigonum,

An-

Vulg. v. 597. TEXTO QUO. 610. AUSTRIS, 611. ADVERSUM CONCURRIT rurſus IN AXEM. 612. CETUM. 614. FASTIGIA.

Καταγέγραπται δὲ πρὸς τὸν ἐν τῇ Ἑλλάδι ὁρίζοντα: delineatur tamen ad horizontem in Graecia: ubi clima indicat Cnidi, quae patria erat Eudoxi, ſub gradu latitudinis 36: ut enim 6 ad 60 in Eudoxi diviſione, ita 36 ad 360. Eudoxi igitur auctoritate, arcticus fixum in globo locum nactus eſt; qui alioqui mobilis eſt, nec in globo delineandus.

V. 597. QUANDOQUIDEM TEXTO, QUO TOTUS VOLVITUR ORBIS. *Texto* a Scaligero venit: libri recentiores *ſexto*. Gemblacenſis cum Lipſienſi *ſexti*. Certe *texto* minime hic convenit. Quis enim ſenſus, aut qualis dictio, *totus orbis volvitur texto?* Repone,

Quandoquidem SECTI QUA *totus volvitur orbis.*

Secti, ducti, delineati, *qua* orbis volvitur; hoc eſt, paralleli aequatori.

V. 610. EXTREMAMQUE SECANS HYDRAM, MEDIUMQUE SUB AUSTRIS CENTAURUM. *Auſtris* Scaligero debetur; libri omnes *aſtris*. Tu repone,

mediumque ſub ARMIS *Centaurum.*

Armos equi intelligit. Nam *medius* centaurus eſt, ubi armi equini humano pectori coniunguntur.

V. 611. ADVERSUM CONCURRIT RURSUS IN AXEM ET REDIT IN CETUM, SQUAMOSAQUE TERGORA CETI. Libri vetuſtiores,

adverſo concurrit rurſus in axe.

Locus peſſime affectus. Quomodo *concurrit rurſus:* qui nec cum quoquam *concurrit*; et ſi concurrat, non *rurſus*, ſed iam primum id facit. Quomodo autem *redit in cetum*; a quo non *abierat?* Qualis porro ineptia et tautologia,

Andromedaeque ſinus imos, veſtigia matris,
Principiumque ſuum repetito cardine claudit.
Alter in hunc medium ſummumque incumbit in axem;
Perque pedes primos cervicem tranſit et urſae,
Quam ſeptem ſtellae primam, iam sole remoto,
Producunt, nigrae praebentem lumina nocti:
Et geminis cancrum dirimit, ſtringitque flagrantem
Ore canem, clavumque ratis, quae vicerat aequor.
Inde axem occultum per gyri ſigna prioris
Tranſverſa; atque illo rurſus de limite tangit
Te, capricorne, tuiſque aquilam deſignat ab aſtris;
Perque lyram inverſam currens ſpiraſque draconis,
Poſteriora pedum cynoſurae praeterit aſtra;
Tranſverſamque ſecat vicino cardine caudam.
Hic iterum coit ipſe ſibi, memor unde profectus.
  Atque haec aeterna fixerunt tempora ſede,
Immotis per ſigna locis ſtatione perenni.

Hos

Vulg. v. 626. PROTERIT. 629. AETERNAM——SEDEM. 630. MODIS.

gia, *cetum et tergora ceti?* Dedit auctor,

ADVERSO CONSURGIT *rurſus* AB AXE,
Et redit in CAELUM.

Rurſus conſurgit, et *redit in caelum*, ut infra 691, de circulo lacteo:

Inde ſuos ſinuat flexus per crura pedeſque
Centauri alterius; rurſuſque aſcendere caelum Incipit.

V. 614. ANDROMEDAEQUE SINUS IMOS, FASTIGIA MATRIS. *Faſtigia* non belle dicitur pro capite: neque per caput Caſſiopiae tranſit, ſed pedes: Repone, igitur,

Andromedaeque ſinus imos, VESTIGIA *matris*.

Et ſane codex Lipſienſis *veſtigia* habet pro varia lectione.

V. 626. POSTERIORA PEDUM CYNOSURAE PROTERIT ASTRA. Mirum vero ſi circulus fictus et imaginarius poteſt *aſtra proterere*: eoque magis mirum, quod in *pedibus cynoſurae* nulla ſint aſtra. Libri veteres *perterit*; lege PRAETERIT: quod et alii adſciverunt.

V. 629. ATQUE HAEC AETERNAM FIXERUNT TEMPORA SEDEM. Haec mendoſa ſint, neceſſe eſt: ſequitur enim,

Hos volucres fecere duos.

Quid ait, an tempora ſive coluri *fecere* meridianum et horizontem mobiles? Hanc abſurdam ſententiam constructio ipſa parit. Repone,

Atque haec AETERNA *fixerunt tempora* SEDE.

Fixerunt et *fecere*, veteres nempe aſtronomi, qui artem primi condiderunt. Sic correxeram; cum poſtea animadverti codicem Venetum *aeterna ſedere* clare exhibere.

V. 630. IMMOTIS PER SIGNA MODIS.

Tam

Hos. volucres fecere duos. namque alter ab ipſa
Conſurgens helice medium praecidit olympum,
Diſcernitque diem, ſextamque examinat horam,
Et paribus ſpatiis occaſus cernit et ortus.
Hic mutat per ſigna vices: nam ſeu quis eoos,
Seu petit heſperios, ſupra ſe circinat orbem
Verticibus ſuperaſtantem, mediumque ſecantem
Caelum, et diviſo ſignantem culmine mundum:
Cumque loco terrae caelumque et tempora mutat.
Quando aliis aliud medium eſt. volat hora per orbem:
Atque ubi ſe primis extollit Phoebus ab undis,
Illis ſexta manet, quos tum premit aureus orbis.
Rurſus ad heſperios ſexta eſt, ubi cedit in umbras:
Nos primam ac ſummam ſextam numeramus utramque,
Et gelidum extremo lumen ſentimus ab igne.
Alterius fines ſi vis cognoſcere gyri,

Cir-

Vulg. v. 635. MUTANS——SEU SI. 639. AC.

Tam neſcio quinam ſint *immoti modi* quam *moti modi*. Repono, *Immotis per ſigna* LOCIS.

V. 635. HIC MUTANS PER SIGNA VICES, SEU SI QUIS EOOS. Attende verborum conſtructioni: *hic*, circulus, *mutans vices per ſigna*, *circinat orbem ſupra ſe*. Ergo meridianus ſupra ſe alium meridianum circinat. Quid abſurdius? Illud vero cuiuſmodi *ſeu ſi quis?* Quis ſic locutus eſt? Gemblacenſis cum Lipſienſi *mutat*. Repone,

Hic MUTAT *per ſigna vices:* NAM SEU *quis eoos,*
Seu petit heſperios.

Seu quis hominum verſus ortum, ſeu quis verſus occaſum progreditur, circinat ſupra caput ſuum circulum meridianum: qui per ſigna vices mutat.

V. 639. CUMQUE LOCO TERRAE CAELUMQUE AC TEMPORA MUTAT. QUANDO ALIIS ALIUD MEDIUM EST, VOLAT HORA PER ORBEM. Inverſo ordine hi verſus feruntur in ſcriptis univerſis. Recte immutavit Scaliger. Quippe non *hora* mutat tempora, quae ipſa temporum pars eſt: ſed *homo*, qui ortum vel occaſum petit, cum loco terrae mutat caelum et tempora. Leve dictu eſt; ſed univerſi codices *et*, non *ac*.

V. 644. NOS PRIMAM AC SUMMAM SEXTAM NUMERAMUS UTRAMQUE. Ordo et ſenſus: *nos medii ſextam utramque*, illam eoorum, hanc heſperiorum, numeramus primam et ſummam: primam, cum eois ſexta eſt; ſummam, cum ſexta eſt heſperiis. Magnae de hoc loco lites inter viros cetera maximos exortae ſunt; quas cum ipſis ſepultas eſſe cupimus.

V. 653. NUNC TANTUM AD MEDIUM VERGENS MEDIUMQUE REPENTE ORBEM, NUNC SEPTEM AD STELLAS, NUNC MOTA SUB ASTRA. Hi quoque verſus ſpurii,

Circumfer faciles oculos, vultumque per orbem.
Quicquid erit caelique imum terraeque supremum,
Qua coit ipse sibi nullo discrimine mundus,
Redditque aut recipit fulgentia sidera ponto,
Praecingit tenui transversum limite mundum.
Haec quoque per totum volitabit linea caelum.
Nunc tantum ad medium vergens, mediumque repente
Orbem, nunc septem ad stellas, nunc mota sub astra.
Nam quacumque vagae tulerint vestigia plantae
Has modo terrarum nunc has gradientis in oras,
Semper erit novus et terris mutabitur arcus:
(Quippe aliud caelum ostendens aliudque relinquens,
Dimidium tegit et profert) varioque notabit
Fine, et cum visu pariter sua fila movente.
Hic terrestris erit, quia terram amplectitur, orbis,
Et mundum plano praecingit limite gyrus,

Atque

Vulg. v. 665. SED QUOCUMQUE. 659. TEGET et REFERET. 660. FINI cum— MOVENTEM.

rii, et ab homine insulso profecti. Nec sensus intra inest, nex extra sana verba. Frustra fuere viri summi, qui vel explicare vel emendare conati sunt; et magnis iris utrimque rem egerunt, *περὶ ὄνου σκιᾶς*.

V. 655. SED QUOCUMQUE VAGAE. Repone, NAM QUACUMQUE *vagae*. Spuriis istis de medio sublatis, correctio se ipsa probat. Libri veteres *quaecumque*.

V. 659. DIMIDIUM TEGET, ET REFERET. Libri omnes, *teget et refert*; nisi quod aliquot habent *regit*. Sententia est, dimidium tegit, dimidium ostendit. Repone igitur,

Dimidium tegit et profert.

Sic Noster iv, 526.

Sed geminos aequa cum profert *unda* tegitque
Parte.

V. 660. VARIOQUE NOTABIT FINI CUM VISU PARITER SUA FILA MOVENTEM. Libri omnes: *fine et cum visu*; et vetusti, *movente*. Repone igitur,

varioque notabit
FINE, ET *cum visu pariter sua fila* MOVENTE.

Notabit caelum *fine vario et movente sua fila pariter cum visu* hominis. *Notabit moventem*, hoc est, hominem aut *sua* hominis *fila*, quid sibi velint, nullus intelligo.

V. 661. HIC TERRESTRIS ERIT, QUIA TERRAM AMPLECTITUR, ORBIS; ET MUNDUM PLANO PRAECINGIT LIMITE GYRUS. *Terram* et *mundum* ignave: *orbis* et mox *gyrus* odiose. Sunt, qui sic emendent:

Hic terrestris erit, quia terrae *amplectitur* orbem,
Et medium *plano praecingit limite, gyrus.*

Sed vereor, ne omnes tres adulterini sint. Quaerit Scaliger, cur hic gyrus prae ceteris *terrestris* appellandus sit. Rationem reddere conatur; quam recte reiicit Huetius; nec tamen ipse

Atque a fine trahens titulum, memoratur horizon.
His adice obliquos adverſaque fila trahentes
Inter ſe gyros: quorum fulgentia ſigna
Alter habet per quae Phoebus moderatur habenas:
Subſequiturque ſuo solem vaga Delia curru:
Et quinque adverſo luctantia ſidera mundo
Exercent varias naturae lege choreas.
Hunc tenet a ſummo cancer, capricornus ab imo:
Bis recipit, lucem qui circulus aequat et umbras,
Lanigeri et librae ſigno ſua fila ſecantem.
Sic per tres gyros inflexus ducitur orbis,
Rectaque devexo fallit veſtigia clivo.
Nec viſus aciemque fugit, tantumque notari
Mente poteſt, ſicut cernuntur mente priores:
Sed nitet ingenti ſtellatus balteus orbe,
Inſignemque facit caelato lumine mundum,
Et ter vicenas partes patet atque trecentas
In longum: bis ſex lateſcit faſcia partes,
Quae cohibet vario labentia ſidera curſu.
Alter in adverſum poſitus ſuccedit ad arctos,
Et paulum a boreae gyro ſua fila reducit,
Tranſitque inverſae per ſidera Caſſiepiae.
Inde per obliquum deſcendens, tangit olorem;
Aeſti-

Vulg. v. 664. DIVERSAQUE. 682. POSITAS.

ipſe meliorem profert. Certe horizon aſtronomis eſt circulus ſphaerae caeleſtis, non terreſtris; tantumque a terra abeſt, quantum ipſe ſupra nos meridianus.

V. 664. DIVERSAQUE FILA TRAHENTES INTER SE GYROS. Libri vetuſti *adverſa inter ſe:* ſic infra de iiſdem 682, *Alter in adverſum poſitus.*

V. 682. ALTER IN ADVERSUM POSITAS. Sic Gemblacenſis *poſitas*; plerique alii *poſitos:* unus recentior *poſitus.* Hoc recte. Galaxias in adverſum poſitus zodiaco: vide ſupra 664.

V. 688. INTRA CAUDAM. Libri vetuſti *inter caudam.* Rectius.

V.

Aestivosque secat fines aquilamque supinam,
Temporaque aequantem gyrum, zonamque ferentem
Solis equos, inter caudam, qua scorpius ardet,
Extremamque sagittari laevam, atque sagittam.
Inde suos sinuat flexus per crura pedesque
Centauri alterius: rursusque ascendere caelum
Incipit; argivamque ratem per aplustria summa,
Et medium mundi gyrum, geminosque per ima
Signa secans subit heniochum; teque unde profectus,
Cassiepia, petens super ipsum Persea transit;
Orbemque ex illa coeptum concludit in ipsa:
Tresque secat medios gyros, et signa ferentem
Partibus e binis, quotiens praeciditur ipse.
Nec quaerendus erit. visus incurrit in ipsos
Sponte sua, seque ipse docet cogitque notari.
Namque in caeruleo candens nitet orbita mundo,
Ceu missura diem subito, caelumque recludens.
Ac veluti virides discernit semita campos,
Quam terit assiduo renovans iter orbita tractu;
Inter divisas aequabilis est via partes:
Ut freta canescunt sulcum ducente carina,
Accipiuntque viam fluctus spumantibus undis,
Qua tortus verso movit se gurgite vertex:

Can-

Vulg. v. 688. INTRA. 694. INDE. 696. ILLA. 708. QUAM—DE.

V. 694. TEQUE INDE PROFECTUS. Libri omnes *unde*. Recte. Vide 684, et 696.

V. 696. ORBEMQUE EX ILLA COEPTUM CONCLUDIT IN ILLA. Vetusti concinnius, *concludit in* IPSA.

705. INTER DIVISAS AEQUABILIS EST VIA PARTES. Libri *aequalibus*. Iterum versus spurius intervenit; sensu nullo.

V. 708. QUAM TORTUS VERSO MOVIT DE GURGITE VERTEX. Quid est, *movere viam de gurgite?* Repone,

QUA *tortus verso movit* SE *gurgite vertex.*

V.

Candidus in nigro lucet ſic trames olympo,
Caeruleum pingens ingenti lumine mundum.
Utque ſuos arcus per nubila circinat Iris,
Sic ſuper incumbit ſignato culmine limes
Candidus, et reſupina facit mortalibus ora;
Dum nova per caecam mirantur lumina noctem,
Inquiruntque ſacras humano pectore cauſas.
Num ſe diductis conetur ſolvere moles
Segminibus, raraque labent compagine rimae,
Admittantque novum laxato tegmine lumen.
Quid ſibi non timeant? magni cum vulnera caeli
Conſpiciant, feriatque oculos iniuria mundi.
An coëat potius, dupliciſque extrema cavernae
Conveniant, caelique oras et ſegmina iungant;
Perque ipſos fiat nexus manifeſta cicatrix,

Fu-

Vulg. v. 709. LIMES. 710. FINDENS. 714. VIBRANTUR. 719. QUASI. 721. MUNDUS. 722. SIDERA.

V. 709. LUCET SIC LIMES OLYMPO. Tertio abhinc verſu iteratur illud *limes*. Lege hic TRAMES, ut ſupra 703, *ſemita*.

V. 710. CAERULEUM FINDENS. Libri veteres *fingens*: lege igitur, *caeruleum* PINGENS.

V. 714. DUM NOVA PER CAECAM VIBRANTUR LUMINA NOCTEM. Egregie codex Venetus *mirantur*. *Dum* mortales *mirantur et inquirunt cauſas*. Si *vibrantur* amplecteris; tum conſtructio erit, *lumina inquirunt cauſas*.

V. 719. QUID? QUASI NON TIMEANT. Praeſtantiſſimus Fred. Gronovius legit, *quid* ſibi *non timeant?* Nihil verius.

V. 721. AN COEAT MUNDUS. Vide quam inconcinne: *iniuria mundi*, et extemplo ſequitur, *an coëat mundus*. Repone,

An coëat POTIUS.

Sententia continuatur a verſu 716. *Num moles conetur ſe ſolvere*, quae a principio compacta erat: *an potius* moles *coëat*, quae ab initio disiuncta erat.

V. 722. CAELIQUE ORAS ET SIDERA IUNGANT. Apage illud *ſidera*; quod ubique prave a librariis inculcatur. Scaliger *foedera* mavult. Repone,

caelique oras et SEGMINA *iungant*.

Hic *iuncta ſegmina*; ut contra verſu 717, *diducta ſegmina*.

V. 724. FISSURAM FACIENS MUNDI. *Fiſſurae* vocabulum, ſive ſciſſurae, rimae, ſententiae ipſi contrarium eſt. In hac enim non moles prius iuncta *conatur ſe diducere*; ſed prius disiuncta conatur *coire*. Gemblacenſis et Lipſienſis *fuſuram*. Lege igitur et diſtingue,

FUSURAM *faciens: mundi ſtipatus et orbis*.

Fuſuram, conflaturam, χωνείαν, ferruminationem, plumbaturam. Gloſſae: χωνευτής, *fuſor, conflator*. Plinius xxxiv, 22. *Ipſe lapis*,

Fusuram faciens: mundi stipatus et orbis,
Aëriam in nebulam crassa compagine versus,
In cuneos alti cogat fundamina caeli.
An melius manet illa fides, per saecula prisca
Illac solis equos diversis cursibus isse,
Atque aliam trivisse viam: longumque per aevum
Exustas sedes, incoctaque sidera flammis
Caeruleam verso speciem mutasse colore;
Infusumque loco cinerem, mundumque sepultum.
Fama etiam antiquis ad nos descendit ab annis,
Phaethontem patrio curru per signa volantem,
(Dum nova rimatur propius spectacula mundi,
Et puer in caelo ludit, curruque superbus
Luxuriat nitido, cupit et maiora parente)
Monstratas liquisse vias, aliamque recentem

Im-

Vulg. v. 724. FISSURAM. 725. CLARA. 728. CURRIBUS. 735. MIRATUR. 737. MUNDO. 738. ORBEMQUE RIGENTEM.

pis, ex quo fit aes, Cadmia vocatur, fusuris necessarius, medicinae inutilis.

V. 725. AERIAM IN NEBULAM CLARA COMPAGINE VERSUS. Quid *clara* hic faciat, non intelligo. Repone,

Aëriam in nebulam CRASSA *compagine versus.*

Hic *crassa compagine*, ut supra 717, in contraria sententia *rara compagine*. Ita mox 754.

Contexit flammas, et crasso *lumine candet.*

Mox, *in cuneos cogat*; figurate, hoc est, comprimat, condenset, constipet. Virgilius Aen. xii, 575.

Dant cuneum, *densaque ad muros mole feruntur.* et ibidem, 457.

densi cuneis *se quisque* coactis
Agglomerant.

V. 728. DIVERSIS CURRIBUS ISSE. Gemblacensis et Lips. rectius, *diversis* CURSIBUS: quod et Scaligero placuit.

V. 734. PHAETHONTEM PATRIO CURRU PER SIGNA VOLANTEM. Ex Graeco φαέθων male per synaloepham fecit, *Phaethon*; quasi Graece esset φαίθων. Quintilian. Instit. i, 5. *Diaeresis ut* Europaï: *et ei contrarium vitium, quod* συναίρεσιν *et* συναλοιφὴν *Graeci vocant, nos complexionem dicimus: qualis est apud P. Varronem:*

Cum te flagranti deiectum fulmine, Phaethon.

V. 735. DUM NOVA MIRATUR PROPIUS SPECTACULA MUNDI. Quid sit *proprius mirari* ab aliis velim discere. Mihi ab auctore fuisse videtur,

Dum nova RIMATUR *propius spectacula mundi.*

Propius rimari, ut *propius scrutari*: Noster i, 11.

Iamque favet mundus propius scrutantibus *ipsum.*

V. 737. CURRUQUE SUPERBUS LUXURIAT, MUNDO CUPIT ET MAIURA PARENTE. *Mundus* omnium animalium *parens*; ut

Impoſuiſſe polo: nec ſigna inſueta tuliſſe
Errantes meta flammas, currumque ſolutum.
Deflexum ſolito curſu, curviſque quadrigis.
Quid querimur flammas totum ſaeviſſe per orbem?
Terrarumque rogum cunctas arſiſſe per urbes?
Cum vaga diſperſi fluitarunt fragmina currus,
Et caelum exuſtum eſt. luit ipſe incendia mundus,
Et vicina novis flagrarunt ſidera flammis,

Nunc

Vulg. v. 740. NUTU. 742. QUOD——SEVISSE. 744. LUMINA. 746. NOVA VICINIS.

ut Noſter ii, 101. de pecudibus,

Natura tamen ad mundum *revocante* parentem.

Hic tamen non univerſus omnium parens, ſed proprius Phaethontis, qui ſol fuit, indicatur. Sol vero nuſquam vocatur mundus. Gronovius igitur Obſerv. i, 9. *mundi* legit: ut *currus mundi ſit is quo ſol vehitur*. Atqui verſu 734. *patrius currus* erat, hoc eſt, ſolis, non mundi. Repone, *curruque ſuperbus*

Luxuriat NITIDO; *cupit et maiora parente.*

Recte *nitido*; quo adoleſcentis animus captabatur. Horatius in Carmine Saeculari,

Alme ſol, curru nitido *diem qui*
Promis et celas.

Vel et ſic diſtinguas,

Luxuriat, nitido *cupit et maiora parente.*

Nitido parente, ut Ovid. Faſt. iii, 44. de ſole,

Reſtabant nitido *iam duo ſigna* deo.

V. 738. ORBEMQUE RIGENTEM IMPOSUISSE POLO. Gemblacenſis, Venetus, et Voſſianus *rigentem*; Lipſienſis cum ceteris *regentem*. Quid ſit *rigentem orbem polo impoſuiſſe*, cum Phaethon omnia incenderit, ne Oedipus quidem interpretetur. Nos partim vi ſententiae, partim more auctoris adiuti, veram, ut opinor, lectionem divinavimus;

Monſtratas liquiſſe vias, ALIAMQUE RECENTEM *Impoſuiſſe polo.*

Novam et *recentem* viam *impoſuiſſe polo* ſive mundo aut caelo. Noſter v, 98.

Hoc genitum credas de ſidere Bellerophontem
Impoſuiſſe viam mundo, *per ſigna volantem.*

et iv, 903.

Edomuit terram ad fruges, animalia cepit,
Impoſuitque viam ponto.

V. 739. NEC SIGNA INSUETA TULISSE ERRANTES NUTU FLAMMAS. Quid ſodes eſt, *flammas errantes nutu?* nutu, opinor, Phaethontis. Atqui ille, ex Manilii ſententia, volens, non coactus, *monſtratas vias liquit.* Fruſtra quoque is equis *innuiſſet*, quem equi pone ſedentem non videbant. Repone,

nec ſigna inſueta tuliſſe
Errantes META *flammas.*

Meta, hoc eſt, ſtato et ſolito ſolis curſu. Supra verſu 199.

Cum ſuſpenſus eat Phoebus, curruſque reflectat
Huc illuc agiles, et ſervet *in aethere* metas.

et 570. metamque *volantis Solis.*

V. 741. DEFLEXUM SOLITO CURSU, CURVISQUE QUADRIGIS. *Currum ſolutum*, aut liberum interpreteris, aut fractum et diſperſum. Utrum vis accipe, et verſus hic ſe adulterinum oſtendit. Quippe ſi meta currus errat, et *liber* volat; ſero dicit auctor *deflexum eſſe ſolito curſu*: ſerius, ſi *fractus* eſt. Quid vero eſt, *currum deflexum curvis quadrigis?* curvae videntur quadrigae, cum a recta via deflectuntur. Ergo ſi currus deflectitur a curvis quadrigis, in viam rectam redit. Ut taceam ineptiam ſermonis; nam perinde eſt, ac currum deflecti a curvo curru.

742. QUOD QUERIMUR, FLAMMAS TOTUM SEVISSE PER ORBEM. Haec mendoſa

Nunc quoque praeteriti faciem referentia casus.
Nec mihi celanda est fama vulgata vetusta
Fabula, de niveo lactis fluxisse liquorem
Pectore reginae divum, caelumque colore
Infecisse suo. quapropter lacteus orbis
Dicitur, et nomen causa descendit ab ipsa.
Anne magis densa stellarum turba corona
Contexit flammas, et crasso lumine candet,

Et

Vulg. v. 747. SERVANTIA. 748. FAMAE——VETUSTAS. 749. MOLLIOR E. 753. AN MAIOR.

sa sunt: sed facilis sententiae ipsius ductu est emendatio,

> QUID *querimur flammas totum* SAEVISSE *per orbem?*

Sensu aperto. Quid querimur terrarum orbem tunc conflagrasse? Etiam *caelum exustum est. Saeviunt ignes, flammae, procellae, fluctus* passim apud scriptores.

V. 744. CUM VAGA DISPERSI FLUITARUNT LUMINA CURRUS. Repone,

> *Cum vaga dispersi fluitarunt* FRAGMINA *currus.*

id quod *fluitarunt* postulat. Virgil. de naufragio Aen. x. 306.

> Fragmina *remorum quos et* fluitantia *transtra*
> *Impediunt.* et Ovid. Met. xi, 560.
> *tenet ipse manu, qua sceptra solebat,*
> Fragmina *navigii Ceyx.* et xiv, 563.
> *Neritiaeque ratis viderunt* fragmina *laetis*
> *Vultibus.*

Ovid. de Phaëthonte Met. ii, 316.

> *Illic frena iacent: illic temone revulsus*
> *Axis; in hac radii* fractarum *parte rotarum:*
> *Sparsaque sunt late laceri vestigia currus.*

V. 746. ET NOVA VICINIS FLAGRARUNT SIDERA FLAMMIS. Quaenam sunt ista *nova sidera?* mirum ni ab incendio producta et creata fuerint. Repone,

> *Et* VICINA NOVIS *flagrarunt sidera flammis.*

Vicina disperso currui: nam longe remota in tuto erant. *Novis flammis:* quia veteribus et suis antea fulserant. Noster iv, 838.

> *Necnon cum patrias Phaethon tentavit habenas,*
> *Arserunt gentes: luit ipsum incendia caelum:*
> *Fulseruntque* novis *ardentia sidera* flammis.

V. 747. NUNC QUOQUE PRAETERITI FACIEM SERVANTIA CASUS. Gemblacensis et Vossianus *reserantia:* Lipsiensis *reserentia:* Venetus *referentia.* Hoc recte: sic Noster i, 459. *similesque figuras*

> *Astrorum* referunt. et ii, 249.
> *Vel quae fessa sedent, pigras* referentia *mentes.* et v, 265.
> *Et medicos unguenta dabit* referentia *flatus.*

V. 748. NEC MIHI CELANDA EST FAMAE VULGATA VETUSTAS MOLLIOR, E NIVEO LACTIS. Sic omnes hic librarii; quorum qui primus haec et talia huic auctori inussit, pro praemio crucem merebatur. Quid enim est *vetustas vulgata famae?* quid *mollior vetustas?* Haec monstra sunt, nec ulli poëtae adscribenda. Dedit auctor,

> *Nec mihi celanda est* FAMA *vulgata* VETUSTA
> FABULA, DE *niveo lactis fluxisse liquorem.*

Noster ii, 37.

> *Quorum carminibus nihil est nisi* fabula *caelum.*

Fabula vulgata, et *fama vetusta* passim.

V. 753. AN MAIOR DENSA. Lego, ANNE MAGIS *densa:* hoc est, *an potius.* Nempe haec vera causa est; ut per telescopia certo scimus.

V.

Et fulgore nitet collato clarior orbis?
An fortes animae dignataque numina caelo,
Corporibus resoluta suis, terraque remissa,
Huc migrant ex orbe; suumque habitantia caelum
Aethereos vivunt annos, mundoque fruuntur?
Atque hic Aeacidas, hic et veneramur Atridas,
Tydidenque ferum; terraeque marisque triumphis
Naturae victorem Ithacum; Pyliumque senecta
Insignem triplici; Danaumque ad Pergama reges:
Assaracum atque Ilum, totamque sub Hectore Troiam:
Auroraeque nigrum partum, stirpemque tonantis
Rectorem Lyciae. nec te, Mavortia virgo,
Praeteream; regesque alios, quos Graecia misit

Atque

Vulg. v. 756. NOMINA. 757. TERRAEQUE. 764. CASTRA DUCUM ET CAELI VICTAMQUE.

V. 756. AN FORTES ANIMAE, DIGNATAQUE NOMINA CAELO. Quid hoc est? nomina *corporibus suis resoluta?* an nomina corporibus vestiuntur? Lipsiensis pro varia lectione habet *numina*; Vossianus *lumine*. Repone,

An fortes animae, dignataque NUMINA *caelo.*

Numina quidem, sed caelo dignata; non nativa: non dei genitales; sed indigetes, qui mortalitate exuta caelo recepti sunt.

V. 757. TERRAEQUE REMISSA. Sic codices: quod defendit quidem Gronovius Observ. i, 10. Tu tamen repone,

Corporibus resoluta suis, TERRAQUE *remissa.*

ut Virgil. Aen. v, 98. *animamque vocabat Anchisae magni,* manesque Acheronte remissos.

At animae in galaxia non *Acheronte* sed *terra* remissae sunt; quia inde recta in caelum evolarunt, inferis contemptis. Ovidius Heroid. xv, 53.

Aut vos erronem tellure remittite *nostrum.*

V. 759. AETHEREOS VIVUNT ANNOS, MUNDOQUE FRUUNTUR. Imitatus est Nemesianus Ecloga i, 40.

Iam si sublimes animae caelestia templa
Sidereasque colunt sedes, mundoque fruuntur.

V. 764. ASSARACUM. Post versum 763, alter in codicibus universis sequitur, hoc modo:

Danaumque ad Pergama reges,
Castra ducum et caeli victamque sub Hectore Troiam:
Auroraeque nigrum partum.

Quem Scaliger ex textu sustulit, *irreptitium* vocans, conformatum nempe ex ii, 3.

Hectoreamque facem, tutamque sub Hectore Troiam.

An dicemus, addit, *castra et Troiam relata ad circulum lacteum? Non de castris et moenibus, sed de fortissimis viris sermo est.* Recte hoc posterius: et versus, nisi commode corrigi possit, sine venia eiiciendus est. Experiamur, an faveat fortuna tentanti. Repono,

Danaumque ad Pergama reges:
ASSARACUM ATQUE ILUM TOTAMQUE *sub Hectore Troiam.*

Ex

Atque Aſiae gentes et Magno maxima Pella.
Quique animi vires, et ſtrictae pondera mentis
Prudentes habuere viri; quibus omnis in ipſis
Cenſus erat: iuſtuſque Solon, fortiſque Lycurgus,
Aethereuſque Platon, et qui fabricaverat illum,
Damnatuſque ſuas melius damnavit Athenas:
Perſidos et victor, ſtrarat quae claſſibus aequor:
Romanique viri, quorum iam maxima turba eſt:
Tarquinioque minus reges; et Horatia proles,
Tota acies partus: necnon et Scaevola trunco
Nobilior, maiorque viris et Cloelia virgo;
Et Romana ferens quae texit moenia Cocles:
Et commilitio volucris Corvinus adeptus

Et

Vulg. v. 769. STRICTAS PONDERE MENTES. 774. QUI. 777. PARTIS.

Ex Virgilio habuit Aen. vi, 648.

Hic genus antiquum, Teucri pulcherrima proles,
Magnanimi heroës, nati melioribus annis:
Iluſque Aſſaracuſque *et Troiae Dardanus auctor.*

Iam vero *tota Troia*, non moenia et domos, ſed viros ipſos ſignificat. Ovidius Heroid. i, iv.

Vix Priamus tanti totaque Troia *fuit.*

Ita, *Tota ſe Roma obviam advenienti effudit*; et alia ſimilia paſſim. Ceterum de Troianis etiam actum eſſe in praecedentibus vel hinc patet; quod *Memnon, Sarpedon*, et *Penthesilea*, quos hic memorat, in Troianorum erant partibus, non Danaorum: mox 768, ſoli Gemblacenſis et Lipſienſis, *et Magno maxima Pella*: ceteri omnes perperam *bella*.

V. 769. ET STRICTAS PONDERE MENTES. Corrigo, *et* STRICTAE PONDERA MENTIS. Noſter infra, ii, 955.

Necnon et fidei tutelam vindicat ipſam,
Pectoris et pondus. Lucanus viii, 280.
Aſt ego curarum vobis arcana mearum
Expromam, mentiſque *meae quo* pondera *vergant.*

V. 774 PERSIDOS ET VICTOR, STRARAT QUI CLASSIBUS AEQUOR. Repone, QUAE. Themiſtoclem intelligit, non Xerxen. Neque enim ille aut *victor* Perſidos, aut inter heroas, qui in galaxia degunt, numerandus. Iuvenalis x, 175. de Xerxe:

conſtratum *claſſibus iſdem,*
Suppoſitumque rotis ſolidum mare.

V. 776. TARQUINIOQUE MINUS REGES. Sic libri vetuſti: hoc eſt, reges omnes, Tarquinio excepto. Ovid Met. xii, 554.

Bis ſex Herculeis ceciderunt me minus uno
Viribus. Vide Gronovium Obſerv. ii, i.

V. 777. ET HORATIA PROLES, TOTA ACIES PARTIS. Gemblacenſis, Lipſienſis, et Voſſianus, *partus*. Rectiſſime. Tota acies unius matris partus: Horatii enim fratres tergemini erant. Placet quoque Gronovio Obſerv. ii, 1.

V.

Et ſpolia et nomen, qui geſtat in alite Phoebum:
Et Iove qui meruit caelum, Romamque Camillus
Servando poſuit; Brutuſque a rege receptae
Conditor; et Pyrrhi per bella Papirius ultor:
Fabricius, Curiique pares: et tertia palma
Marcellus; Coſſuſque prior de rege necato:
Certantes Decii votis, ſimileſque triumphis:
Invictuſque mora Fabius: victorque nefandi
Livius Haſdrubalis, ſocio per bella Nerone:

Scipia-

Vulg. v. 785. CURIUSQUE. 787. CERTANTESQUE DECI. 788. NECATI.

V. 781. QUI GESTAT IN ALITE PHOEBUM. Gronovius Obſerv. iii, xi. Sic locum refingit;

Et commilitio volucris Corvinus adeptus
Et ſpolia et nomen, quem geſſit *in alite,* Phoebi.

Corvinus, inquit, *adeptus ſpolia et cognomen commilitio volantis Phoebi, quem in forma alitis geſſit in galea conſidentem.* Sed feſellit hic ſolitum acumen virum ſagaciſſimum. *Volucris Phoebi* pro *volantis* durius eſt, quam ut ferri poſſit: et ipſe verborum ordo conſtructionem aliam poſceret; *nomen* ſcilicet *Phoebi,* non *commilitio Phoebi.* Bene habet recepta omnium codicum lectio, *volucris, qui geſtat in alite Phoebum*; hoc eſt, qui *Phoebo ſacer ales* eſt, ut ſupra 424; et in caelo locatus in alitis forma deum intus geſtat. Ita de cygno caeleſti Noſter v, 376.

Ipſe deum cygnus condit vocemque ſub illo,
Non totus volucer, ſecumque immurmurat intus.

ut cygnus condit Iovem, non totus volucer: ita corvus quoque non totus volucer eſt, ſed in volucri geſtat Phoebum.

V. 782. ET IOVE QUI MERUIT CAELUM, ROMAMQUE CAMILLUS SERVANDO POSUIT. Ita Silius xiv, 685. Marcellus, captis Syracuſis, *ſervando condidit urbem.* Camillus Iove, hoc eſt Capitolio, ſervando caelum meruit.

V. 784. ET PYRRHI PER BELLA PAPIRIUS ULTOR. Nota illud *per bella*; hoc eſt, non *per venena.*

V. 785. FABRICIUS CURIUSQUE PARES. Voſſianus quidem *pares,* tres alteri *parens.* Repone,

Fabricius, CURIIQUE *pares.*

hoc eſt, par fratrum. Ovid. Met. viii, 308.

Actoridaeque pares et miſſus ab Elide Phyleus.

ubi ſimiliter libri habent, *Actoridaeque parens.* Propert. iii, 2. de Ennio,

Qui cecinit Curios fratres *et Horatia facta.*

V. 786. ET TERTIA PALMA MARCELLUS, COSSUSQUE PRIOR DE REGE NECATO. Ubi conſtructio eſt, Marcellus tertia palma de rege necato, et Coſſus prior, ſive ſecunda. Tres opima ſpolia tulerunt de regibus occiſis, Romulus, Coſſus, Marcellus. Ceterum imitatus eſt hic Virgil. Aen. v, 339.

Poſt Helymus ſubit, et iam tertia palma *Diores.*

V. 787. CERTANTESQUE DECI VOTIS. Codices *Decii*: nec in nominativo plurali coaleſcere ſolet ſyllaba. Repone,

Certantes DECII *votis.*

Omittitur coniunctio, ut ſupra verſu 785.

V. 788. VICTORQUE NECATI LIVIUS HASDRUBALIS. Hoc nimis putide: *victor necati*: Qui enim necatus eſt, ſine dubio victus eſt, et pluſquam victus. Et iam altero abhinc verſu habuimus *necato.* Repone,

victorque nefandi

Livius

Scipiadaeque duo, fatum Carthaginis unum:
Pompeiusque orbis domitor, per tresque triumphos
Ante diem princeps: et censu Tullius oris
Emeritus fasces: et Claudi magna propago,
Aemiliaeque domus proceres, clarique Metelli:
Et Cato fortunae victor; matrisque sub ulnis
Miles Agrippa suae: Venerisque ab origine proles
Iulia descendit caelo, caelumque replevit;
Quod regit Augustus socio per signa Tonante;

Cernit

Vulg. v. 790. DUCES. 792. DEUM. 793. CAELUM. 795. ARMIS.

Livius Hasdrubalis.
Virgil. Aen. iv, 497. *abolere* nefandi
Cuncta viri *monumenta iubet monstratque sacerdos.*

V. 790. SCIPIADAEQUE DUCES, FATUM CARTHAGINIS UNUM. Vocabulum *duces* otiose hic ponitur. Quasi vero et ceteri, quorum prius meminerat, non fuissent duces. Repone,

Scipiadaeque DUO, *fatum Carthaginis unum.*

Ex Virgilio Noster sumpsit Aen. vi, 842.

aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Lybiae.

Iuvenalis ii, 153. *Curius quid sentit et ambo Scipiadae.*

Quin et argutiam captavit, in *duo* et *unum.* Ovidius de Hercule et Achille, Fast. v, 389.

Stare simul casu Troiae duo fata videres.

V. 792. ANTE DEUM PRINCEPS. Perquam inficete hoc fertur: Pompeius princeps reipublicae erat ante *deum Caesarem.* Quid ni? etiam ante Augustum et Tiberium. Quasi auctor chronologum hic ageret. Repone,

Ante DIEM *princeps.*

hoc est, ante legitimam aetatem festinatos honores cepit. Res ex historia nota. *Ante diem*; ut Statius Silv. i, ii, 174.

Hunc et bissenos cernes attollere fasces
Ante diem.

V. 793. ET CENSU TULLIUS ORIS EMERITUS CAELUM, ET CLAUDI. *Qui meruit caelum* supra habuimus versu 782. Neque solet Noster ob caesuram vitare synaloepham. Facile est *caelos* substituere; sed numquam alias plurali isto auctor utitur. Repono,

Emeritus FASCES.

qui homo novus et nullis maioribus ortus, eloquentia sua consulatum adeptus est.

V. 795. MATRISQUE SUB ARMIS MILES AGRIPPA SUAE. Quaenam ista mater Agrippae, sub qua ille militavit? Scaliger in priore editione *Octaviam socrum* pro matre accipit: in altera coniectat *martisque sub armis sui.* Quomodo vero *martis sui*; qui auspiciis alienis semper res gerebat, numquam suis? Huetius suspicatur, *patrisque—sui*: quia Agrippa Iuliam Augusti filiam uxorem duxit. Repone,

matrisque sub ULNIS
Miles Agrippa suae.

Hoc est, adolescentulus militavit sub adolescente Augusto. Res nota est. Calpurnius locum imitatus est Eclog. i, 46. de Numeriano oratore loquens:

iuvenemque beata sequuntur
Saecula, maternis *causam qui lusit* in ulnis.

Ut Numerianus praecoci ingenio orator, ita Agrippa miles. Scaliger quoque in postremis curis veram lectionem vidit, et Calpurnii locum citat: sed priorum, ut credo, coniecturarum taedio fessus et malo pudore victus, maluit *armis* pro *ulnis* ab *armus* interpretari; quam *ulnis* capite aperto adsciscere.

Cernit et in coetu divum magnumque Quirinum,
Altius aetherei quam candet circulus orbis.
Illa deis ſedes: haec illis proxima divum
Qui virtute ſua ſimiles veſtigia tangunt.
Sunt alia adverſo pugnantia ſidera mundo,
Quae caelum terramque inter volitantia pendent,
Saturni, iovis et martis, soliſque: ſub illis
Mercurius venerem inter agit lunamque locatus.
Nunc, prius incipiam ſtellis quam reddere vires,
Signorumque canam fatalia carmine iura;
Implenda eſt mundi facies, cenſuſque per omne.

Quic-

Vulg. v. 800. QUA. 801. DEUM. 807. AC. 809. CORPUSQUE.

V. 800. ALTIUS AETHEREI QUA CANDET CIRCULUS ORBIS, ILLA DEUM SEDES. Libri vetuſti, *quam candet.* Lege et diſtingue,

Cernit et in coetu divum magnumque Quirinum,
Altius aetherei QUAM *candet circulus orbis.*

vide poëticam de more adulationem. Romulus, Iulius, et Auguſtus ſupra galaxiam cum deis maioribus degunt: in ipſo galaxia, ceteri quos recenſuit.

V. 801. ILLA DEUM SEDES; HAEC ILLIS PROXIMA, DIVUM QUI VIRTUTE SUA SIMILES VESTIGIA TANGUNT. *Veſtigia* libri omnes: et quidem ſuper aſtrorum ſphaeram dii finguntur incedere. Apud Catullum, coma Berenices, inter aſtra tranſlata, ſic narrat:

Sed quamquam me nocte premunt veſtigia divum.

Sed in priore verſu male ambulant iſta, *illa ſedes* deum, *haec* illis. Quorſum caſuum mutatio eſt, cur non haec *illorum* vel *horum?* lege igitur,

Illa DEIS *ſedes: haec illis, proxima divum.*

V. 803. SUNT ALIA ADVERSO PUGNANTIA SIDERA MUNDO. Hunc verſum et tres ſequentes Scaliger ultra verſum 810 detrudit; quod hoc quidem loco importune veniant: Sunt *alia,* inquit, ſidera: quaſi hactenus de ſideribus egiſſet. Atqui proxime et prolixe de circulis egit, parallelis, coluris, horizonte, meridiano, zodiaco, galaxia. Ergo hac ratione circuli erunt ſidera. Sic argumentatur vir magnus: et recte. Importune quidem hoc loco poſiti ſunt; ſed nec in altero illo opportune. Spurii nimirum ſunt et irreptitii; nuſquam commode veniunt; et ſuis ſe virtutibus quales ſint produnt.

Sunt alia adverſo pugnantia ſidera mundo:

Planetas ergo iam primum memorat, *ut mundi facies impleatur.* Atqui ſupra eorum mentionem fecerat, iiſdem pene verbis, ut verſu 259.

Atque alia adverſo luctantia ſidera mundo.

et i, 668.

Et quinque adverſo luctantia ſidera mundo.

ubi notandum *quinque* tantum numerari, hic vero *ſolem lunamque* addi; quaſi ſol et luna hoc primum loco, non iam ſaepe antea, nominati ſint. Vide porro ſcabiem iſtorum verſiculorum;

Saturni, iovis, et martis, soliſque: ſub illis
Mercurius venerem inter agit lunamque locatus.

Nonne mirifice dictum, *agit* inter venerem et lunam? Idem cuculus ſimiles his et pene germanos inſeruit libro quinto, verſu ſexto.

Ac

Quicquid ubique nitet, vigeat quandoque, notandum eſt.
Sunt etenim raris orti natalibus ignes
Aëra per liquidum: natoſque perire cometas
Protenus, et raptim ſubitas candeſcere flammas,
Rara per ingentes viderunt ſaecula motus.
Sive quod, ingenitum terra ſpirante vaporem,
Humidior ſicca ſuperatur ſpiritus aura;
Nubila cum longo ceſſant depulſa ſereno,
Et ſolis radiis areſcit torridus aër,
Apta alimenta ſibi dimiſſus corripit ignis;
Materiamque ſui deprendit flamma capacem.

Et

Vulg. v. 811. ETIAM RARAE SORTIS NATALIS EUNTES. 812. TRACTOSQUE. 820. RAPACEM.

Ac per deſcenſum medios percurreret ignes
Saturni, iovis, et martis, ſoliſque ſub illis,
Poſt venerem et Maia natum te, luna, vagantem,

Porro in verſu ſecundo codices vetuſti, *terram caelumque inter*; non ut vulgo, *caelum terramque*: ſed in ſpuriis quid intereſt, utro modo legantur?

V. 807. AC PRIUS INCIPIAM. *Ac* veteres, recentiores *hic*: repone, NUNC, *prius incipiam*. *Ac* et *n̄c* literula tantum differunt. Hoc vocabulo in tranſitionibus Noſter utitur.
Nunc *tibi ſignorum*. *Aſpice* nunc *infra*.
Nunc *binis inſiſte*. *Perſpice* nunc *tenuem*:
et alibi ſaepe.

V. 809. CORPUSQUE PER OMNE QUICQUID UBIQUE NITET. Repono,
Implenda eſt mundi facies, CENSUSQUE *per omne*. ut Noſter i, 12.
Et cupit aethereos *per carmina pandere* cenſus.
et iv, 880.
Inque ipſos penitus mundi *deſcendere* cenſus.
Sequens verſus adulterinus eſt; nec ſententia nec dictione proba.

V. 811. SUNT ETIAM RARAE SORTIS NATALIS EUNTES PROTENUS. Monſtrum hoc lectionis eſt: *Euntes* ſine nomine ſubſtantivo: quinam ſunt euntes, vel quo eunt? *rarae ſortis natalis* aenigma plane eſt, et Oedipum quaerit. Veteres univerſi ſic habent,
Sunt etiam rari ſorti *natalis euntes*:
Niſi quod pro *euntes* Venetus *eventus*. Statim hoc videnti ſe obtulit vera lectio,
Sunt ETENIM RARIS ORTI NATALIBUS IGNES.
Etenim lego non *etiam*: rationem enim reddit cur implenda ſit mundi facies; quia praeter aſtra et ſtellas ſunt cometae deſcribendi. *Raris orti natalibus*, hoc eſt, qui raro generantur. ut ſupra verſu 123.
Natali *quoque egere placet, ſemperque fuiſſe*.
et i, 484.
Nataleſque *ſuos occaſumque ordine ſervant*.

V. 812. TRACTOSQUE PERIRE COMETAS. Neſcio illos *tractos cometas*. Repone,
NATOSQUE *perire cometas*.
Intra breve tempus naſcuntur et pereunt: ut i, 824. *pariterque cadunt ſurguntque*.
Natos; ut i, 832. de cometis:
Lumina quae ſubitis exiſtunt nata *tenebris*.

V. 820. DEPRENDIT FLAMMA RAPACEM. Libri veteres et recentium plerique,
deprendit flamma CAPACEM.
Inconcinne enim *rapacem*; cum priore verſu ſit *corripit*: et prave; quia lectione illa admiſſa, ibi ignis *corripit* materiam, hic vero a materia *corripitur*.

Et quia non ſolidum eſt corpus, ſed rara vagantur
Principia aurarum, volucrique ſimillima fumo,
In breve vivit opus; citraque incendia limen
Subſiſtunt; pariterque cadunt ſurguntque cometae.
Quod niſi vicinos agerent occaſibus ortus,
Et tam parva forent accenſis tempora flammis;
Alter nocte dies eſſet, caelumque rediret
Immerſum, et ſomno totum deprenderet orbem.
Tum quia non una ſpecie diſpergitur omnis
Aridior terrae vapor, et comprenditur igni;
Diverſas quoque per facies accenſa feruntur
Lumina,

Vulg. v. 823. COEPTOQUE ———— FINE. 824. FULGENTE COMETA. 830. TERRAEQUE vapor.

V. 823. COEPTOQUE INCENDIA FINE SUBSISTUNT, PARITERQUE CADUNT FULGENTE COMETA. Mirificae vero locutiones. Incendia ſubſiſtunt, hoc eſt (ut volunt) exiſtunt, durant, poſtquam coeperit finis. Hoc intelligat, qui poteſt: immo vel illud intelligat, quid omnino ſit *coepto fine*. Illud vero aeque intellectu difficile eſt, *incendia* (cometae ſcilicet) *cadunt*, *fulgente* tamen *cometa*: cadunt ergo et extinguuntur, cum adhuc fulgeant. O poëtam Vulcano dedicandum, ſi haec ipſius verba ſunt, nec a librariis orta. Gemblacenſis, Lipſienſis, et recentiores aliquot:

coeptaque *incendia* finem
Subſiſtunt, *pariterque cadunt* ſulgentque cometae.

Ex his veſtigiis veram auctoris ſcripturam eruo;

CITRAQUE *incendia* LIMEN
Subſiſtunt; *pariterque cadunt* SURGUNTQUE COMETAE.

Opus, inquit, *in breve vivit*, et *incendia citra limen ſubſiſtunt*. Elegante metaphora ab aedium incendiis petita; quae, ſi citra limen ſubſiſtant, neque ultra ad domus vicinas progrediantur, cito deficiunt. *Citra limen ſubſiſtere*, ut Virgilius Aen. ii, 242.

quater ipſo in limine *portae*
Subſtitit.

Seneca de Tranquil. c, xv. *Sed ſe ipſos* citra *extrema bortentur* conſiſtere. Iam vero, quod ſequitur, *pariterque cadunt ſurguntque* plane auctoris noſtri ingenium et morem referunt; qui antithetis talibus mire ſibi placet. Supra verſu 205.

Undique ſurgentem *pariter pariterque* cadentem.

et i, 280.

Omnia concordi tractu veniuntque caduntque.

V. 830. ARIDIOR TERRAEQUE VAPOR COMPRENDITUR IGNI. Si animum advertas, conſtructionem vitioſam eſſe reperies. Lege, ut vetuſti quattuor habent,

Aridior terrae vapor ET *comprenditur igni.*

V. 834. TENUISQUE CAPILLUS DIFFUSOS RADIIS ARDENTIBUS EXPLICAT IGNES. Gemblacenſis quidem *capillus*; at Voſſianus et Lipſienſis *capillis*; hic vero pro varia lectione *capillos*, quod ſervant recentiores omnes. Repone,

TENUISQUE CAPILLOS
DIFFUSUS *radiis ardentibus explicat* IGNIS.

Ignis explicat capillos, non capillus ignes; ut *flamma comas imitatur*, non coma flammas. *Tenuis* in codicibus eſt, ut ſolet, caſus quarti pluralis. *Ignis* vero in Voſſiano eſt.

V. 836. NUNC PRIOR HAEC SPECIES. Solus Gemblacenſis *ſpecies*, ceteri omnes *facies*.

Unum-

Lumina, quae subitis existunt nata tenebris.
Nam modo, ceu longi fluitent de vertice crines,
Flamma comas imitata volat; tenuesque capillos
Diffusus radiis ardentibus explicat ignis.
Nunc prior haec species dispersis crinibus exit,
Et glomus ardentis sequitur sub imagine barbae.
Interdum aequali laterum compagine ductus,
Quadratamve trabem fingit, teretemve columnam.
Quinetiam tumidis exaequat dolia flammis,
Procere distenta uteros; parvasque capellas
Mentitur, parvos ignis glomeratus in orbes

Hirta

Vulg. v. 834. TENUISQUE CAPILLUS. 835. DIFFUSOS——IGNES. 837. GLOBUS. 841. PROCERO——UTERO PARVOSQUE CAPILLOS.

Utrumvis recte: illud versu 829; hoc 831.

V. 837. ET GLOBUS ARDENTIS SEQUITUR SUB IMAGINE BARBAE. Quomodo *globus*, undique rotundus, barbam humanam exprimat, non video. *Longam*, *promissam* barbam saepe legas, *globosam* opinor nusquam. Repone,

Et GLOMUS *ardentis sequitur sub imagine barbae.*

Glomus lanae, non compressum, recte imitetur barbam. Lucretius i, 361.

Nam si tantumdem est in lanae glomere *quantum*
Corporis in plumbo est, tantumdem pendere par est.

Horat. Ep. i, xiii, 14.

Ut vinosa glomus *furtivae Pyrrbia* lanae.

ubi codices quidam, ut hic, *globos*; alii *glomos*.

V. 841. PROCERO DISTENTA UTERO. Gemblacensis et Lipsiensis *uteros*: iidemque cum Vossiano *procere*. Repone igitur,

PROCERE *distenta* UTEROS.

Distenta uteros, notissima constructione, hoc est dolia habentia uteros procere distentos.

V. 841. PARVOSQUE CAPILLOS MENTITUR PARVOS IGNIS GLOMERATUS IN ORBES. HIRTA FIGURATUR TREMULO SUB LUMINE MESSIS. Sine dubio mendosum est *capillos*: nam de *crinibus*, *comis*, *capillis* iam egerat versu 834. Mirum vero, si *messis* integra a meteoris figuratur: neque messis dici potest *hirta*: arista quidem vel spica, si placet; sed minime messis. *Figuratur* et *messis* a Scaligeri coniectura veniunt. Scripti veteres mirum quantum ab his discedunt; *partosque* habent *capillos*; nisi quod Vossianus *partesque*, et Venetus *capellos*: deinde versu novissimo omnes habent *figurantis*—*menses*. Repone,

PARVASQUE CAPELLAS
Mentitur, parvos ignis glomeratus in orbes
Hirta FIGURANTES *tremulo sub lumine* MENTA.

Describit meteori genus, quod *αἶγες* sive *caprae* vocatur. Aristoteles Meteor. i, 4. *Οἱ καλούμενοι δαλοὶ καὶ αἶγες——ὅταν μὲν οἷον ἀποσπινθηρίζῃ ἅμα καιόμενος αἲξ καλεῖται*: hoc est, *vocantur torres et caprae*—— *cum autem quasi scintillas emittat, dum ardet,* capra *nominatur.* Seneca Natur. Quaest. i, 1. *Ignium multae variaeque facies sunt. Aristoteles quoddam genus eorum* capram *vocat? Si me interrogaveris quare? prior mibi rationem reddas oportet, cur boedi vocentur. Si autem, quod commodissimum est, convenerit inter nos ne alter alterum interroget, quid dicat ille: satius erit de re ipsa quaerere quam mirari, quid ita* Ari-

Hirta figurantes tremulo ſub lumine menta:
Lampadas et fiſſas ramoſos fundit in ignes.
Praecipitant ſtellae, paſſimque volare videntur;
Cum vaga per nitidum ſcintillant lumina mundum:
Et tenuem longis iaculantur tractibus ignem,
Excurruntque procul volucres imitata ſagittas;
Arida cum gracili tenuatur ſemita filo.
Sunt autem cunctis permixti partibus ignes:
Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes;
Et penetrant terras, Aetnamque minantur olympo;
Et calidas reddunt ipſis in fontibus undas;

Ac

Vulg. v. 843. FIGURATUR——MESSIS. 844. LAMPADIAS FISSUS. 845. PRAECIPITES. 846. LIQUIDUM. 847. TENUES—CRINIBUS IGNES.

Ariſtoteles globum ignis *appellaverit* capram. Nota illud *globum ignis capram* appellat: unde ſcias, cur Noſter dicat, ignem *in parvos orbes glomeratum* capellas mentiri et effingere. Ceterum *hirta menta*: quia cum cetero corpore, tum mento praecipue hirtae ſunt, utpote barbatae. *Menta* plurali numero; ut Virgil. Georg. iii, 311.

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci.

Noſter denique v, 103.

Cumque decem partes aries duplicaverit ortu;
Incipient hoedi tremulum *producere* mentum,
Hirtaque *tum demum terris promittere terga.*

Adverte modo *tremulum mentum* et *hirta terga*, et agnoſces emendationem.

V. 844. LAMPADIAS FISSUS RAMOSOS FUNDIT IN IGNES. Hoc quoque a Scaligero: ſed minus feliciter. *Fundit*, inquit, *fiſſus*, ſive fiſſuras, *in ramoſos ignes*. At neque *fiſſus* pro fiſſura reperitur; neque quid ſit *fundere fiſſuras* excogitare poſſum. Repone cum codicibus univerſis,

LAMPADAS ET FISSAS *ramoſos fundit in ignes.*

Ideo fiſſas, quia lampades ex pluribus filis vel bacillis conſtabant; et findebantur, quo melius arderent. At ex Plinio citat Scaliger ii, 22. *lampadias ardentes imitatur faces.* Atqui Plinius omnes cometarum ſpecies graecis vocabulis appellat, *Pogonias*, *Acontias*, *Xiphias*, *Ceratias*: Noſter ne unam quidem, ſed omnes latine.

V. 845. PRAECIPITES STELLAE PASSIMQUE VOLARE VIDENTUR. Illud *que*, extra ſuam ſedem locatum, plane mendum hic indicat. Repone,

PRAECIPITANT *ſtellae, paſſimque volare videntur.*

Praecipitant, neutraliter: ut Virgil. Aen. ii, 8.
et iam nox humida caelo Praecipitat.

V. 846. CUM VAGA PER LIQUIDUM SCINTILLANT LUMINA MUNDUM. Gemblacenſis et Lipſienſis *nitidum*; non *liquidum*: quos ob vetuſtatem ſequemur; cum inter verba parum interſit.

V. 847. ET TENUES LONGIS IACULANTUR CRINIBUS IGNES. Vetuſti omnes *tenuem——ignem*. Repone,

Et TENUEM *longis iaculantur* TRACTIBUS IGNEM.

Crinibus forte tueri quis velit, ex Virgilio Aen. v, 527. *caelo ceu ſaepe refixa*
Tranſcurrunt, crinemque *volantia ſidera ducunt.*

Sed melius certe *crinem*, quam *crines*: et *tenuis ignis* uno crine ducendus eſt, non pluribus,

ut

Ac silice in dura, viridique in cortice sedem
Inveniunt, cum silva sibi collisa crematur:
Ignibus usque adeo natura est omnis abundans.
Ne mirere faces subitas erumpere caelo;
Aëraque accensum flammis lucere coruscis,
Arida complexum spirantis semina terrae,
Quae volucer pascens ignis sequiturque, fugitque;
Fulgura cum videas tremulum vibrantia lumen
Imbribus e mediis; et caelum fulmine ruptum.
Sive igitur raro praebentes semina terrae
In volucres ignes, possunt generare cometas:

Sive

Vulg. v. 848. EXURGUNTQUE. 852. IMITANTUR. 862. Imbribus IN. 863. RATIO PRAEBENTIS. 864. INVOLVENS—POTUIT.

ut versu 849. *gracili filo*, non *filis*: et iam *crinibus* habuimus versu 836, et *crines* 833, pro specie cometae: nec commode dicitur *iaculari crinibus*. Quare alium Maronis locum de re eadem Noster expressit Georg. i, 365.

Saepe etiam stellas, *vento impendente*, *videbis*
Praecipites *caelo labi*, *noctisque per umbram*
Flammarum longos *a tergo albescere* tractus.

Lucretius ii, 206.

Nocturnasque faces caeli sublime volantes
Nonne vides longos *flammarum ducere* tractus?

V. 848. EXURGUNTQUE PROCUL VOLUCRES IMITATA SAGITTAS. Quomodo faces *exsurgendo* sagittas *imitantur*? Tres veteres *exuruntque*; Vossianus *exuritque*. *Exurgunt* a Scaligero est, minus apte. Repone,

EXCURRUNTQUE *procul volucres imitata sagittas.*

Procul excurrunt, procul evolant; quo ipso sagittas imitantur.

V. 851. QUI GRAVIDAS HABITANT. Noster i, 132.

· *flammaeque micantes*,
Quae mundi fecere oculos, habitantque per omne
Corpus, *et in caelo vibrantia* fulmina *fugunt*.

V. 852. AETNAMQUE IMITANTUR OLYMPO. Quid hoc est? *Ignes penetrant terras, et imitantur Aetnam olympo?* Immo potius si quicquam *imitantur*; *Aetnaque imitantur olympum*. Sed vetusti omnes melius,

Et penetrant terras, Aetnamque MINANTUR *olympo.*

Minantur flammas Aetnae olympo, quasi quandoque caelum ipsum combusturas. Sic infra 891.

terrisque minantur
Ardentes sine fine rogos.

Seneca Consol. ad Polyb. c. xxii: *Numquam ille* te fratrem *ulli* minatus *est*.

V. 862. IMBRIBUS IN MEDIIS. Veteres universi *Imbribus et mediis*, Legendum,

Imbribus E mediis.

V. 863. SIVE IGITUR RATIO PRAEBENTIS SEMINA TERRAE INVOLVENS IGNES POTUIT GENERARE COMETAS. *Involvens ignes potuit* a Scaligero sunt. Libri omnes vetusti,

In volucres ignes posuit:

et recentiores itidem; nisi quod habent *possunt*. Repone,

Sive igitur RARO PRAEBENTES *semina terrae*
IN VOLUCRES *ignes*, POSSUNT *generare cometas.*

Ubi ordo est, *sive igitur terrae (ut iam diu disserui) raro praebentes semina in volucres ignes*,

Sive illas natura faces ut cuncta creavit
Sidera, perpetuis caelo lucentia flammis:
Sed trahit ad semet rapido Titanius aestu,
Involvitque suo flammantes igne cometas;
Ac modo dimittit: sicut Cyllenius orbis,
Et venus, accenso cum ducit vespere noctem,
Saepe latent, falluntque oculos, rursumque revisunt:
Seu deus, instantis fati miseratus, in orbem
Signa per affectus caelique incendia mittit.
Numquam futilibus excanduit ignibus aether:
Squalidaque elusi deplorant arva coloni,
Et steriles inter sulcos defessus arator
Ad iuga moerentes cogit frustrata iuvencos.

Aut

Vulg. v. 865. SUB IUNCTA. 866. PER TENUES——FLAMMAS. 867. SEU. 871. NITENT——RURSUSQUE.

nes, possunt cometas generare. Praebentes semina in ignes; ut supra, 815.

Sive quod ingenitum terra spirante vaporem.

Raro autem praebentes, ut versu 811.

Sunt etenim raris *orti natalibus ignes.*

et mox 814.

Rara *per ingentes viderunt saecula motus.*

V. 865. SIVE ILLAS NATURA FACES SUB IUNCTA CREAVIT SIDERA PER TENUES CAELO LUCENTIA FLAMMAS. *Sub iuncta* Scaligero debemus: libri universi, *ob cuncta*. Repone et interpunge,

Sive illas natura faces, UT CUNCTA *creavit*
Sidera, PERPETUIS *caelo lucentia* FLAMMIS.

Ubi ordo est, *sive natura creavit, ut cuncta sidera, ita illas faces*; hoc est, *cometas*, qui revera *sidera perpetua sunt*. Opinio Chaldaeorum, Senecae, et aliorum aliquot: quam verissimam esse hoc demum saeculo est demonstratum a maximo viro Isaaco Newtono: de quo quasi vaticinatus est Seneca Nat. Quaest. vii, 26. *Erit qui demonstret aliquando, in quibus cometae partibus errent: cur tam seducti a ceteris eant; quanti qualesque sint.* Idem vii, 22. *Ego nostris* (Stoicis) *non assentior: non enim existimo cometen subitaneum ignem, sed inter aeterna opera naturae.* Vides hic, quod Noster modo dixit, *Natura eos creavit* et *perpetua*. Iterum vii, 3. *Qui apud Chaldaeos studuisse se dicit Apollonius Myndius, peritissimus naturalium, ait cometas in numero stellarum poni a Chaldaeis, tenerique cursus eorum.*

V. 867. SEU TRAHIT AD SEMET. *Seu* quoque a coniectura Scaligeri est; cum libri omnes hic recte habeant, SED *trahit*. Rationem reddit prioris sententiae; non novam, ut vir summus opinatus est, sententiam proponit. Cometae, inquit, sui generis planetae: perpetuis flammis lucent: *sed* cum in orbitis suis soli appropinquant, occultantur eius validiore luce, quo modo venus et mercurius.

V. 871. SAEPE NITENT, FALLUNTQUE OCULOS, RURSUSQUE REVISUNT. Ipsa poscit sententia, ut reponas *latent*; Gemblacensis, *rursum*.

Saepe LATENT *falluntque oculos*, RURSUMQUE *revisunt.*

V. 880. TABENTESQUE RAPIT. Codices universi *labentes*: quod miror a Scaligero mu-

Aut gravibus morbis, et lenta corpora tabe
Corripit exuſtis letalis flamma medullis,
Labenteſque rapit populos; totaſque per urbes
Publica ſuccenſis peraguntur iuſta ſepulchris.
Qualis Erechtheos peſtis populata colonos
Extulit antiquas per funera pacis Athenas,
Alter in alterius labens cum colla ruebant.
Nec locus artis erat medicae, nec vota valebant.
Ceſſerat officium morbis; et funera deerant
Mortibus, et lacrimae. laſſus defecerat ignis,
Et coacervatis ardebant corpora membris:
Ac tanto quondam populo vix contigit heres.
Talia ſignificant gaudentes clade cometae:

Funera

Vulg. v. 880. TABENTESQUE. 881. FATA. 884. FATA. 887. FESSUS. 890. LUCENTES SAEPE.

mutatum in *tabentes*; cum altero abhinc verſu habuerimus, *lenta corpora tabe*. Infra 884.

Alter in alterius labens *cum colla ruebant*.

Virgilius in peſte, Georg. iii, 498.

Labitur *infelix ſtudiorum atque immemor herbae* *Victor equus*.

V. 881. PUBLICA SUCCENSIS PERAGUNTUR FATA SEPULCHRIS. Solus Gemblacenſis *ſuccenſi———ſepulchri*. Repone,

Publica ſuccenſis peraguntur IUSTA *ſepulchris*.

Certe *peragere fata* aliud eſt, nec loco convenit. At *peragere iuſta* ſive exequias, tam vulgatum, quam ſententiae accommodatum. Ovid. Met. ii, 625.

Et dedit amplexus, iniuſtaque iuſta peregit.

V. 884. ALTER IN ALTERIUS LABENS CUM FATA RUEBANT. Et hic quoque illud *fata* librariorum eſt, non auctoris. Dederat ille,

Alter in alterius labens cum COLLA *ruebant*.

Val Flaccus ii, 425.

Sic ait, Haemonii labens in colla *mariti*.

V. 886. ET FUNERA DEERANT. Inſepulta iacebant corpora et indefleta: unde addit, *laſſus defecerat ignis*: nulli amplius rogi. Cave cum amico noſtro reponas *munera*, hoc eſt comae ſectae, veſtes, aromata. Talia enim in tam dura peſte defuiſſe nec mirandum nec dolendum.

V. 887. FESSUS DEFECERAT IGNIS. Libri vetuſti *laſſus*; quod reponendum eſt.

V. 888. ET COACERVATIS ARDEBANT CORPORA MEMBRIS. Quomodo ſodes *ardebant*, ſi ignis iam defecerat? Et quale genus loquendi, *corpora membris coacervatis?* Hypallage, inquit Huetius, pro *membra corporibus*. Apage tales Hypallagas. An membra tantum ardebant non corpora? Et poſt praelium legimus coacervata corpora; atque id opera victoris: ſed quis corpora peſte extinctorum coacervaverit? Eſt verſus ſpurius.

V. 890. TALIA SIGNIFICANT LUCENTES SAEPE COMETAE. *Lucentes ſaepe* inertiſſime dictum. Repono,

Talia ſignificant GAUDENTES CLADE *cometae*. ut iv, 221.

Efficit et multo gaudentem ſanguine *Syllam*.

K V.

Funera cum facibus veniunt, terrifque minantur
Ardentes fine fine rogos, cum mundus et ipfa
Aegrotet natura novum fortita fepulchrum.
Quin et bella canunt ignes, fubitofque tumultus,
Et clandeftinis furgentia fraudibus arma:
Externas modo per gentes; ut foedere rupto
Cum fera ductorem rapuit Germania Varum,
Infecitque trium legionum fanguine campos;
Arferunt toto paffim volitantia mundo
Lumina, et ipfa tulit bellum natura per ignes,
Oppofuitque fuas vires, finemque minata eft.
Nec mirere graves rerumque hominumque ruinas:
Saepe domi culpa eft. nefcimus credere caelo.
Civiles etiam motus, cognataque bella
Significant. nec plura alias incendia mundus
Suftinuit, quam cum ducibus iurata cruentis
Arma Philippeos implerunt agmine campos.

Vixque

Vulg. v. 896. EXTREMAS. 899. MINITANTIA.

V. 896. EXTREMAS MODO PER GENTES. Vetufti omnes,

EXTERNAS *modo per gentes.*

Rectiffime: modo *per gentes externas*; modo domi *civiles motus et cognata bella* verfu 904. Unde conftat, Huetium perperam *etenim* pro *etiam* ibi repofuiffe.

V. 899. ARSERUNT TOTO PASSIM MINITANTIA MUNDO LUMINA. Male hic *minitantia*; cum ftatim fequatur *minata eft*. Repono,

Arferunt toto paffim VOLITANTIA *mundo.*

V. 909. VIX ETIAM SICCA. Repone ex Lipfienfi, Voffiano et aliis,

VIXQUE *etiam ficca.*

V. 909. OSSA VIRUM, LACEROSQUE PRIUS SUPERASTITIT ARTUS. Quid illud monftri

Vixque etiam ſicca miles Romanus arena
Oſſa virum, laceroſque (nefas) ſuperaſtitit artus.
Imperiumque ſuis conflixit viribus ipſum,
Perque patris pater Auguſtus veſtigia vicit.
Necdum finis erat: reſtabant Actia bella
Dotali commiſſa acie, repetitaque rerum
Alea, et in ponto quaeſitus rector olympi:
Femineum ſortita iugum cum Roma pependit,
Atque ipſa Iſiaco certarunt fulmina ſiſtro.
Reſtabant profugo ſervilia milite bella;
Cum patrios armis imitatus filius hoſtes,
Aequora Pompeius cepit defenſa parenti.
Sed ſatis hoc fatis fuerit. iam bella quieſcant:
Atque adamanteis diſcordia vincta catenis
Aeternos habeat frenos in carcere clauſa.
Sit pater invictus patriae; ſit Roma ſub illo:
Cumque deum caelo dederit, non quaerat in orbe.

M.

Vulg. v. 908. VIX etiam. 909. PRIUS. 915. POMPA.

monſtri eſt, *prius laceros?* Suſpicor ab auctore fuiſſe,

Oſſa virum laceroſque (NEFAS) *ſuperaſtitit artus.* Ut Virgilius Aen. viii, 688.
Sequiturque (nefas) *Aegyptia coniunx.*

V. 915. FEMINEUM SORTITA IUGUM CUM POMPA PEPENDIT. Libri omnes, *pompa rependit:* unde recte Scaliger *pependit:* ſed interim de *pompa* nihil dictum: quam tamen interpretari velle, eſt operam perdere. Repone,

Femineum ſortita iugum cum ROMA *pependit.*

Ordo eſt, cum *Roma pependit* dubia, *ſortita femineum iugum:* quaſi iactis ſortibus, an ſub Cleopatrae iugum cederet. Noſter iv, 35. de Horatio,

pendebat *ab uno*
Roma *viro, regnumque orbis* ſortita *iacebat.*

Claudianus i, Stil. 375.

diſcrimine Roma *ſupremo*
Inter ſupplicium populi deforme pependit.

V.

M. MANILII

ASTRONOMICÔN

LIBER SECUNDUS.

MAximus Iliaeae gentis certamina vates,
Et quinquaginta regum regemque patremque;
Hectoreamque facem, tutamque sub Hectore Troiam,
Erroremque ducis totidem, quot vicerat, annis
Iactati pelago, geminataque Pergama ponto;

Ulti-

Vulg. v. 5. INSTANTEM BELLI geminata PER AGMINA.

V. 3. HECTOREAMQUE FACEM TUTAMQUE SUB HECTORE TROIAM. Vetusti omnes, *Hectoreumque facit*. Versum adulterinum esse suspicor, nempe confictum ex i, 764.

Assaracum atque Ilum, totamque sub Hectore Troiam.

cuius pars prior in codicibus sic depravata est. *Castra ducum et caeli*; ut hic *Hectoreumque facit*.

V. 4. ERROREMQUE DUCIS TOTIDEM, QUOT VICERAT, ANNIS INSTANTEM, BELLI GEMINATA PER AGMINA, PONTO. Res, de qua agitur, constat; Ulixen tot annos consumpsisse in ponto, quot apud Troiam: ut Ovid. Amor. ii, i, 31.

Quique tot errando quot bello perdidit annos.

et Art. Am. iii, 15.

Est pia Penelope, lustris errante duobus,
Et totidem lustris bella gerente viro.

sed verba contaminatissima sunt. Quid enim est, *errorem instare ponto?* Dux ipse certe instabat, non error. Quid denique est, *per agmina belli?* vel quid *agmina geminata?* Nemo quisquam, cui ullus harum literarum gustus est, haec sana esse credet. Pro *belli*, quod a Scaligero est, libri omnes *bello*. Repone,

Erroremque ducis totidem, quot vicerat, annis
IACTATI PELAGO; *geminata*QUE PERGAMA *ponto*.

sententia clara, nullaque egens explicatione. Dicam modo, quod meis oculis vidi. Ovid. Heroid. xvii, 205.

An sequar, ut suades; laudataque Pergama visam.

Est in bibliotheca Collegii Trinitatis codex in membranis scriptus, qui a prima manu sic versum exhibet,

An sequar, ut suades; laudata per agmina *visam.*

Postea *per agmina* transversa linea inductum est, et superne emendatum *que pergama*. Vides id ipsum librario isti evenisse, quod nostris. Ceterum auctor in tribus prioribus versibus *Iliada* Homeri vult, in his duobus *Odysseam*. Quot *vicerat*:

Ultimaque in patria captisque penatibus arma,
Ore sacro cecinit: patriam cui Graecia, septem
Dum dabat, eripuit: cuiusque ex ore profusos
Omnis posteritas latices in carmina duxit,
Amnemque in tenues ausa est diducere rivos,
Unius fecunda bonis. sed proximus illi
Hesiodus memorat divos divumque parentes,
Et chaos enixum terras, orbemque sub illo
Infantem, et primos titubantia sidera partus:
Titanasque senes, Iovis et cunabula magni:
Et sub fratre viri nomen, sine fratre parentis,
Atque iterum patrio nascentem corpore Bacchum,
Omniaque inmenso volitantia numina mundo.
Quinetiam ruris cultus legesque novandi,
Militiamque soli; quod colles Bacchus amaret,

Quod

Vulg. v. 7. QUI ET IURA PETENTI. 10. DEDUCERE. 14. PRIMUM——— CORPUS. 19. ROGAVIT.

vicerat annis; ut Caesar apud Lucanum i, 300.
decimo iam vincitis anno.

V. 7. PATRIAM QUI ET IURA PETENTI DUM DABAT, ERIPUIT. Hoc in hunc modum enarrat vir magnus: ait auctor, inquit, Homerum eripere patriam Ulixi, dum dat ei: nam et sero post viginti annos patriam ei reddit, et etiam tum a procis possessam: ergo potius *rura* legi oportere quam *iura*: quod prius rus pervenerit Ulixes, ab Eumaeo subulco ibi receptus. In corruptissima, ut nunc fertur, lectione, vix his meliora dici potuerunt. Sed aliud et toto pelago distans in mente erat auctori. Libri vetusti omnes sic habent,

patria quae iura petentem
Dum dabat eripuit.

Vossianus tantum, *patriam*. Ex his vestigiis sententiam ipsam indagavi, et statim verba velut iniussa se obtulerunt. Repone,

patriam CUI GRAECIA, SEPTEM
Dum dabat, eripuit.

Qui Homero Graecia septem patrias assignabat, quarum nomina

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Ios,
Argos, Athenae;

et septem assignando nullam ei certam reliquit.

V. 10. AUSA EST DEDUCERE RIVOS. Lege DIDUCERE: in hoc vocabulo semper errant nostri librarii. In priore versu *lances* vetusti omnes, aperto errore: nam iidem *profusos* habent; solus Gemblacensis *profusas*.

V. 14. INFANTEM, ET PRIMUM TITUBANTIA SIDERA CORPUS. Quomodo vero *sidera primum* erant *corpus*; cum ante illa extiterint *chaos, terrae, orbis*? Iuvant hic codices vetusti, qui omnes habent *primos*, non *primum*. Repone,

Infantem, et PRIMOS *titubantia sidera*
PARTUS.

V. 19. LEGESQUE ROGAVIT. Gemblacensis *notarit*, et pro varia lectione *rogarit*: ceteri vetusti *rogarit*; recentiores aliquot *rogavit*: omnes mendose. *Rogare* quidem *leges*

recte

Quod fecunda Ceres campos, quod Pallas utrumque;
Atque arbuſta vagis eſſent quod adultera pomis;
Silvarumque deos, ſacrataque numina nymphas,
Pacis opus, magnos naturae condit in uſus.
Aſtrorum quidam varias dixere figuras,
Signaque diffuſo paſſim labentia caelo
In proprium cuiuſque genus cauſaſque tulere:
Perſea et Andromeden poena, matremque dolentem,
Solantemque patrem; raptuque Lycaone natam,
Officioque Iovis cynoſuram, lacte capellam,
Et furto cycnum, pietate ad ſidera ductam
Erigonen, ictuque nepam, ſpolioque leonem,

Et

Vulg. v. 21. BACCHUS. 25. VARIAS QUIDAM. 28. ANDROMEDAE POENAS. 29. SOLVENTEMQUE——RAPTAMQUE.

recte dicitur: ſed quid eſt *rogare cultus, rogare militiam?* Dedit auctor,

Quintiam ruris cultus, legeſque NOVANDI.

Novatus ager; Cicero, et alii: ſic Ovidius Amor. i, iii, 9.

Nec meus innumeris renovatur *campus aratris.* et Pont. iv, ii, 44.
Oblectat cultu terra novata *ſuo.*

Continuatur ſententia uſque ad *condit*: quod neſcientes librarji verbum, quod deeſſe credebant, pro captu ſuo ſuppoſuerunt. Atqui nullum verbum praeteriti temporis hic locum habet: *memorat, condit.*

V. 21. QUOD BACCHUS UTRUMQUE. Inepta repetitio.; *quod Bacchus colles amaret, quod Bacchus utrumque.* Repone,

quod colles Bacchus amaret,
Quod fecunda Ceres campos, quod PALLAS *utrumque.*

Vitis amaret colles, *ſegetes* campos, *olea* utrumque, et colles et campos. Et hoc verum eſt. Lucretius v, 1371.

Prata, lacus, rivos, ſegetes, vinetaque *laeta,*
Collibus *et* campis *ut haberent: atque* olearum
Caerula diſtinguens inter plaga currere poſſet
Per tumulos *et* convalles campoſque *profuſa.*

Silius i, 237.

Nec Cereri *terra indocilis, nec inhoſpita* Baccho,
Nullaque Palladia *ſeſe magis arbore tollit.*

V. 23. SILVARUMQUE DEOS, SACRATAQUE NUMINA NYMPHAS. Nihil tale in Heſiodi Ἔργοις: et quomodo cederet *in magnos uſus naturae* faunos et nymphas memoraſſe? verſus eſt adulterinus.

V. 25. ASTRORUM VARIAS QUIDAM. Codices univerſi, *aſtrorum quidam varias.* Cur ab illis ſine cauſa recedamus?

V. 28. PERSEA, ET ANDROMEDAE POENAS, MATREMQUE DOLENTEM. Vetuſti codices *Perſi*, novi *Perſei.* Repone,

Perſea et ANDROMEDEN POENA, *matremque dolentem:*

Ordo eſt, Perſea, Andromeden, Caſſiopeam, et Cephea, ad ſidera ductos eſſe *poena.* Sic poſtea caſu ablativo, *furto, pietate, officio,* &c. *Cauſas* ſingulorum memorat, cur inter aſtra ponerentur. *Poena,* ut Noſter v, 553. de Andromeda;

Servatur tamen in poena *cultuſque pudorque.*

V. 29. SOLVENTEMQUE PATREM, RAPTAMQUE LYCAONE NATAM. Scaliger

Et morsu cancrum, pisces Cythereïde versa,
Lanigerum victo ducentem sidera ponto.
Ceteraque ex variis pendentia casibus astra
Aethera per summum voluerunt fixa revolvi.
Quorum carminibus nihil est nisi fabula caelum,
Terraque composuit caelum, quae pendet ab illo.
Quinetiam ritus pastorum, et Pana sonantem
In calamos, Sicula memorat tellure creatus:
Nec silvis silvestre canit, perque horrida motus
Rura ferit dulces, musamque inducit in antra.
Ecce alius pictas volucres, ac saecla ferarum,
Ille venenatos angues, hic gramina et herbas

Fata

Vulg. v. 39. PECORUM RITUS. 42. MUSASQUE——ARVA. 43. ET BELLA. 44. NATA PER.

ger in priore editione dederat *solantemque*, ex coniectura: quam tamen in secunda destituit. Male factum. Repone,

SOLANTEMQUE *patrem;* RAPTUQUE *Lycaone natam.*

Solatur Cepheus filiam vinctam, non solvit. Et codex Venetus clare *solantemque*. *Raptu*, ut ceteri hic ablativi. Ita *raptus Helenae, Ganymedis, Proserpinae*, &c.

V. 39. QUINETIAM PECORUM RITUS, ET PANA SONANTEM. Libri veteres alio ordine *ritus pecorum* versu licet reclamante: unde facillima exoritur emendatio,

Quin etiam ritus PASTORUM *et Pana sonantem.*

Ritus pecorum aliud significarent, nempe vitam et victum pecudum. Claudian. vi Honorii, 152.

imperiumne Iovi legesne placerent
Et vitae Romana quies; an iura perosus
Ad priscos pecudum *damnaret saecula* ritus?

Prudent. Symm. i, 80.

pecudes inter ritusque ferinos.

V. 42. MUSASQUE INDUCIT IN ARVA. Libri universi; *Musamque inducit in auras*. *Arva* a Scaligero venit: et non placet cum praecesserit *rura*. Lego potius,

MUSAMQUE *inducit in* ANTRA.

in antris enim canere solebant pastores. Virgilius Eclog. i, 76.

posthac viridi proiectus in antro,
Carmina nulla canam. et Ecl. v, 6.
Sive antro *potius succedimus: aspice ut antrum*
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

Claudianus:

Terpsichore facilem lascivo pollice movit
Barbiton, et molles duxit in antra *choros.*

V. 43. ECCE ALIUS PICTAS VOLUCRES ET BELLA FERARUM. Sic infra iv, 224.

Nunc hominum, nunc bella *gerunt violenta* ferarum.

sed alienum hoc est a versus huius sententia. Repone,

Ecce alius pictas volucres AC SAECLA *ferarum.*

Lucretiana phrasis, ii, 1075.

Et varias hominum gentes, et saecla ferarum.

At omnes libri, non *et*.

V. 44. HIC NATA PER HERBAS FATA REFERT, VITAMQUE SUA RADICE FERENTES. Evolve, si potes, constructionis seriem. *Refert fata nata per herbas, ferentesque vitam sua radice.* Nihil in his sani est. Repone,

hic

Fata refert vitamve ſua radice ferentes.
Quinetiam tenebris immerſum Tartaron atris
In lucem de nocte vocant; orbemque revolvunt
Interius verſum, naturae foedere rupto.
Omne genus rerum doctae cecinere ſorores.
Omnis ad acceſſus Heliconis ſemita trita eſt.
Et iam confuſi manant de fontibus amnes;
Nec capiunt hauſtum, turbamque ad nota ruentem.
Integra quaeramus rorantes prata per herbas,
Undamque occultis meditantem murmur in antris;
Quam neque durato guſtarint ore volucres,
Ipſe nec aethereo Phoebus libaverit igni.
Noſtra loquar: nulli vatum debebimus orſa:
Nec furtum, ſed opus veniet; ſoloque volamus
In campum curru: propria rate pellimus undas.
Namque canam tacita naturam mente potentem:
Infuſumque deum caelo terriſque fretoque,
Ingentem aequali moderantem foedere molem:
Totumque alterno conſenſu vivere mundum,

Et

Vulg. v. 45. VITAMQUE. 46. ATRUM. 59. CAELUM—PRIVA. 60. NATURAE.

hic GRAMINA ET *herbas*
*Fata refert vitam*VE *ſua radice ferentes.*
Herbas refert vel peſtiferas vel ſalutiferas.

V. 46. TENEBRIS IMMERSUM TARTARON ATRUM. Veteres codices monſtroſe, *immenſum tartara natram:* unde legerim concinnius paulo,

Quinetiam tenebris immerſum Tartaron ATRIS.

V. 59. SOLOQUE VOLAMUS IN CAELUM CURRU, PRIVA RATE PELLIMUS UNDAS. *Priva rate* ut Horatius Epiſt. i, i, 93. *locuples quem ducit* priva triremis. *Priva* a Scaligero venit auctoritate, ut narrat, codicis Gemblacenſis: ſed et ille codex et omnes alii *propria* habent; quod reponendum. Porro illud *in caelum* mendoſe: corrigo,

ſoloque volamus
In CAMPUM *curru,* PROPRIA *rate pellimus undas.*

Campus currui ut mare navi. Librarii caelum interpolarunt propter illud volamus. Quaſi vero non omnibus poëtis etiam in campo currus volitarent.

V. 60. NAMQUE CANAM TACITA NATURAE MENTE POTENTEM INFUSUMQUE DEUM CAELO. Quis ferre poſſit *deum*

non

Et rationis agi motu: cum ſpiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem
Omnia pervolitans, corpuſque animale figuret.
Quod niſi cognatis membris contexta maneret
Machina, et impoſito pareret tota magiſtro,
Ac tantum mundi regeret prudentia cenſum;
Non eſſet ſtatio terris, non ambitus aſtris:
Haereretque vagus mundus, ſtandoquè rigeret:
Nec vaga diſpoſitos ſervarent ſidera curſus,
Noxve alterna diem fugeret, rurſumque fugaret:
Non imbres alerent terras, non aethera venti,
Nec pontus gravidas nubes, nec flumina pontum,
Nec pelagus fontes: nec ſtaret ſumma per omnes
Par ſemper partes aequo digeſta parente:
Ut neque deficerent undae, nec ſideret orbis,
Nec caelum iuſto maiuſve minuſve volaret.
Motus alit, non mutat opus. ſic omnia toto
Diſpenſata manent mundo, dominumque ſequuntur.
Hic igitur deus, et ratio quae cuncta gubernat,

Ducit

Vulg. v. 72. SUA. 73. NOXQUE. 78. SIDERA NOBIS.

non propria ſed *naturae* mente potentem? Dedit auctor,

Namque canam tacita NATURAM *mente potentem, Infuſumque deum caelo.*

V. 71. HAERERETQUE VAGUS MUNDUS, STANDOQUE RIGERET. Verſus adulterinus a nebulone quodam intruſus. Quis ſani capitis totum mundum *vagum* appellaverit? *Mundi* quoque iam habuimus verſu abhinc altero. Niſi *mundus*, inquit, *prudentia regeretur, vagus mundus haereret.* Vides hominis ineptiam et infantiam.

V. 72. NEC SUA. Dedit auctor *nec* VAGA. *Vaga ſidera* ſunt planetae: ut ii, 742. et iii, 101. Mox, verſu ſequente, lege NOXVE.

V. 78. UT NEQUE DEFICERENT UNDAE, NEC SIDERA NOBIS. Illud *nobis* a mala manu eſt; et itidem *ſidera*. Sol enim et luna *ſidera* ſunt, et tamen in eclipſibus *deficere* dicuntur. Gemblacenſis codex, *ſidera orbis*; et ſuperne pro varia lectione *nobis:* Venetus vero, *ſidera et orbis*. Repone,

Ut neque deficerent undae, nec SIDERET ORBIS.

ut nec mare deficeret; nec ita exundaret, ut orbis ſive terra infra mare ſideret. i, 159.

Ultima ſubſedit *glomerato pondere tellus.*

Ducit ab aethereis terrena animalia signis:
Quae quamquam longo condit submota recessu,
Sentiri tamen, ut vitas ac fata ministrent
Gentibus, ac proprios per singula corpora mores.
Nec nimis est quaerenda fides. si temperat arva
Caelum; si varias fruges redditque, rapitque:
Si pontum movet, ac terris immittit et aufert:
Atque haec seditio pelagus nunc sidere lunae
Mota tenet, nunc diverso stimulata recessu,
Nunc anni spatio Phoebum comitata volantem:
Si submersa fretis, concharum et carcere clausa,
Ad lunae motum variant animalia corpus;

Et

Vulg. v. 84. COGIT. 85. MINISTRET. 87. MINUS—SIC. 88. SIC. 89. SIC—ET. 90. PELAGI—SIDERA. 91. TENENT. 93. SIC.

V. 84. QUAE QUAMQUAM LONGO COGIT SUMMOTA RECESSU, SENTIRI TAMEN, UT VITAS AC FATA MINISTRET. *Sentiri* infinitivo modo absolute; hoc est, sentiri tamen *fecit*, vel *possunt*. Quem loquendi morem multis exemplis explicat doctissimus Gronovius Observ. ii, 14. ubi et recte legit MINISTRENT; prout codices habent universi. *Quae signa*, licet hinc procul remota, *sentiri tamen ut* ministrent *vitas* &c. Unum restabat corrigendum: quorsum enim illud *cogit?* repone,

Quae quamquam longo CONDIT *submota recessu.* Ut Noster ii, 374.
Tertia convexo conduntur *signa* recessu.

V. 87. NEC MINUS EST QUAERENDA FIDES. SIC TEMPERAT ARVA CAELUM. Quid est *minus quaerenda?* Scaliger emendabat, Comminus *est quaerenda fides.* Vitium acute vidit: in medicina ferenda decrravit. Repono,

Nec NIMIS *est quaerenda fides.* SI *temperat* [*arva.*

Non diu et magno labore quaerenda sunt argumenta: sponte se offerunt. Ceterum hic et in sequentibus sexies reponendum est *si* pro *sic*: pendet enim sententia, et progreditur argumentatio ad versum usque 105. *Si* ista omnia sunt,

Quis dubitet post haec hominem coniungere [*caelo?*

V. 88. SIC VARIAS FRUGES——SIC PONTUM MOVET, ET TERRIS. Lege, SI *varias fruges*——SI *pontum movet*, AC. *Ac* libri veteres, non *et*.

V. 90. ATQUE HAEC SEDITIO PELAGI NUNC SIDERA LUNAE MOTA TENENT. Locus contaminatus; quem recte olim correxerat Scaliger; sed non satis constanter in sententia mansit:

Atque haec seditio PELAGUS *nunc* SIDERE *lunae*
Mota TENET.

Haec, inquit, seditio tenet pelagus, nunc lunae sidere mota, nunc solis. *Tenet* in codice Veneto est. Noster infra ii, 198.

Et quasi seditio *caelum* tenet.

Ceterum hoc sibi adoptavit Huetius: nisi quod *pelage* legit, ut propius scilicet accedat ad *pelagi*. Atqui nihil opus est verbo Lucretiano: cum non Gemblacensis modo, sed et tres ceteri vetusti hic habeant *pelagus*.

V. 93. SIC SUBMERSA FRETIS. lege SI *submersa*; ut in hoc loco etiam libri veteres.

V. 95. ET CUM DAMNA TUAS IMITANTUR, DELIA, VIRES. Quid hoc est, *cum damna lunae imitantur vires lunae?* Miror tam insignes doctrina et ingenio viros in re facili

1

Et tua damna, tuasque imitantur, Delia, vires:
Tu quoque fraternis si perdis in oribus ora,
Atque iterum ex iisdem repetis: quantumque reliquit
Aut dedit ille, refers; et sidus sidere constas:
Denique si pecudes et muta animalia terris,
Cum maneant ignara sui legisque per aevum,
Natura tamen ad mundum revocante parentem,
Attollunt animos, caelumque et sidera servant;
Corporaque ad lunae nascentis cornua lustrant;
Venturasque vident hyemes, reditura serena:
Quis dubitet post haec hominem coniungere caelo,
Cui xenium natura dedit linguamque capaxque
Inge-

Vulg. v. 95. CUM——TUAS. 96. SIC REDDIS CURRIBUS. 99. SIC. 102. AC. 106. EXIMIAM.

cili haesisse. Non ad sequentia, sed ad priora haec referuntur: Repone,

Ad lunae motum variant animalia corpus;
Et TUA *damna,* TUASQUE *imitantur, Delia, vires.*

Si ostrea, inquit, et conchae crescente luna crescunt succo; decrescente, decrescunt.

V. 96. TU QUOQUE FRATERNIS SIC REDDIS CURRIBUS ORA. Gemblacensis et Vossianus *curribus*; Venetus *cursibus*; Lipsiensis *cruribus*, et pro varia lectione *curribus*. Doctissimus Bullialdus, qui in hunc librum secundum notas scripsit, in postremam Scaligeri editionem receptas, sic legebat,

Tu quoque fraternis reddis sic oribus *ora.*

Et ingeniose quidem *oribus* reposuit: illa enim antitheta et argutiae apud Nostrum τὰ πάντα sunt. Sed emendatione excidit, cum mutato ordine *sic* necessario adscivit: cum, ut supra docui et res ipsa indicat, reponendum sit *si*. Quid quod *reddis ora*, et *repetis ora*, non sunt antitheta; quod auctor tamen sine dubio sectatus est. Lege,

Tu quoque fraternis SI PERDIS IN ORIBUS *ora,*
Atque iterum ex iisdem repetis.

Perdit luna sua ora in fraternis oribus, cum in interluniis sive lunae silentiis nobis non conspicitur; repetit ora a novilunio et deinceps. *Perdit* et *repetit* antitheta sunt: Ovid. Met. iv, 462.

Assiduae repetunt, *quas* perdant, *Belides undas.*

V. 99. DENIQUE SIC PECUDES. Iterum repone, SI *pecudes*. Quod vero mox ait, *muta animalia manere sui ignara*, eleganter et vere dictum est. Seneca de Vita Beata c. 5. *Eodem loco pone homines, quos in numerum* pecorum et animalium *redegit hebes natura et* ignoratio sui. Deinde, versu 102, lege ET.

V. 106. EXIMIAM NATURA DEDIT LINGUAMQUE CAPAXQUE INGENIUM. Ad hoc Scaliger, *Subaudiendum*, inquit, τὸ cui. *Horatius:* nemo ut sit avarus, Se probet. *Subintelligendum* qui. Atqui nec apud Horatium, neque quemquam scriptorem subintelligi potest *cui* vel *qui*. Locus Flacci est Serm. i, i, 108. ubi omnes scripti editique habent, *nemon' ut avarus Se probet?* Non de nihilo est, quod libri hic vetusti omnes praeferant *eximium*, non *eximiam*. Neque sane in recepta lectione recte dicas *linguamque*, sed *linguam*. Si *que* addis, pro *eximiam* necessario substituendum erit aliquod verbum, quod ad *linguam*,

ingenium,

Ingenium, volucremque animum? quem denique in unum
Defcendit deus atque habitat, feque ipfe requirit?
Mitto alias artes, quarum haut permiffa facultas;
Infidas adeo, nec noftri munera cenfus.
Mitto, quod aequali nihil eft fub lege tributum.
Quo patet auctoris fummam, non corporis effe.
Mitto, quod et certum eft, et inevitabile fatum;
Materiaeque datum eft cogi, fed cogere mundo.
Quis caelum poffet, nifi caeli munere, noffe?

Et

Vulg. v. 109. EST. 114. SAT. 115. POSSIT——MUNERA NOSSET.

ingenium, animum communiter referatur. Hariolari hic liceat, et ex coniectura legere,

CUI XENIUM *natura dedit linguamque capaxque.*

Xenium, munus, donum, ξένιον; quod a Graecis fumptum Latini ufurpabant. Vitruvius vi, 10. *Graeci opulentiores hofpitibus advenientibus mittebant pullos, ova, olera, poma, reliquafque res agreftes: ideo pictores, ea quae mittebantur hofpitibus imitantes,* xenia *appellaverunt.* Inde Martialis Epigrammatum liber xiii, XENIA infcribitur; et Epigrammate ibi tertio,

Omnis in hoc gracili xeniorum *turba libello*
Conftabit nummis quattuor empta tibi:
Haec licet hofpitibus pro munere *difticha mittas.*

Apuleius Met. ii. *Et mittit mihi Byrrhaena* xeniola, *porcum opimum, et quinque gallinulas, et vini cadum in aetate pretiofi.*

V. 109. MITTO ALIAS ARTES, QUARUM EST PERMISSA FACULTAS. De huiufce loci fententia in diverfa abeunt Scaliger et Bullialdus. Mihi fanus effe non videtur, fed fic emendandus;

Mitto alias artes, quarum HAUT *permiffa facultas.*

Artes magicas intelligit, quarum facultas non permiffa, fed legibus vetita erat: ergo *infidas* vocat, negatque effe *fui cenfus munera*, quippe quas nec docere vult nec difcere. Et tamen, fi verae effe admittantur, unice probant quod hic probare ftudet, *hominem caelo coniunctum effe, deumque in eum defcendere et habitare.* Sic Nofter fupra i, 91.

Ne vulgata canam; linguas didicere volucrum,
Confultare fibras, et rumpere vocibus angues;
Sollicitare umbras, imumque Acheronta movere;
In noctemque dies, in lucem vertere noctes.

V. 112. QUO PATET AUCTORIS SUMMAM, NON CORPORIS ESSE. Libri veteres,

Quod *patet* auctores fumma.

Voffianus folus *fummi.* Bonincontrius interpolabat, *auctores humani corporis effe.* Quoquo vertas, ineptus eft et adulterinus. Hoc voluit cuculus, mundum a deo creatore factum effe; non ab atomis Epicureis. Sed qualia verba funt? an *auctor* et *corpus* funt antitheta?

V. 114. MATERIAEQUE SAT EST COGI, SED COGERE MUNDO. Gemblacenfis *fat eft*; ceteri veteres *fatum eft*; recentiores, *datum eft.* Recte hoc, ut opinor. Nam *fat*, licet priori verfus colo conveniat, non convenit fecundo, *fat eft mundo cogere.* Repone igitur,

Materiaeque DATUM *eft cogi, fed cogere mundo.*

V. 115. QUIS CAELUM POSSIT, NISI CAELI MUNERA NOSSET. Gemblacenfis *poffet.* Repone.

Quis

Et reperire deum, nisi qui pars ipse deorum est?
Quisve hanc convexi molem sine fine patentis,
Signorumque choros, ac mundi flammea tecta,
Aeternum et stellis adversus sidera bellum
Ac terras caeloque fretum, subiectaque utrisque
Cernere, et angusto sub pectore claudere posset?
Ni tacitos animis stimulos natura dedisset,
Cognatamque suae mentem vertisset ad ipsam,
Et tantum dictasset opus? caeloque veniret,

Quod

Vulg. v. 117. ATQUE. 121. POSSIT. 122. TANTOS——OCULOS. 123. SUI.

Quis caelum POSSET, *nisi caeli* MUNERE, NOSSE.
Etiam Gronovius Observ. i, 11. recte coniecit, *munere nosse*: ut etiam Gatakerus ad Antoninum.

V. 117. ATQUE HANC CONVEXI. Vide seriem constructionis: *Quis posset nosse caelum, atque posset cernere molem convexi.* Satine placet inconcinna ista repetitio τοῦ *posset*, sub eodem nominativo? Repone,

QUISVE *hanc convexi molem sine fine patentis.*

Atque obiter, ut scias quae fides librariis his habenda sit; neque mireris diffidasve si, spretis illis, auctori ipsi consulimus; omnes libri veteres hic habent,

Atque hanc convexi molem nisi *fine* parentis.

V. 120. AC TERRAS CAELOQUE FRETUM, SUBIECTAQUE UTRISQUE. Sic codices universi: sed recte olim Scaliger, *Non est*, ait, *Manilii versus iste, neque ullam sententiam habet.* Immo, inquit Huetius, *aio contra optimum ei inesse sensum: hominum scilicet ingenium, caelum et caelo subiectas terras ac maria, et quae mari ac terrae subiecta sunt, penetrare et cognoscere posse.* Vide, studium partium et obtrectatio quid facit. Talemne versum condidisset Huetius, ipse bonus poëta, sed et in hac laude Scaligero minor? Quisquamne, cui ullus latinitatis sensus est, idem esse dixerit, *terras caeloque fretum*, ac *terras fretumque caelo? subiecta* in posteriore colo ad prius colon reduxerit? Quaenam vero illa sunt, *subiecta utrisque*, terris scilicet et freto? Nihil nisi caelum ipsum, cum terra in medio sit ex mente auctoris. Quare aufer hunc a viris summis succum loliginis: et statue hunc versum spurium esse et irreptitium.

V. 121. CLAUDERE POSSIT. Iterum cum Gemblacensi repone POSSET.

V. 122. NI TANTOS ANIMIS OCULOS NATURA DEDISSET. *Tantos oculos?* Aptissimum sane oculorum epitheton. Quantos, obsecro? an quanta Polyphemi

Lata acies, per quam solers evasit Ulixes,
Argolici clypei aut Phoebeae lampadis instar?

Quid quod altero hinc versu mox recurrit *tantum opus*. Scio *oculos mentis* recte dici, Nostro alibi, Ovidioque et aliis. Sed huic loco sensus ille parum convenit: non enim de vi humani ingenii et facultatibus naturalibus nunc agitur: sed de naturae ipsius operatione, quae *mentes* humanas, versu proximo, *vertit ad se*, et i, 40. *sese ipsa reclusit,*

Regales animos *primum dignata* movere.

et i, 49. *accendit mentem* ad haec studia capessenda. Repono igitur,

Ni TACITOS *animis* STIMULOS *natura dedisset.*

V. 123. COGNATAMQUE SUI MENTEM VERTISSET AD IPSAM. Veteres omnes *sui*; recentiores *sibi*. Genitivus enim non placebat. Repone, *Cognatamque* SUAE *mentem.*

Suae

Quod vocat in caelum, ſacra ad commercia rerum?
Et primas quas dant leges naſcentibus aſtra?
Quis neget eſſe nefas invitum prendere mundum,
Et velut in ſemet captum deducere in orbem?
Sed ne circuitu longo manifeſta probentur,
Ipſa fides operi faciet ponduſque fidemque.
Nam neque decipitur ratio, nec decipit umquam.
Arte ſecanda via eſt, a veris tradita cauſis;
Eventuſque datur, qualis praedicitur ante.
Quod fortuna ratum faciat quis dicere falſum
Audeat, et tantae ſuffragia vincere ſortis?
Haec ego divino cupiam cum ad ſidera flatu
Ferre, nec in terram, nec turbae carmina condam:

Sed,

Vulg. v. 130. IPSI RES. 132. RITE SECUNDA——AC——CREDITA. 137. TURBAM.

Suae menti, ut Noſter ſupra ii, 60.

Namque canam tacita naturam mente *potentem*.

V. 126. ET PRIMAS QUAS DANT LEGES NASCENTIBUS ASTRA. Scaliger maluit *et privas*. Sed verſus ſpurius eſt.

V. 130. IPSI RES OPERI FACIET PONDUSQUE FIDEMQUE. *Ipſi res* a Scaligero venit. Libri univerſi,

IPSA FIDES *operi faciet ponduſque fidemque.*

Quis credat, ait vir magnus, *hoc Manilianum eſſe?* Facile credet, qui genium et indolem huius auctoris perſpicere poteſt: ſemper enim huiuſmodi argutias conſectatur. Quin et *ipſa fides* perinde eſt ac *res ipſa*; ipſa ſcilicet experientia, ipſe eventus.

V. 132. RITE SECUNDA VIA EST, AC VERIS CREDITA CAUSIS. Qui *ſecundam viam* pro plana et facili dixerit, non memini: multo minus qui *rite ſecunda*: quod omnino non capio. Libri recentiores *ſecanda*, et unus *a veris*. Repono,

ARTE SECANDA *via eſt*, A *veris* TRADITA *cauſis.*

Viam tradere, et *viam ſecare*, ſaepe occurrunt. Hoc dicit: in praedictionibus aſtrologicis, procedendum eſt ſecundum artis regulas, a Chaldaeis ex veris obſervationibus traditas: et tum certe eventus datur, qualis praedicitur. Noſter, iii. 45.

Nunc age ſubtili rem ſummam perſpice cura,
Quae certas det in arte vias.

V. 137. NEC IN TURBAM, NEC TURBAE CARMINA CONDAM. Quid vero intereſt, an carmina condas *in turbam*, an *turbae?* Eadem utriuſque ſignificatio eſt. Repone,

nec in TERRAM, *nec turbae carmina condam.*

Patet hoc ex redditione infra, 141, 142. Non condam carmina in *terram*, nec turbae: ſed *caelo* noſcenda canam, et iis paucis, quibus aſtra notitiam ſui non inviderunt. Opponuntur hic *terrae caelum*, *turbae minima* per orbem *turba*.

V. 139. VERBERE AGAM CURRUS, NON OCCURSANTIBUS ULLIS. Codex Gemblacenſis,

Sed, ſolus vacuo veluti vectatus in orbe,
Verbere agam currus; non occurſantibus ullis,
Nec per iter ſocios commune regentibus actus.
Sed caelo noſcenda canam, mirantibus aſtris,
Et gaudente ſui mundo per carmina vatis:
Vel quibus illa ſacros non invidere meatus,
Notitiamque ſui, minima eſt quae turba per orbem.
Illa fluit, quae divitias, quae diligit aurum,
Imperia, et faſces, mollemque per otia luxum,
Et blandis diverſa ſonis, dulcemque per aures
Affectum, ut modico noſcenda ad fata labore.
Hoc quoque fatorum eſt legem perdiſcere fati.
Et primum aſtrorum varia eſt natura notanda.

No-

Vulg. v. 149. PRAEDISCERE. 150. AT.

cenſis, *Umbrato curru:* quod amplectitur Gronovius Obſerv. ii, 5. ut ſit *carpento arcuato* et clauſo. Miror hoc in iudicio tam ſubtili. Quomodo enim, ſi carpento vel lectica clauſa vectatus eſſet auctor, aſtra et varia caeli ſpectacula obſervare potuiſſet? Dixiſſet utique, *Aurato curru,* ut Nemeſianus, Cyneg. verſu 9.

ducitque per avia, qua ſola numquam
Trita rotis. iuvat aurato *procedere* curru,
Et parere deo.

Sed et aliud eſt: ſi enim *umbrato* vel *aurato* curru legas, ſententia manca erit; aut pro *vectatus* ſubſtituendum *vectabor.* Sed tres reliqui vetuſti ſic locum exhibent,

Ubera tam currus, *non occurſantibus ullis.*

Lipſienſis vero, ſuperne pro lectione varia, *umbrato curru.* Crediderim horum trium verſuum ſcriptorem ſic primo dediſſe,

LIBER AGAM *currus.*

Sed non multum refert; cum omnes tres ſint irreptitii. Hoc plane apparet, ex ipſa verborum ſerie, quae his demptis ſic ſe habet;

nec in tèrram *nec turbae carmina condam;*
Sed caelo *noſcenda canam.*

Contra, tres iſtos interſere, et totam ſententiam conturbas: non *turbae condam carmina,* ſed *ſolo curru vectabor.* Quid, malum, currus ad carmina pertinet? Deinde duplex redditio eſt, hinc metaphora, illinc nulla, *ſed ſolo curru vectabor, ſed caelo noſcenda canam:* plane contra morem et ſenſum communem. Ut ne addam illud *veluti* manum adulteram plane prodere. Quorſum enim *veluti vectatus?* Aut vectare, aut, ſi non potes, cade.

V. 145. ILLA FLUIT, QUAE DIVITIAS, QUAE DILIGIT AURUM. Quin et hi quattuor a falſario ſemibarbaro ſunt. *Fluit* pro *numeroſa eſt. Quae divitias, quae aurum:* quaſi non idem ſit utriuſque ſenſus. Quid porro, *blandis diverſa ſonis,* vel ut omnes libri *adverſa?* Reliqua etiam ineptiſſima.

V. 149. LEGEM PRAEDISCERE FATI. Lege, ut libri univerſi, PERDISCERE.

V. 150. AT PRIMUM ASTRORUM. Lege cum Gemblacenſi, ET *primum.*

V.

Nominibus per utrumque genus; nam mafcula fex funt,
Diverfi totidem generis fub principe tauro:
Cernis, ut averfos redeundo furgat in artus?
Alternant fecus, et vicibus variantur in orbem.
Humanas etiam fpecies in parte videbis:
Nec mores diftant. pecudum pars atque ferarum
Ingenium facient. quaedam fignanda fagaci
Singula funt animo, propria quae forte feruntur:
Nunc binis infifte: dabunt geminata potentes
Per focium effectus: multum comes addit et aufert:
Ambiguifque valent, quîs funt collegia, fatis
Ad meritum noxamque. duos per fidera pifces,
Et totidem geminos nudatis afpice membris.

His

Vulg. v. 151. CARMINIBUS. 153. AVERSUS——ARCUM. 154. GENUS. 157. ETIAM.

V. 151. CARMINIBUS PER UTRUMQUE GENUS. Si *carminibus* notanda funt, de fe-ipfo loquitur. Atqui hic lectorem alloquitur five difcipulum, *cernis, videbis, infifte, afpice.* Repone igitur,

Et primum aftrorum varia eft natura notanda

NOMINIBUS *per utrumque genus.*

Grammatice loquitur: *Notandum eft nominibus per utrumque genus*; hoc eft, per genus mafculinum et femininum. *Notare nominibus*, nota et legitima phrafis.

V. 153. CERNIS UT AVERSUS REDEUNDO SURGAT IN ARCUM. Omnes libri hic inferunt verfum hunc, quem Scaliger loco movit, et poftpofuit fequenti. Male factum. Haec enim connectenda funt, *fub principe tauro*: *cernis ut furgat*, taurus fcilicet? At fi interponas, *fex figna alternant et variantur*; non magis ad taurum referas illud *furgat*, quam ad quodvis ex reliquis quinque. Ceterum quid eft, *furgere in arcum?* Repone,

Cernis, ut AVERSOS *redeundo furgat in* ARTUS?

Sic Nofter, v, 140.

Taurus, in averfos *praeceps cum tollitur* artus:

Averfos artus, quia verfu 199. *clunibus furgit.*

afpice taurum
Clunibus, et geminos pedibus, teftudine cancrum
Surgere.

Quos verfus Bullialdus fic interpolat, hoc de quo nunc agitur illuc tranfpofito,

afpice taurum:
Cernis ut averfis redeundo furgat in arcum
Clunibus, ut gemini, &c.

Non accedo: nimis enim ineptum et putidum eft *afpice* et rurfum *cernis.*

V. 154. ALTERNANT GENUS. Nota *genus, generis, genus* tribus verfibus continuis non fine faftidio repeti. Repono;

Alternant SECUS, *et vicibus variantur in orbem.*

Secus, hoc eft, *fexum.* Livius xxvi, 47. *Liberorum capitum* virile fecus *ad decem millia capta.* Ubi plura exempla vide apud accuratiffimum Gronovium. Si cui illud *fecus* paulo ob-

His coniuncta meant alterno brachia nexu:
Dissimile est illis iter in contraria versis.
Par numerus; sed enim dispar positura notanda est.
Atque haec ex paribus toto gaudentia censu
Signa meant: nihil exterius mirantur in ipsis,
Amissumve dolent. quaedam sunt parte recisa,
Atque ex diverso commissis corpore membris;
Ut capricornus, et hic, qui intentum dirigit arcum
Iunctus equo: pars huic hominis, sed nulla priori.
Hoc quoque servandum est alta discrimen in arte:
Distat enim, gemina duo sint, duplane figura.
Quinetiam Erigone binis numeratur in astris:
Et facie et ratione duplex. nam desinit aestas,
Incipit

Vulg. v. 164. MANENT. 166. NATURA. 169. QUOQUE. 171. TENTUM. 172. ORIS——PRIORIS. 176. NEC FACIE RATIO.

obsoletius videbitur, per me licet reponat *sexum*.

V. 157. INGENIUM FACIENT. ETIAM SIGNANDA SAGACI. Libri universi,

Ingenium facient. quae iam *signanda sagaci.* Repone,
Ingenium facient. QUAEDAM *signanda sagaci, Singula sunt animo.*

Sic infra 169. quaedam *sunt parte recisa.* Atque hoc pacto ambiguum tollitur; et *singula* sunt simplicia signa, quae *binis* opponuntur.

V. 164. HIS CONJUNCTA MANENT. Repone,

His conjuncta MEANT *alterno brachia nexu.*

Probat hoc redditio, *illis* iter est *dissimile.*

V. 166. DISPAR NATURA NOTANDA EST. Dedit auctor,

Par numerus; sed enim dispar POSITURA *notanda est.*

Positura (ut Noster alibi, semel atque iterum) quia gemini juncti meant, pisces diversi abeunt.

V. 169. QUAEDAM QUOQUE PARTE RECISA. Libri veteres *quod* pro *quoque.* Neutrum convenit. Lege, *quaedam* SUNT *parte.*

V. 171. QUI TENTUM DIRIGIT ARCUM. Veteres universi, *intentum:* ut iv, 788.

intentos *imitatur sideris* arcus.

V. 172. PARS HUIC ORIS SED NULLA PRIORIS. Ita Scaliger Gemblacensi male obsecutus. Recte recentiores *pars huic hominis.* Reponendum,

Pars huic HOMINIS, *sed nulla* PRIORI.

Huic centauro *pars hominis* est, *priori*, scilicet capricorno, *nulla* pars hominis. Sic de altero centauro, i, 427.

Pars iuvenis, *tergo pectus commissus equino.*

Priori codex Venetus. *Hominis* compendiose *hois*, iterum in *oris* depravatum est, versu 190.

V. 173. HOC QUOQUE SERVANDUM EST ALTA DISCRIMEN IN ARTE: DISTAT ENIM, GEMINA DUO SINT, DUPLANE FIGURA. Versus spurii et barbari. *Alta arte* putidissimum. *Dupla figura*, non esset quod cuculus hic volebat, sed *figura duplo major* altera.

V. 176. NEC FACIE RATIO DUPLEX. Hoc falsum: nam duplex facie est virgo; ut infra, 661.

Incipit autumnus, media ſub virgine utrimque.
Idcirco tropicis praecedunt omnibus aſtra
Bina; ut lanigero, chelis, cancroque, caproque;
Quod duplices retinent connexo tempore vires.
Ut, quos ſubſequitur cancer per ſidera fratres,
E geminis alter florentia tempora veris
Sufficit, aeſtatem ſitientem provehit alter.
Nudus uterque tamen, ſentit quia uterque calorem;
Ille ſeneſcentis veris, ſubeuntis et ille
Aeſtatis: par eſt primae ſors ultima ſorti.
Quinetiam arcitenens, qui te, capricorne, ſub ipſo
Promittit, duplici formatus imagine fertur.
Mitior autumnus molles ſibi vindicat artus,

Ma-

Vulg. v. 182. EX. 185. UT. 186. PARS——PARTI. 187. NEC NON. 188. PRAEMITTIT.

Et geminos iuvenes, duplicemque in virgine formam.

Quippe in aſteriſmo alata fingitur. Pro *nec facie,* Voſſianus *hec.* Repone,

ET *facie* ET RATIONE *duplex.*

Facie duplex, ob alas: *ratione duplex,* quia ſub illa media deſinit aeſtas, autumnus incipit. Infra, 526.

Idque duplex ratio *cogit verum eſſe fateri.*

V. 182. EX GEMINIS ALTER. Libri veteres, *et geminis.* Recte unus ex recentioribus, E *geminis alter.*

V. 185. ILLE SENESCENTIS VERIS, SUBEUNTIS AT ILLE AESTATIS PARS EST, PRIMAE SORS ULTIMA PARTI. Haec mirifica ſunt: E geminis alter *pars* veris eſt, alter *pars* aeſtatis. Quis ferat ſic loquentem? Illa vero quae ſequuntur, *primae ſors ultima parti,* meram caliginem fundunt; nec conſtructio ulla, nec ſententia eſt. Repone et diſtingue,

ſentit quia uterque calorem,
Ille ſeneſcentis veris, ſubeuntis ET *ille*
Aeſtatis: PAR *eſt primae ſors ultima* SORTI.

ET *ille* codices veteres. Iam conſtructionem vides; *ſentit calorem ſeneſcentis veris: Sors prima par eſt ſorti ultimae.* Sic verſu 196, de duobus piſcibus;

Utraque ſors *humoris habet fluitantia ſigna.*

V. 187. NEC NON ARCITENENS, QUI TE, CAPRICORNE, SUB IPSO PRAEMITTIT. *Trium,* inquit Bullialdus, *verſuum trajectionem quomodo Scaliger non viderit, miror.* Ego vero miror, non quod *non viderit,* ſed quod trajectionem iſtam ipſe fecerit; hunc et ſequentem ultra verſum 191 poſtponendo; tam contra omnium codicum, quae parva eſt, fidem; quam adverſus ipſius ſententiae ductum. Sed condonetur hoc rariſſimo ingenio, et magno ſui ſaeculi ornamento. Ceterum pro *nec non* Gemblacenſis et alius, *nec iam arcitenens.* Repone,

QUINETIAM *arcitenens.* ut verſu 175,
Quinetiam Erigone.

Literae verſuum initiales omitti ſolebant, poſtea non atramento, ſed minio ſcribendae. Tolle itaque *q* ex *qn etiam*; et habes iiſdem ductibus *nec iam.* Quid vero illud eſt, *ſub ipſo praemittit? Sub ipſo* eſt *poſt ſe.* Virgil. Aen. v, 323.

quo deinde ſub ipſo
Ecce volat, calcemque terit iam calce Diores:

Ubi

Materiamque hominis: fera tergo membra rigentem
Excipiunt hiemem; mittuntque in tempora ſignum.
Quoſque aries prae ſe mittit, duo tempora piſces
Bina dicant: hiemem hic claudit, ver inchoat alter.
Cum sol aequoreis revolans decurrit in aſtris,
Hiberni coëunt cum vernis roribus imbres:
Utraque ſors humoris habet fluitantia ſigna.
  Quin tria ſigna novem ſerie coniuncta repugnant,
Et quaſi ſeditio caelum tenet. aſpice taurum
Clunibus, et geminos pedibus, teſtudine cancrum
Surgere; cum rectis oriantur cetera membris.
Nec mirere moras, cum sol adverſa per aſtra
Aeſtivum tardis attollat menſibus annum.

Nec

Vulg. v. 190. ORIS. 191. mittunt. 193. hiemem claudit. 197. SIGNIS.

Ubi Servius, *ſub ipſo, id eſt, poſt ipſum, juxta ipſum.* Quale igitur locutionis genus, *praemittere aliquem poſt ſe?* Sed a Scaligero eſt *praemittit:* libri univerſi *promittit.* Repone ergo,

Quin etiam arcitenens, qui te, capricorne, ſub ipſo
PROMITTIT.

Poëtice dictum: Sagittarius, qui capricornum poſt ſe oriturum pollicetur: ut *aries* verſu 192 *prae ſe mittit piſces.* Sagittarius oritur ante capricornum, piſces ante arietem; aries ante taurum: inde eſt quod aries, i, 262.

Reſpicit, admirans averſum ſurgere taurum.

Niſi enim *reſpiceret,* poſt ſe ſurgentem videre non poſſet.

V. 190. MATERIAMQUE ORIS. Repone, *Materiamque* HOMINIS. Non *oris* tantum materiam, ſed omnes *molles artus,* et totum hominem, qua centaurus homo eſt. Vide ſupra verſum 172.

V. 191. MITTUNT IN TEMPORA SIGNUM. Gemblacenſis, *nunc iamque in tempora;* Lipſienſis, *nunciamque;* Voſſianus, *nuntiantque.* Unde certe colligas *que* inſerendum eſſe.

V. 193. HIEMEM CLAUDIT, VER INCHOAT ALTER. Deeſt nominativus. Repone,

hiemem HIC *claudit, ver inchoat alter.*

V. 195. CUM VERNIS RORIBUS IMBRES. Egregia Scaligeri emendatio: nam libri monſtroſe, *cum ver tunc roboris imbres.*

V. 197. QUIN TRIA SIGNA NOVEM SIGNIS CONIUNCTA REPUGNANT. Quid hoc? an tria ſigna, taurus, gemini, cancer, novem ceteris coniuncta ſunt, ſive proxima? Hoc enim ſignificat *coniuncta;* ut verſu 238.

Sed ſterilis virgo eſt, ſimili coniuncta *leoni.*

Ergo tria illa ſibi mutuo coniuncta ſunt, non aliis. Et tamen ſi *ſignis* hic admittimus; conſtructionis vi et lege ſequetur, ut et coniuncta ſint novem ceteris, et repugnent. Repone igitur,

Quin tria ſigna novem SERIE *coniuncta repugnant.*

Infra verſu 959.

quas pervolat omnis Aſtrorum ſeries.

 V.

Nec te praetereat, nocturna diurnaque ſigna
Quae ſint, perſpicere; et propria deducere lege,
Non tenebris aut luce ſuam peragentia ſortem:
Nam commune foret nullo diſcrimine nomen,
Omnia quod certis vicibus per tempora fulgent:
Et nunc illa dies, nunc noctes illa ſequuntur.
Sed quibus illa parens mundi natura ſacratas
Temporis attribuit partes ſtatione perenni.
Namque ſagittari ſignum, rabidique leonis,
Et ſua reſpiciens aurato vellere terga,
Tunc piſces, et cancer, et acri ſcorpios ictu,
Aut vicina loco, diviſa aut partibus aequis,

Omnia

Vulg. v. 213. NUNC———NUNC.

V. 201. CUM SOL ADVERSA PER ASTRA. Illud *adverſa* acutiſſimo Bullialdo diſplicuit. Subſtituit igitur, *averſa per aſtra*. Taurus quidem *averſus* ſurgit; ſed ob id ipſum sol *adverſum* cum et a fronte incurrit. Ovid. Metam. ii, 80. Sol ad Phaëthontem filium,

Per tamen adverſi *gradieris cornua* tauri,
Haemonioſque arcus, violentique ora leonis.

Ceterum poeticam hic cauſam, non aſtronomicam, auctor aſſignat, cur *annus aeſtivus* conſtet diebus 186½, hibernus 178½ circiter; ut recte explicat idem Bullialdus.

V. 208. ET NUNC ILLA DIES, NUNC NOCTES ILLA SEQUUNTUR. Gemblacenſis, *Et tunc illa dies*, et *nunc* pro varia lectione: ceteri univerſi *nunc*. Verſus ſpurius eſt, et ſupervacuus. Inepte quoque *illa*, *illa*.

V. 213. NUNC PISCES, NUNC CANCER, ET ACRI SCORPIOS ICTU. Libri omnes mendoſe,

Nunc piſces cancer et cancri *ſcorpion ictu.*

Acri primus repoſuit Scaliger. Sic infra verſu 236, *Acer et ictu Scorpios*. *Nunc*, *nunc* locum hic non habent. Lege,

TUNC *piſces* ET *cancer, et acri ſcorpios ictu.*

V. 216. CETERA NEC NUMERO CONSORTIA, NEC VICE SEDIS. Verſus adulterinus; qui fruſtra Bullialdo negotium creavit. Certe cetera numero paria ſunt diurnis; ſed quid omnino ſit *conſors numero*, non video; nec quid ſit *conſors vice ſedis*, nec quid omnino ſit *vice ſedis*.

V. 219. CASTRIS ESSE VICES. Vetuſti omnes, *Eſſe vices caſtris*. Repone,

Eſſe vices ASTRIS.

Caſtra illa fruſtra tuetur Scaliger.

V. 220 SEX A LIBRA NOCTURNA VIDERI. Libri univerſi *libris*. Nimirum olim ſic notatum eſt ♎*is*: inde poſtea factum *libris*. Repone,

ſex a CHELIS *nocturna videri.*

V. 222. FEMINEAM NOCTEM TUTIS GAUDERE TENEBRIS. Libri omnes, *Feminea in noctem*. *Femineam* reponit Scaliger; nec verbo explicat, quid velit. Equidem nullam inde ſententiam poſſum excudere. Dedit auctor,

Femineam SORTEM NOCTIS *gaudere tenebris.*

Femineam ſortem, hoc eſt, quae generis et ſexus feminini ſunt. Ovid. Metam. vi, 680.

Quat-

Omnia dicuntur simili sub sorte diurna:
Cetera nec numero consortia nec vice sedis,
Interiecta locis totidem nocturna feruntur.
Quinetiam sex continuis dixere diurnas
Esse vices astris, quae sunt a principe signo
Lanigeri; sex a chelis nocturna videri.
Sunt quibus esse diurna placet, quae mascula surgunt;
Femineam sortem noctis gaudere tenebris.
Quin nonnulla tibi nullo monstrante loquuntur
Neptuno debere genus, populosus in undis
Cancer, et effuso gaudentes aequore pisces.
Ut quae terrena censentur sidera sorte,

Princeps

Vulg. v. 219. CASTRIS ESSE VICES. 220. LIBRA. 222. NOCTEM TUTIS. 223. SIBI. 224. SCOPULOSUS.

Quattuor ille quidem iuvenes totidemque crearat,
Femineae sortis. et ix, 675.
Utque marem parias. onerosior altera sors *est*.
Ceterum cum *noctem* pro *sortem* semel irrepsisset; consequens erat, ut pro *noctis* interpolarent *tutis*? Cur autem tenebrae luce tutiores? quasi vero quicquam sideribus metuendum sit. Noster iv. 840. de luna;
Orba sui fratris noctisque *immersa* tenebris.

V. 223. QUIN NONNULLA SIBI. Libri omnes, *Quod nonnulla*. Recte Scaliger *quin*: et illud *sibi* suspectum habuit, sed nihil mutavit. Huetius substituit *satis*. Propius est, ut TIBI legamus. Passim enim auctor lectorem compellat, ut supra 203. *Nec te praetereat.* et infra, versu 448.
Hinc quoque magna tibi *venient momenta futuri.*

V. 224. SCOPULOSUS IN UNDIS CANCER. Qualis, amabo, est *scopulosus* iste cancer? qui scopulosis, ut volunt, locis delectatur? Atqui, docente Plinio, ix, 49. *Locustae vivunt petrosis locis, cancri mollibus.* Neque usquam *scopulosus* eiusmodi sensu venit; sed vel rupis, vel maris, vel loci epitheton est. Statius Achil. i, 56.
Armigeri Tritones eunt, scopulosaque *cete*.
Val. Flac. ii, 518. de ceto,
scopulosaque terga.
Utrobique legit Heinsius *scruposa*. Repono,
POPULOSUS *in undis Cancer*.
Nam ut mox versu 236.
Fecundum est proprie cancri genus.
Glossarium Cyrilli: Πολυοχλῶσα, *populosa*. Apuleius Met. viii. *Civitatem quandam populosam et nobilem.* Neque vero loca tantum, sed et animalia *populosa*. Sic Nemesianus Cyneg. versu 136.
mox non omnes nutrire minores.
Nam tibi si placitum populosos *pascere* foetus;
Iam macie tenues, succique videbis inanes.
Quin et ideo *populosus* cancer, quod sub eo generali nomine variae species comprehendantur. Plinius ix, 51. *Cancrorum genera, carabi, astaci, maiae, paguri, heracleotici, leones, et alia ignobiliora.* Dicat forte aliquis, hoc vocabulum apud vetustiores non haberi. Verum: sed quam pauci ex illis vetustis ad nostra tempora perennaverunt?

V.

Princeps armenti taurus, regnoque ſuperbus
Lanigeri gregis eſt aries, peſtiſque duorum
Praedatorque leo, et dumoſis ſcorpios arvis.
Sunt etiam mediae legis communia ſigna,
Ambiguus terrae capricornus, aquarius undis,
Humida terrenis aequali foedere mixta:
Parſque mari nitens fundentis ſemper aquari.
Non licet a minimis animum deflectere curis:
Nec quicquam rationis eget, fruſtrave creatum eſt.
Fecundum eſt proprie cancri genus, acer et ictu
Scorpios, et partu complentes aequora piſces.
Sed ſterilis virgo eſt, ſimili coniuncta leoni:
Nec capit, aut captos effundit aquarius ortus.

Inter

Vulg. v. 228. HOSTISQUE. 229. leo dumoſis. 231. ET AEQUORIS. 235. creatum.

V. 228. HOSTISQUE DUORUM, PRAEDATORQUE LEO. *Hoſtiſque* Scaligero debetur; nam tres vetuſti *poſitique*; Voſſianus *poſitiſque*. Repone cum Gronovio Obſerv. iii, 15. PESTISQUE *duorum*. Sane ut *peſtis* figurata locutio a librariis corrumperetur proclivius erat, quam ut *hoſtis*. Sic Noller i, 367.

fugiendaque Gorgonis ora
Suſtineat, ſpoliumque ſibi peſtemque *videnti.*

Librarii mutaverunt in *teſtemque*. Ovid. Heroid ix, 61.

Nempe ſub his animam peſtis Nemeaea *lacertis Edidit.*

V. 229. DUMOSIS SCORPIOS ARVIS. Deeſt coniunctio *et*,

Praedatorque leo, ET *dumoſis ſcorpios arvis.*

V. 232. HUMIDA TERRENIS AEQUALI FOEDERE MIXTA: AMBIGUUS TERRAE CAPRICORNUS, ET AEQUORIS UNDIS, PARSQUE MARI NITENS FUNDENTIS SEMPER AQUARI. Haec a Scaligero ſunt: libri alium verſuum ordinem, aliaque verba exhibent, hoc modo;

Ambiguus terrae capricornus, aquarius *undis:*
Parſque marina nitens *fundentis ſemper aquari,*
Humida terrenis atque illi degere *mixta.*

Et primo quidem egregia coniectura dedit Scaliger, *aequali foedere* pro monſtroſis illis *atque illi degere*: in ceteris non adeo felix. Iſte enim verſiculus, *Parſque marina nitens,* &c. quantas turbellas excitaverit, vide, ſi vacat, apud Scaligerum, Bullialdum, Huetium. Sed fruſtra omnium opera conſumitur, in corrigendo vel explicando eo,. qui ſpurius eſt, et ſenſu caſſus, et ex loco alieno huc traductus, ante quoque depravatus. Repone, adulterino illo reiecto,

Sunt etiam mediae legis communia ſigna,
Ambiguus terrae capricornus, AQUARIUS *undis,*
Humida terrenis aequali foedere mixta.

Conſule nunc librum quartum, ubi agit auctor de partibus ſive gradibus cuiuſque ſigni damnandis. Verſus ibi 490, qui aquarii mentionem fecerit, prorſus excidit ex textu: is olim ſic ferebatur;

Parſque marina nitens fundentis ſemper aquari.

Qui

Inter utrumque manet capricornus corpore mixto,
Et qui Cretaeo fulget centaurus in arcu:
Communifque aries aequantem tempora libram,
Et geminos, taurumque pari fub forte recenfet.
  Nec tu nulla putes in eo momenta locaffe
Naturam rerum, quod funt currentia quaedam,
Ut leo et arcitenens, ariefque in cornua torvus.
Aut quae recta fuis librantur ftantia membris,
Ut virgo et gemini, fundens et aquarius undas.
Vel quae feffa fedent, pigras referentia mentes;
Taurus depofitis collo fopitus aratris,
Libra fub emenfo confidens orbe laborum,
Tuque tuo, capricorne, gelu contractus in aftris.

Strata

Vulg. v. 244. COMMENTA NOTASSE. 246. TORTUS. 249. UT. 251. EMERITO.

Qui, cum illic nullum fenfum haberet, inde traductus eft et in librum fecundum repofitus. Atqui retinendus in fua fede erat, prius tamen fic corrigendus:

Pars eft prima nocens humentis *femper aquari.*

Vide plura ad locum ipfum.

V. 235. FRUSTRAVE CREATUM. Adde verbum, *fruftrave creatum* EST.

V. 244. NEC TU NULLA PUTES IN EO COMMENTA NOTASSE. Illud *notaffe* a Scaligero eft, libri omnes *vocaffe*. Repono,

Nec tu nulla putes, in eo MOMENTA LOCASSE *Naturam.*

Ut infra, 448.

Hinc quoque magna tibi venient momenta futuri.

et 772.

Pluribus inque modis verum natura locavit.

V. 246. ARIESQUE IN CORNUA TORTUS. Ipfa quidem cornua torta funt; at totus aries nec *tortus* eft nec effe dicitur. Lege, cum codice Veneto,

Ut leo et arcitenens, ariefque in cornua TORVUS.

2

Elegans locutio, et poëtis propria. Virgilius de tauro, Georg. iii, 232.

Et tentat fefe, atque irafci in cornua *difcit.*

Ovid. Met. x, 538.

Aut pronos lepores aut celfum in cornua *cervum.*

et xi, 753.

Oftendens fpatiofum in guttura *mergum.*

Sic enim codices *iu*, tefte Heinfio; et male vir acutiffimus qui praepofitionem eiecit. Silius xv, 62.

Illa ego fum, verti fuperum quae faepe parentem,
Nunc avis in formam, nunc torvi in cornua tauri.

Ubi conftructio eft, nunc in formam *avis*, nunc *tauri* torvi in cornua.

V. 249. UT QUAE FESSA SEDENT. Lege ex libris, VEL *quae*.

V. 251. LIBRA SUB EMERITO CONSIDENS ORBE LABORUM. *Quid hoc eft*, inquit Huetius, *fub emerito orbe laborum?* Iure quaerit vir fummus; fed parum fibi fatisfacit. An *fub orbe*, ait, *laborum*, eft poft munus geftum, ut Virgilius, Georg. ii, 401. *redit agricolis labor actus in orbem?* Recte: fed huic fenfui minime convenit *emerito*. An potius, ait, Zo-

diacus

Strata iacent, cancer patulam diftentus in alvum,
Scorpios incumbens plano fub pectore terrae,
In latus obliqui pifces femperque iacentes.
Quod fi folerti circumfpicis omnia cura,
Fraudata invenies amiffis fidera membris.
Scorpios in libra confumit brachia: taurus
Succidit incurvo claudus pede: lumina cancro
Defunt: centauro fupereft, et quaeritur unum.
Sic noftros cafus folatur mundus in aftris,
Exemploque docet patienter damna fubire:
Omnis cum caelo fortunae pendeat ordo,
Ipfaque debilibus formentur fidera membris.
Temporibus quoque funt propriis pollentia figna.
Aeftas a geminis, autumnus virgine furgit,
Bruma fagittifero, ver pifcibus incipit ire.

Quattuor

Vulg. v. 253. CONTRA IACET. 254. CORPORE. 267. ESSE.

diacus eft *orbis laborum*; quod planetae in eo laborent et curricula fua exerceant. Hoc quod *potius* ei videtur, eft longe peffimum. Non enim libra quafi feffa confidit, ob alienos et planetarum labores, fed ob fuos. Repono,

Libra fub EMENSO *confidens orbe laborum.*

Poft peractum laborum fuorum orbem. Nofter infra, 835.

Ultimus emenfo *qui condit fidera* mundo.

et iv, 52. de Pompeio,

Poft tres emenfo *meritos* ex orbe *triumphos.*

Vides, quam facili et elegante metaphora dixerit poft *orbem* laborum *emenfum.*

V. 253. CONTRA IACET CANCER PATULAM DISTENTUS IN ALVUM. Aufer te cum ifta tua barbarie; fi revera pofteriorem in *contra* corripueris: fed librariorum flagitium eft, quorum fceleratae manus miferrime auctorem noftrum dilaceraverunt. Gemblacenfis omnium veterrimus *contrat iacet*: hoc eft compendiofe fcriptum, *c̄trat.* Repone et diftingue,

STRATA IACENT, *cancer patulam diftentus in alvum.*

Strata figna, ut fupra 249 *Feffa fedent, taurus*, &c. Horatius, Carm. i, i, 21.

Nunc viridi membra fub arbuto Stratus.

Virgilius, Eclog. vii, 54. licet alio fenfu,

Strata iacent *paffim fua quaque fub arbore poma*:

ubi *quaque* reponendum, non ut nunc fcripti editique *quaeque.*

V. 254. SCORPIOS INCUMBENS PLANO SUB CORPORE TERRAE. Gemblacenfis *fub pectore*: et fuperne pro varia lectione *corpore*: quod ceteri omnes in textu habent. Recte *pectore: incumbens terrae*, quae eft *fub plano* eius *pectore.*

V. 267. VER PISCIBUS INCIPIT ESSE. Immo *incipit* IRE.

V. 268. QUATTUOR IN PARTES SCRIBUNTUR SIDERA TERRAE. *Sidera caeli*

ad

Quattuor in partes ſcribuntur ſidera terna:
Hiberna aeſtivis, autumnis verna repugnant.
Nec ſatis eſt proprias ſignorum noſcere ſortes:
Conſenſu quoque fata movent, et foedere gaudent,
Atque alias alia ſuccedunt ſorte locoque.
Circulus ut flexo ſignorum clauditur orbe,
In tres aequales diſcurrit linea ductus,
Inque vicem extremis iungit ſe finibus ipſa:
Et quaecumque ferit, dicuntur ſigna trigona,
In tria partitus quod ter cadit angulus aſtra;
Quae diviſa manent ternis diſtantia ſignis.
Laniger e paribus ſpatiis duo ſigna, leonis
Atque ſagittari, diverſo conſpicit ortu.
Virginis et tauri capricorno conſonat aſtrum.
Cetera ſunt ſimili ratione triangula ſigna

Per

Vulg. v. 268. TERRAE. 270. FORMAS. 272. ALIIS ALIAE. 273. DEXTRO.

ad faſtidium uſque Noſter ingerit, ſed *ſidera terrae* nuſquam alibi legimus. Repone,

Quattuor in partes ſcribuntur ſidera TERNA:

Tria ſidera adſignantur quattuor anni partibus; veri piſces, aries, taurus; et ſic deinceps: notandum tamen in media ſignorum parte tempora incipere. Ut ſupra 177.

Incipit autumnus media *ſub virgine utrimque.*

Miror unde hoc, Scaligero et Bullialdo tantis viris praetermiſſum, in boni Michaelis Fayi textum pervenerit.

V. 270. NEC SATIS EST PROPRIAS SIGNORUM NOSCERE FORMAS. Non hic agitur de *formis* ſiderum, quas libro priore explicavit auctor. Vires et potentias, quas ſingula ſibi proprias habent, hactenus memoravit; nunc tranſit ad alias vires, quas ex *conſenſu* et *foedere*, ſive ex aſpectibus acquirunt. Lege igitur,

Nec ſatis eſt proprias ſignorum noſcere SORTES.

ut ii, 158. de ſingulis aſtris,

propria *quae* ſorte *feruntur.*

V. 272. ATQUE ALIIS ALIAE SUCCEDUNT SORTE LOCOQUE. Quorſum pertinet illud *aliae?* nam ordo eſt, *ſigna* gaudent foedere, atque *aliae* aiiis ſuccedunt. Repone igitur,

Atque ALIAS ALIA *ſuccedunt ſorte locoque.*

Alias adverbium. *Alia* ſorte.

V. 273. CIRCULUS UT DEXTRO SIGNORUM CLAUDITUR ORBE. *Dextro orbe* non eſt unius flocci. Quaedam *in circulo* ſigna poſſunt concipi ut dextra, alia ut ſiniſtra: ſed *totus circulus* nec dexter eſt nec ſiniſter. Repone,

Circulus ut FLEXO *ſignorum clauditur orbe.*

ut infra, 370.

Flexibus *et totidem ſimilis ſit circulus illi.*

N V.

Per totidem partes. *desunt quae condita mundo.*
Sed discrimen erit dextris, seu causa, sinistra
Quae subeunt: quae praecedunt, dextra esse feruntur.
Dexter erit tauro capricornus, virgo sinistra.
Hoc satis exemplo est. at quae divisa quaternis
Partibus aequali laterum stant condita ductu,
Quorum designat normalis virgula sedes,
Haec quadrata ferunt. libram capricornus, et illum
Conspicit hinc aries, atque ipsum a partibus aequis
Cancer, et hunc laeva subeuntis sidera librae:
Semper enim dextris censentur signa priora.
Sic licet in totidem partes deducere cuncta,

Ter-

Vulg. v. 283. SORTIS. 287. DIVERSA. 288. DEXTRA FERT libram CANCER——ILLAM. 291. HUNC——ipsum partibus.

V. 283. PER TOTIDEM SORTIS DESUNT QUAE CONDITA MUNDO. Pro *sortis*, quod prisco more casus accusativi est, libri veteres *sortis*. Repone, *Per totidem* PARTES. ut infra 294.

Sic licet in totidem partes *deducere cuncta.*

Ceterum cuculus aliquis in medium versum suas nugas intrusit. Omnia enim illa, *Desunt quae condita mundo*, usque ad *Hoc satis exemplo est*, irreptitia sunt et hinc exsibilanda. Quae enim sunt signa illa triangula, *quae desunt condita mundo?* nempe duo reliqua trigona, quae similiter duci possunt, gemini, libra, aquarius; cancer, scorpius, pisces. Ergo haec signa, quia in *versu* desunt nec referuntur, *mundo* quoque desunt? O hominem ineptum. Sed et aliud vide: *sed discrimen erit dextris, seu causa.* Discrimen *sive* causa? Quae significationis affinitas est inter *discrimen* et *causam*: ut alterum ex his per alterum explicetur? Quod si causa est *dextris*, cur non et *sinistris?* Sed hoc voluit homo infantissimus,

sed discrimen erit, sint dextra an laeva.

Frustra hoc tamen: nam mox versu 293, hoc de dextris et sinistris quasi prius non dictum memorat auctor:

et hunc laeva subeuntis *sidera librae:*
Semper enim dextris censentur signa priora.

Nonne hoc id ipsum est, quod tenebrio iste dicit, *sinistra sunt quae subeunt; quae praecedunt, dextra sunt.* Ergo aufer hinc garrulam loquacitatem.

V. 287. AT QUAE DIVERSA QUATERNIS. Lege cum Gemblacensi et aliis vetustis, DIVISA. Vidit hoc Scaliger; etsi nihil mutaverit. Supra 278.

Quae divisa *manent ternis distantia signis.*

Mox pro *sunt condita*, lege STANT *condita.* ut infra 736. *sicut* stant *astra locata.*

V. 290. DEXTRA FERT LIBRAM CANCER, CAPRICORNUS ET ILLAM, CONSPICIT HUNC ARIES. Haec mendosissima sunt, a correctoribus varie interpolata. Scaliger et Salmasius poenas hic dant Bullialdo, qui tamen ipse nihil extricavit. Codex Vossianus,

Haecca ferit libram, tortus capricornus et illum.

Lipsiensis sic, pede deficiente,

Haecca ferunt libram capricornus et illum:

Gemblacensis quoque,

Haec ta ferunt libram capricornus et illum.

Ex ipsa sententia mihi divinanti favit eventus.

Re-

Ternaque bis ſenis quadrata effingere ſignis,
Quorum propoſito reddentur in ordine vires.
Sed ſi quis contentus erit numeraſſe quadrata,
Diviſum ut ſignis mundum putet eſſe quaternis,
Aut tria ſub quinis ſignis formare trigonum,
Ut ſocias vires et amicos exigat ortus,
Foederaque inveniat mundi cognata per aſtra,
Falſus erit. nam quina licet ſint undique ſigna,
Qui tamen ex ſignis, quae quinto quoque feruntur
Poſta loco, fuerint nati, ſentire trigoni
Non poterunt vires, licet illud nomine ſervent:
Amiſere loco dotes, numeriſque repugnant.

Nam

Vulg. v. 295. QUADRATE FINGERE. 296. REDDUNTUR. 299. ORNARE. 304. ASTRA.

Repono,

HAEC QUADRATA FERUNT. *libram capricornus, et* ILLUM
Conſpicit HINC *aries.*

Nempe *quadrata* non plenis literis, ſed nota ſcribebatur, hoc modo, *Haec* □*ta ferunt.* Ea nota, poſtea non intellecta, omittebatur; et manebat tantum *ta.* Sic ſupra 220, pro ≘*is*, ſcripſerunt poſtea libris. Iam vero qualis oritur ſententia? Ut ſupra dixerat verſu 276,

Quaecumque ferit linea ter aequaliter ducta,
dicuntur ſigna trigona:

ita quae aequalibus lateribus quater ducta ſunt,
Haec quadrata ferunt.

Sine his oratio erat manca et imperfecta. Capricornus, libra, aries, et cancer, ſunt ſigna quadrata.

V. 291. ATQUE IPSUM PARTIBUS AEQUIS. Gemblacenſis et Lipſienſis recte,
atque ipſum A *partibus aequis.*

V. 295. TERNAQUE BIS SENIS QUADRATE FINGERE SIGNIS. Mendoſi hic ſunt Gemblacenſis et Lipſienſis, *Terraque* et *fringere.* Voſſianus,
Terraque bis ſenis quadrata ſ ingere.

Repone,
Ternaque biſſenis QUADRATA EFFINGERE *ſignis.*

ut infra verſu 333.
Quadrati ſi forte voles effingere *formam.*

Tria quadrata, non plura, per xii ſigna duci poſſunt; trigona vero quattuor.

V. 296. REDDUNTUR IN ORDINE VIRES. Immo reponendum eſt, REDDENTUR.

V. 299. AUT TRIA SUB QUINIS SIGNIS ORNARE TRIGONUM. Quid ſit *ornare* trigonum, parum capio. Repone,
FORMARE *trigonum.*

ut ii, 333.
Quadrati ſi forte voles effingere formam.

V. 303. QUI TAMEN EX SIGNIS, QUAE QUINTO QUOQUE FERUNTUR ASTRA LOCO. Vide filum orationis, *Ex ſignis, quae aſtra quinto quoque feruntur loco:* quaſi non *ſigna* et *aſtra* idem ſint. Lege, POSTA *loco,* ut Lucretius iii, 870.
Semina ſaepe in eodem, ac nunc ſunt, ordine poſta.

Nam cum ſint partes orbis per ſigna trecentae
Et ter vicenae, quas Phoebi circuit ardor;
Tertia pars eius numeri latus efficit unum
In tres perducti partes per ſigna trigoni.
Hanc autem numeri non reddit linea ſummam,
Si ſignum a ſigno, non pars a parte notetur.
Quod quamvis duo ſunt ternis dirimentibus aſtra,
Si tamen extremum laevi primumque prioris
Inter ſe conferre voles, numerumque notare;
Ter quinquagenas implebunt ordine partes.
Tranſibit numerus formam, fineſque ſequentis
Conſumet ductus. licet ergo ſigna trigona
Dicantur, partes non ſervant illa trigonas.

Haec

Vulg. v. 313. QUUM BIS——SINT HAEC A. 314. PRIMUMVE.

V. 313. QUOD QUUM BIS DUO SINT HAEC A DIRIMENTIBUS ASTRA. *Quum bis duo* a Scaligero eſt; qui *dirimentibus* hic interpretatur *angularibus* ſive extremis. Unum erratum aliud progeneravit. Codices vetuſti hoc modo;

Quod quamvis duo ſunt a diri mentibus aſtra.

Repone igitur,

Quod QUAMVIS *duo* SUNT TERNIS *dirimentibus aſtra.*

Ternis olim ſcriptum fuit notis, non literis; ex iii igitur factum eſt A. Senſus eſt, licet duo ſint aſtra, ternis illa dirimentibus ſive ſeparantibus; ut in toto ſint quinque ſigna in ſingulis trigoni lineis. *Dirimentia* igitur *media* ſunt ex quinque, non, ut Scaliger, angularia. Sic ſupra 278, de re eadem,

In tria partitus quod ter cadit angulus aſtra,
Quae diviſa manent ternis diſtantia ſignis.

ubi *ternis diſtantia ſignis* perinde eſt, ac *ternis aſtris dirimentibus* ſive intervenientibus: et infra 393.

Sed duo ſigna ferit mediis ſubmota quaternis.

id ipſum eſt quod *quaternis illa duo dirimentibus.*

Ceterum quod tot verſibus auctor oſtendit, hoc tantum eſt. Errabis, inquit, ſi in latere trigoni quinque integra ſigna numeraveris. Cum enim in toto aequatore ſint partes ſive gradus 360; pars tertia eius numeri ſive 120 latus efficit trigoni. Atqui, ſi quinque ſigna numeres, efficiunt partes 150. Similiter errabis, ſi in latere quadrati quattuor ſigna integra numeres. Cum enim numeri 360 pars quarta pro quadrati latere ſit 90: quattuor ſigna efficient 120. Ergo numerabis a principio primi ſigni ad principium poſtremi: non a principio ad finem, nec a fine ad principium: illo enim pacto numerus iuſto maior erit, hoc autem iuſto minor.

V. 314. PRIMUMVE PRIORIS. Immo PRIMUMQUE. Extremum illius *et* huius primum inter ſe conferre: ſic infra 326.

ſin ſumma prioris
Et *pars confertur ſubiuncti prima.*

V. 322. TER TRIGINTA QUADRUM PARTES PER SIDERA REDDANT. Sic quidem codices; neque opem auctori ferunt interpretes;

Haec eadem ſpecies fallet per ſigna quadrata:
Quod, cum totius numeri qui conſtruit orbem
Nongentae quadrum partes per ſidera reddant,
Evenit ut, prima ſigni de parte prioris
Si partem ad ſummam ducatur virga ſequentis,
Bis ſexagenas faciat: ſin ſumma prioris
Et pars confertur ſubiuncti prima, duorum
Signorum in quadro numerum tranſitque refertque;
Triginta duplicat partes, pars tertia deerit:
Et quamvis quartum a quarto quis computet aſtrum,
Naufragium facient partes unius in ipſis.
Non igitur ſatis eſt quinis numeraſſe trigonum,
Quadrative fidem quaeri per ſigna quaterna;

Qua-

Vulg. v. 322. TER TRIGINTA. 327. MEDIUM NUMERUS. 331. SIGNIS — TRIGONA. 332. CAELI:

terpretes; ſed inde de eius aetate male exiſtimant. Sed quis crediderit *triginta* hic poni, ultima correpta; cum mox, verſu 328, recte feratur, ultima producta. Repone,

NONGENTAE *quadrum partes per ſidera reddant.*

Nimirum notis hoc ſcriptum erat, ut ſupra factum, non literis. Inde ex LXXXX excuderunt *ter triginta.*

V. 327. DUORUM SIGNORUM MEDIUM NUMERUS TRANSITQUE REFERTQUE. Mirum loquendi genus, inquit Scaliger: *ſignorum medium*, media ſigna. Atqui hoc *mirum* ipſius pravae emendationi totum debetur. Libri quippe univerſi hos modo,

duorum
Signorum in medio numerum *tranſitque refertque.*

Sed quomodo et *tranſit*, ſive praeterit, praetermittit; et *refert*, ſive computat? haec ſecum pugnant. Ita verſu 369. *per tranſita ſigna*, id eſt quod ſigna omiſſa. Lege ſententiae ipſius iuſſu,

duorum
Signorum in QUADRO NUMERUM *tranſitque refertque.*

Ex quattuor ſignis in quadro ſive latere quadrati, duorum numerum omittit, duorum computat; ut LX tantum partes fiant, deſint XXX.

V. 331. NON IGITUR SATIS EST SIGNIS NUMERASSE TRIGONA, QUADRATIVE FIDEM CAELI PER SIGNA QUATERNA. Quid eſt, *numeraſſe fidem* quadrati? Quid trigona *ſignis*? Libri omnes *trigonas.* Repono,

Non igitur ſatis eſt QUINIS *numeraſſe* TRIGONUM,
Quadrative fidem QUAERI *per ſigna quaterna.*

nempe latus trigoni quinis ſignis clauditur, quadrati quaternis. Vide ſupra 278, 299, 302. *Non ſatis eſt fidem quadrati quaeri*, hoc eſt, tentari, explorari, examinari. Infra 591.

Cum fortuna fidem quaerat, *vix invenit uſquam.*

Mox verſu 335. *Hic poſcit quintam partem*, &c. Centeſima, in trigoni latere poſcit ſui quintam, ut fiat 120; in quadrati latere amittit ſui decimam, ut fiat 90.

V.

Quadrati si forte voles effingere formam,
Aut trinis paribus facies cum membra trigoni.
Hic poscit quintam partem centesima summa:
Illic amittit decimam. sic convenit ordo.
Et quîscumque quater iunctus favet angulus usque,
Quaeque loca in triplici signarit linea ductu,
Cum curvata viae linquet compendia rectae;
His natura dedit communi foedera lege,
Inque vicem affectus, et mutua iura favoris.
Quocirca non omnis habet genitura trigonis
Consumet ductus. licet ergo signa trigonae
Dicantur partis, non servant illa trigonis
Consensum signis: nec cum sunt forte quadrata,

Continuo

Vulg. v. 337. IUNCTIS. 338. loca triplici. 339. SIGNATA—DISPENDIA. 342. TRIGONOS. 345. SINT SORTE.

V. 337. ET QUISCUMQUE QUATER IUNCTIS FAVET ANGULUS USQUE. *Iunctis* a Scaligero est; libri omnes *cunctis*. Repone,

Et quîscumque quater IUNCTUS *favet angulus usque.*

Angulus in quadrato *quater iunctus:* sic antea 275. linea in trigono,

Inque vicem extremis iungit se *finibus ipsa.*

V. 338. QUAEQUE LOCA TRIPLICI. Libri omnes *in triplici*. Quod a Scaligero eiectum merito revocamus. Idem dedit etiam, iii, 277.

Ne magna brevibus careant compendia dictis.
sed Noster ea licentia nusquam utitur.

V. 339. CUM SIGNATA VIAE LINQUET DISPENDIA RECTAE. *Elegantissime dictum*, Scaligero iudice. Mirum vero, si id elegantissimum, quod omnino sensu cassum est. *Dispendia viae rectae* nusquam, nisi hic, audita sunt: cum linea recta sit omnium inter duos terminos brevissima. *Compendium* viae et itineris fit, cum rectà itur; *Dispendium*, cum circuitu itur. Quid vero hic recurrit *signata*, cum proximo versu habuerimus *signarit?* Repone,

Cum CURVATA *viae linquet* COMPENDIA *rectae.*

Curvata, linea scilicet; cum tribus curvaturis tres angulos facit. Sic infra 363, de hexagono;

Sexque per anfractus curvatur *virgula in orbem.*

V. 342. QUOCIRCA NON OMNIS HABET GENITURA, TRIGONOS CONSUMET DUCTUS. LICET ERGO SIGNA TRIGONAE DICANTUR PARTIS, NON SERVANT ILLA TRIGONIS CONSENSUM SIGNIS. *Quae* deest, inquit Scaliger; *quae trigonos ductus consumet.* Immo, inquit Bullialdus, corrigendum est,

Quocirca non omnis habet genitura trigoni
Consimiles *ductus.*

Frustra uterque: et in explicandis his corrigendisve opera luditur. Illusit tantis viris librariorum incuria, qui duos versus, quos supra habuimus, 318, 319, huc iterum intruserunt. Quibus sublatis, locus sanus est.

Quocirca non omnis habet genitura TRIGONIS
Consensum signis.

V.

Continuo inter ſe ſervant commercia rerum.
Diſtat enim, partes conſumat linea iuſtas,
Detrectetne modum numeri, quem circulus ambit:
Nunc tres efficiat, nunc quattuor undique ductus,
Quos in plura iubet ratio procedere ſigna
Interdum, quam ſunt numeris memorata per orbem.
Sed longe maior vis eſt per ſigna trigonis,
Quam quibus eſt titulus ſub quarto quoque quadratis.
Altior eſt horum ſubmoto linea templo:
Illa magis vicina meat, caeloque recedit,
Et propius terris accedit viſus eorum,
Aëraque infectum noſtras demittit ad auras.
At dubia alternis data ſunt commercia ſignis;

Mutua

Vulg. v. 347. enim AN. 348. DETRACTETVE. 352. TRIGONI. 353. QUADRATUS. 356. TERRAS. 357. DIMITTIT. 358. DEVIAQUE.

V. 345. NEC, CUM SINT SORTE QUADRATA. *Sunt* veteres omnes: pro *ſorte*, Gemblacenſis *forte*. Repone igitur,

nec cum SUNT FORTE *quadrata.*

Hoc vult: non in trigoni latere quinque ſigna, nec in quadrati quattuor ſigna, conſenſum et commercium ſemper inter ſe habent, niſi ita ſint ſita, ut iuſta diſtantia ſervetur; ſcilicet ut in trigono ſit partium 120, in quadrato 90: et ductibus continuatis integer circulus compleatur.

V. 347. DISTAT ENIM, AN PARTES CONSUMAT LINEA IUSTAS DETRACTETVE MODUM NUMERI, QUEM CIRCULUS AMBIT. Libri *detractetque.* Tolle *an*, et lege,

Diſtat enim, partes conſumat linea iuſtas,
DETRECTETNE *modum numeri, quem circulus ambit.*

V. 352. SED LONGE MAIOR VIS EST PER SIGNA TRIGONI, QUAM QUIBUS EST TITULUS SUB QUARTO QUOQUE QUADRATUS. Vide orationis ſeriem: *vis maior eſt* trigoni; *quam* quibus. Cur non *quorum*, eodem caſu genitivo? Deinde, quid eſt *titulus quadratus?* Repone,

Sed longe maior vis eſt per ſigna TRIGONIS,
Quam quibus eſt titulus ſub quarto quoque QUADRATIS.

Quadratis Gemblacenſis pro varia lectione: Lipſienſis etiam in textu. Quibus titulus eſt *quadratis*; ut Virgilius Georg. iv, 271.

cui nomen Amello Fecere agricolae.

V. 354. ALTIOR EST HORUM SUBMOTO LINEA TEMPLO. *Horum* quadratorum, infra 668.

Sic quaecumque manent quadrato *condita* templo.

V. 356. ET PROPIUS TERRAS ACCEDIT VISUS EORUM. Ferri poteſt *terras*. Corrigendum tamen *terris*. Sic enim ſolet Noſter, *Accedere geminis, centauro, gradibus*, &c.

V. 357. NOSTRAS DIMITTIT AD AURAS. Immo legendum potius, DEMITTIT.

V. 358. DEVIAQUE ALTERNIS DATA SUNT COMMERCIA SIGNIS. Gemblacenſis

optimus

Mutua nec magno consensu foedera servant,
Invita angusto quod linea flectitur orbe.
Nam cum pertransit formatus singula limes
Sidera, et alterno devertitur angulus astro,
Sexque per anfractus curvatur virgula in orbem;
A tauro venit in cancrum: tum virgine tacta
Scorpion ingreditur: tum te, capricorne, rigentem,
Et geminos a te pisces, aversaque tauri
Sidera contingens finit, qua coeperat, orbem.
Alterius ductus locus est per transita signa:
Utque ea practereas quae sunt mihi singula dicta,
Flexibus

Vulg. v. 361. PER TALES FORMANTUR——LIMAS. 362. DIVERTITUR. 365. QUO. 366. ADVERSAQUE TAURO.

optimus in textu *dubiaque*, superne pro correctione *deviaque*. Quae vero sint *devia commercia* prorsus ignoro. Repone,

AT DUBIA *alternis data sunt commercia signis*.

Dubia commercia, non fida et certa, non, ut versu sequente, *magno consensu servanda*.

V. 361. NAM CUM PER TALES FORMANTUR SINGULA LIMAS SIDERA. Locus mendosissimus. *Limas* a Scaligero est; qui obliquas lineas intelligit: sed dic modo verum, an ipsa sidera *formantur* per tales lineas? Codices universi, *limes*. Unde sic locum restituo;

Nam cum PERTRANSIT FORMATUS *singula* LIMES
Sidera.

In hexagono linea *pertransit singula sidera*, et alterna tantum ferit. Sic mox de eodem 376.

Singula *circuitu quae tantum* transeat astra.

Limes id quod linea; ut i, 607. et saepe alibi,

Alter ab excelso decurrens limes *olympo*.

V. 362. DIVERTITUR. Recte vetusti omnes DEVERTITUR.

V. 365. QUO TE CAPRICORNE. Pro *a quo*, inquit Huetius: nam supra *a tauro*, infra *a te*. Atqui vel ob ista exempla *a* subintelligi nequit. Lege, TUM *te, capricorne*.

V. 366. ADVERSAQUE TAURO SIDERA CONTINGENS. Qui, malum, *Sidera tauro adversa?* cum ipsum taurum rediens contingat, a quo abiens inceperat. Certissima est Huetii emendatio;

AVERSAQUE TAURI *Sidera contingens*.

ut alibi saepe. Et quidem hexagoni latus, eo ductu quo auctor describit, in posteriora tauri incidit, non in frontem.

V. 370. FLEXIBUS ET TOTIDEM SIMILIS FIT CIRCULUS ILLIS. Circulus hic vocatur, qui hexagonus est. Sed cum risu miror bonum Fayum, qui veram hic lectionem reperit,

Flexibus HIC *totidem similis fit circulus* ILLI.

Hic illi similis: quia non plura quam duo hexagona duci possunt.

V. 371. TRANSVERSOS IGITUR FUGIUNT SUBEUNTIA VISUS. Cur *subeuntia* magis quam stantia? cum aspectus hexagonorum fixi sint. Dedit auctor,

Transversos igitur fugiunt SEXANGULA *visus*.

Sexangula ut supra versu 282.

Cetera sunt simili ratione triangula *signa*.

Sexangulae apum cellae, Plinius; et saepe alias.

V.

Flexibus hic totidem ſimilis fit circulus illi.
Tranſverſos igitur fugiunt ſexangula viſus,
Quod nimis inclinant aciem, limiſque videntur,
Vicinoque latent: ex recto certior ictus.
Tertia convexo conduntur ſigna receſſu.
At quîs accedit convexo linea caelo,
Singula circuitu quae tantum tranſeat aſtra;
Viſus eis procul eſt, altoque vagatur olympo,
Et tenues vires ex longo mittit in orbem.
Sed tamen eſt illis foedus ſub lege propinqua,
Quod non diverſum eſt genus, alternantibus aſtris;
Maſcula

Vulg. v. 370. ET—ILLIS. 371. SUBEUNTIA. 372. AC NE. 375. QUAE SUCCEDIT CONNEXA EST. 376. TRANSMEAT. 377. VIS EIUS. 380. QUOD EUNTIBUS.

V. 372. QUOD NIMIS INCLINANT, AC NE LIMISQUE VIDENTUR. Quale loquendi genus, *ac ne limiſque*, pro *ac ne limis quidem?* Deinde falſum eſt, ne limis quidem ſexangula videri; quod eſſet, omnino non videri. Vident enim et videntur; ſed limis oculis, et linea tranſverſa. Gemblacenſis, *quod nimis inclinat anne:* Voſſianus, *inclinat ac ne:* Lipſienſis, *inclinat anne:* et pro varia lectione, *ac ne.* Repone,

Quod nimis inclinant ACIEM *limiſque videntur.*

Inclinant aciem, ita vetus editio in bibliotheca regiae ſocietatis. *Aciem*, hoc eſt *viſum*. i, 675.

Nec viſus aciemque fugit.

V. 374. TERTIA CONVEXO CONDUNTUR SIGNA RECESSU. Verſus ſpurius. *Convexo* iterum venit linea ſequente.

V. 375. AT QUAE SUCCEDIT, CONNEXA EST LINEA CAELO, SINGULA CIRCUITU QUAE TANTUM TRANSMEAT ASTRA, VIS EIUS PROCUL EST, ALTOQUE VAGATUR OLYMPO. Haec et in libris vitioſa feruntur, et a Scaligero in peius immutantur. Repono,

At QUÎS ACCEDIT CONVEXO *linea caelo,*
Singula circuitu quae tantum TRANSEAT *aſtra,*
VISUS EIS *procul eſt, altoque vagatur olympo.*

At hexagonis, quibus caelo accedit linea, procul eis viſus eſt, et a terra remotior. *Convexo linea*, codices univerſi: *connexa eſt* Scaligero debetur. Iidem *tranſeat*, ut verſu 368. *per tranſita ſigna:* vide ad verſum 361. *Vis eius procul eſt, et tenues vires mittit.* Hoccine placet, *vis* eius mittit *vires?* codex Venetus *viſus eius:* ergo recte emendatum *viſus eis:* ergo et recte *quis accedit* pro *quae ſuccedit*. Utramque emendationem probat vel unus verſus 356.

Et propius terris accedit viſus *eorum.*

Viſus ibi trigonorum, hic hexagonorum: ibi *terris accedit*, hic *caelo*.

V. 380. QUOD NON DIVERSUM GENUS EST; QUOD EUNTIBUS ASTRIS MASCULA SEX MARIBUS RESPONDENT. In verſu praecedente *foedus* recte ſubſtituit Scaliger, pro eo quod omnes libri agnoſcunt *Phoebus:* ſed in his duobus non aëque bene rem geſſit. Quid enim eſt *euntibus* aſtris? Gemblacenſis in priore verſu non habet *eſt;* in ſecundo omnes codices *ſed* non *ſex*. Repone,

Quod non diverſum eſt genus, ALTERNANTIBUS *aſtris;*
Maſcula SED *maribus reſpondent.*

Alterna aſtra in hexagonis eodem genere et ſexu ſunt.

Mascula sed maribus respondent: cetera sexus
Feminei secum iungunt commercia mundi.
Sic quamquam alternis paret natura figuris,
Et cognata iacent generis sub legibus astra.
Iam vero nulla est haerentibus addita signis
Gratia: nam consensus hebet, quia visus ademptus.
In seducta ferunt animos, quae cernere possunt.
Sunt etiam adversi generis connexa per orbem
Mascula femineis, semperque obsessa vicissim:
Disparibus non ulla datur concordia signis.
Sexta quoque in nullas numerantur commoda vires,
Virgula per totum quod par non ducitur orbem:
Sed duo signa ferit mediis submota quaternis:
Tertius absumpto ductus non sufficit orbe.

At

Vulg. v. 381. SEX. 382. SIC CONIUNGUNT. 383. INQUAM. 387. SE DUCTA——QUA. 388. ET DIVERSI. 393. FACIT.

V. 381. CETERA SEXUS FEMINEI. SIC CONIUNGUNT COMMERCIA MUNDI. Libri universi *se* non *sic*. Repone igitur,

cetera sexus
Feminei SECUM IUNGUNT *commercia mundi.*

et nota *secum*; hoc est feminea cum femineis; non cum masculis.

V. 383. SIC, INQUAM, ALTERNIS PARET NATURA FIGURIS. Rursus τὸ *inquam* a Scaligero est: cui tamen vocabulo nullus hic locus est. Libri veteres *sic quicquam*. Repone,

Sic QUAMQUAM *alternis paret natura figuris.*

Alterna, ait, in hexagonis signa non multum invicem consensum habent; quia linea eorum et visus a terris remotior est: aliquantum tamen habent, quia utraque sunt eiusdem sexus. ergo, quamquam *alterna* sunt, quod obest; prodest tamen, quod *cognata* sunt.

V. 387. IN SE DUCTA FERUNT ANIMOS, QUA CERNERE POSSUNT. Libri omnes *quae cernere*. Repone,

In SEDUCTA *ferunt animos,* QUAE *cernere possunt.*

Haerentibus, contiguis signis, nulla, inquit, concordia est: quia visus ademptus est, nec linea ab uno in alterum duci potest: ergo animos ferunt in seducta et remota astra, in quae lineae possunt duci. Quin et doctissimus Huetius, *seducta*: nec minus commode Bullialdus *sciuncta*.

V. 388. SUNT ET DIVERSI GENERIS CONNEXA PER ORBEM. Repone ex libris omnibus,

Sunt ETIAM ADVERSI *generis connexa per orbem.*

Recte *etiam*: nam, praeter priorem, quod se mutuo videre nequeunt; alteram nunc causam reddit, cur nulla contiguis gratia sit, quia etiam sexu differunt, et genere pugnant.

V. 391. SEXTA QUOQUE. Ordo est, *Sexta quoque signa*, ut aries et virgo, *habentur commoda in nullas vires*. *Commoda* hic est adiectivum.

V. 393. SED DUO SIGNA FACIT. Quid, obsecro, est virgula *facit* duo signa? Repone,

Sed

At quae diverſis e partibus aſtra refulgent,
Per medium adverſo mundum tendentia vultu,
Et toto diviſa manent contraria caelo;
Septima quaeque, loco quamvis ſubmota feruntur,
Ex longo tamen illa valent, vireſque miniſtrant
Vel bello vel pace ſuas, ut tempora poſcunt,
Nunc foedus ſtellis, nunc et dictantibus iras.
Quod ſi forte libet, quae ſint contraria, ſigna
Per titulos celebrare ſuos ſedeſque; memento
Solſtitium brumae, capricornum opponere cancro,
Lanigerum librae: par nox in utroque dieſque:
Piſcibus Erigonen, iuvenique urnaeque leonem:
Scorpios e ſummo cum fulget, taurus in imo eſt:
Et cadit arcitenens, geminis orientibus orbi.

Obſer-

Vulg. v. 395. EX. 396. PENDENTIA. 398. FERANTUR. 401. PHOEBUS. 402. SUNT. 408. ORBE.

Sed duo ſigna FERIT *mediis ſubmota quaternis.*

Sic verſu 276. *Linea* ferit *ſigna trigona.*

V. 395. AT QUAE DIVERSIS EX PARTIBUS. Gemblacenſis, E *partibus*; quod reponendum eſt.

V. 396. PER MEDIUM ADVERSO MUNDUM PENDENTIA VULTU. Pendentia *adverſo* vultu? qualis haec oratio eſt? qui *pendet* a vultu nutuve alicuius, non *adverſo* vultu, ſed ſubmiſſo ſe gerit. Repone,

Per medium adverſo mundum TENDENTIA *vultu.*

V. 398. QUAMVIS SUBMOTA FERANTUR. Veteres omnes FERUNTUR; quod melius.

V. 401. NUNC PHOEBO, STELLIS NUNC ET DICTANTIBUS IRAS. Occultum hic cubat mendum, quod ex latibulo ſuo eruetur. Principio, cur *Phoebus et ſtellae*, ſive sol et planetae, hic inducuntur, quaſi fixorum aſpectus gubernantes vel mutantes? nuſquam in hoc opere de illis agit Noſter; etſi recentiores aſtrologi de sole et planetis magnis ambagibus magnas nugas agant. Deinde ordinem verborum vide: *nunc Phoebo, ſtellis nunc et.* In hac vero ſententia, nemo non ſic dixiſſet, *nunc Phoebo, nunc et ſtellis.* Poſtremo, quid agatur, inſpice: ait, ſeptima quaeque ſigna vires ſuas miniſtrare, *vel bello vel pace*, ut fert tempus et occaſio: at Phoebus hic et ſtellae nihil dictant niſi *iras*. Si *iras* tantum, quid fiet de *pace*. Repone et diſtingue,

Nunc FOEDUS *ſtellis, nunc et dictantibus iras.*

hoc eſt, nunc pacem, nunc bellum. Sic infra verſu 469. Aſtra

Aut odium foeduſve *gerunt.*

pro *Phoebo foedus*, ut ſupra verſu 379 recte repoſuit Scaliger *foedus*; cum codices univerſi habeant *Phoebus*. Ceterum *ſtellas* hic univerſim accipe, non planetas.

V. 402. QUAE SUNT. Gemblacenſis SINT habet; quod melius.

V 408. GEMINIS ORIENTIBUS ORBE. Lege ORBI.

Obſervant inter ſeſe contraria curſus.
Sed quamquam adverſis fulgent contraria ſignis;
Natura tamen interdum ſociata feruntur,
Et generis vinclis concordia mutua ſurgit;
Maſcula quod maribus, vel quod diverſa ſuorum
Reſpondent generi. piſces ſic virginis aſtro
Adverſi volitant; ſed amant communia iura:
Et vincit natura locum: ſed vincitur ipſa
Temporibus; cancerque tibi, capricorne, repugnat
Femina femineo, quia brumae diſſidet aeſtas.
Hinc rigor et glacies, nivibuſque albentia rura:
Hinc ſitis et ſudor, nuduſque in ſolibus orbis;
Aeſtivoſque dies aequat nox frigida brumae.
Sic bellum natura gerit, diſcordat et annus:

Ne

Vulg. v. 412. OBNERE. EXEMPLIS. 413. SI PARIBUS——SI. 414. ET—— ASTRUM. 420. COLLIBUS.

V. 409. OBSERVANT INTER SESE CONTRARIA CURSUS. Atqui *contraria* ſequente verſu habemus. Nimirum et hic verſiculus eſt irreptitius, et ineptus. Quid enim eſt obſervare curſus inter ſe, quae fixa ſunt et eandem diſtantiam ſemper ſervant. Senſit hoc Scaliger, et maluit *rurſus*; *ἀλλὰ κακῷ κακὸν ἵσταῖο.*

V. 412. NATURA TAMEN INTERDUM SOCIATA FERUNTUR, ET GENERE. EXEMPLIS CONCORDIA MUTUA SURGIT. Mirum vero, ſi aſtrorum affectus *exemplis* gubernantur. Ergo aſtra ſenſu et ratione ſunt praedita; et quae paulo ſtultiora ſunt, ad *exempla* prudentiorum ſe componunt. Codices vetuſti, ut ſcias quantum iis credendum ſit, *genera*. Repone,

Et GENERIS VINCLIS *concordia mutua ſurgit.*

Concordia ex vinclis generis; ut Cicero, *vincula concordiae amoris*, &c. Noſter infra 630.

Unum pectus habent fideique *immobile* vinclum. et iii, 106.
fideique *tenet parentia* vincla.

V. 413. MASCULA SI PARIBUS, VEL SI DIVERSA SUORUM. Immo *maribus*, ut ſupra 381.

Maſcula ſed maribus *reſpondent.*

Quid autem hic volunt *ſi, ſi*? certe in contrariis et ex diametro oppoſitis numquam non reſpondent maſcula maribus, feminea feminis. Repone igitur,

Maſcula QUOD MARIBUS, *vel* QUOD *diverſa ſuorum.*

V. 414. PISCES ET VIRGINIS ASTRUM ADVERSI VOLITANT. Hoc ne latine quidem dictum. Vetuſti omnes *aſtra*, non *aſtrum*. Repone, *piſces* SIC *virginis* ASTRO *Adverſi volitant.*

V. 420. NUDUSQUE IN COLLIBUS ORBIS. Cur vero in *collibus*, potius quam in campis vel arvis? Repone,

Et ſitis et ſudor, nuduſque in SOLIBUS *orbis.*

Virgilius, Georg. i, 66.

Pulverulenta coquat maturis solibus *aeſtas.*

423. NEC MIRERE. Gemblacenſis quidem *nec*; ſed ceteri melius NE.

2 V.

Ne mirere in ea pugnantia ſidera parte.
At non lanigeri ſignum libraeque repugnant
In totum, quia ver autumno tempore differt:
Fructibus hoc implet maturis, floribus illud.
Sed ratione par eſt aequatis nocte diebus,
Tempora nam efficiunt ſimili concordia textu,
Par nox, parque dies, mediis hiemem inter et aeſtum
Articulis, unum ſervans utrimque tenorem,
Quo minus infeſto decertent ſidera bello.
Talis erit ratio diverſis addita ſignis.
His animadverſis, reſtat (quae proxima cura)
Noſcere tutelas, adiectaque numina ſignis,
Et quae cuique deo rerum natura dicavit,
Cum divina dedit magnis virtutibus ora,

Condidit

Vulg. v. 423. NEC. 424. REPUGNAT. 428. temporaQUE. 429. PERMIXTOSQUE. 430. UNO SERVANTIA TEMPORE UTRIMQUE. 433. REBUS.

V. 424. AT NON LANIGERI SIGNUM LIBRAEQUE REPUGNAT. Immo REPUGNANT: quippe duo ſunt; ut mox *hoc, illud.*

V. 427. SED RATIONE PAR EST AEQUATIS NOCTE DIEBUS. Libri omnes,

Sed ratione pari eſt aequalis nocte diebus.

Verſus ſpurius et barbarus. Sententia, quae hic quaeritur, *noctes diebus aequari*, in tribus ſequentibus repetitur: non ergo ſit δὶς ταὐτόν.

V. 428. TEMPORAQUE EFFICIUNT SIMILI CONCORDIA TEXTU, PERMIXTOSQUE DIES MEDIIS HIEMEM INTER ET AESTUM ARTICULIS UNO SERVANTIA TEMPORE UTRIMQUE. Evolve modo orationis filum; *Tempora ſervantia permixtos dies uno tempore.* Quid eſt, *tempora tempore?* quid *dies permixti?* haec portentoſe corrupta ſunt. Statim mihi ſuboluit, *tempore* hic poni pro *tenore*; et poſtea metri cauſa verborum ordinem mutatum eſſe; quo ſemel prehenſo, cetera non invita ſequebantur. Repone,

Tempora NAM *efficiunt ſimili concordia textu,*
PAR NOX, PARQUE *dies, mediis hiemem inter et aeſtum*
Articulis, UNUM SERVANS UTRIMQUE TENOREM,
Quo minus infeſto decertent ſidera bello.

Nam vel *enim* ſententiae neceſſarium eſt. *Nox et dies unum ſervans tenorem.* Virgil. Georg. ii, 336.

Non alios prima creſcentis origine mundi
Inluxiſſe dies *aliumve habuiſſe* tenorem
Crediderim.

ubi obiter corrigendum NASCENTIS *mundi*, non *creſcentis.* Lucretius v, 509. de mari:

Unum *labendi* conſervans *uſque* tenorem.

Noſter iii, 523.

nec in cunctis ſervat *fortuna* tenorem.

et iv, 824.

Perpetuoſque tenet flores, unumque tenorem.

V. 432. TALIS ERIT RATIO DIVERSIS ADDITA SIGNIS. *Diverſis* hic pro contrariis, oppoſitis ponitur. Unde liquet verſum eſſe adulterinum; eiuſdem forte interpolatoris, qui verſus 409 et 427 textui inſeruit.

V. 433. HIS ANIMADVERSIS REBUS, QUAE PROXIMA CURA, NOSCERE TUTELAS,

Condidit et varias ſacro ſub nomine vires,
Pondus uti rebus perſona imponere poſſit.
Lanigerum Pallas, taurum Cytherea tuetur,
Formoſos Phoebus geminos: Cyllenie, cancrum;
Tuque pater cum matre deûm regis ipſe leonem:
Spicifera eſt virgo Cereris, fabricataque libra
Vulcani: pugnax Mavorti ſcorpios haeret:
Venantem Diana virum, ſed partis equinae;
Atque anguſta fovet capricorni ſidera Veſta:
E Iovis adverſo Iunonis aquarius aſtrum eſt:
Agnoſcitque ſuos Neptunus in aethere piſces.
Hinc quoque magna tibi venient momenta futuri.
Cum ratio tibi per ſtellas et ſidera curret,
Argumenta petes omni de parte viaque,
Artis ut ingenio divina potentia ſurgat,

Exae-

Vulg. v. 441. IUPPITER ET. 447. AEQUORE. 449. VARIET——CURET. 450. VIASQUE. 451. DIVISA.

TELAS. *Noſcere* nihil habet, quocum in conſtructione iungatur. Repone,

His animadverſis RESTAT *(quae proxima cura)*
Noſcere tutelas. ut i, 561.
Reſtat, *ut aethereos fines tibi reddere coner.*

V. 440. CYLLENIE, CANCRUM; IUPPITER ET CUM MATRE DEUM REGIS IPSE LEONEM. *Cyllenie*, libri omnes; *regis* ſolus Gemblacenſis; ceteri *regit.* Recte quidem *regis*; ſed adhuc barbara oratio eſt et ſolœca. Repone,

Cyllenie, cancrum;
TUQUE PATER *cum matre deûm regis ipſe leonem.*

Pater deûm cum *matre* deûm; multo elegantius quam *Iuppiter.* Et iam adſcito *tu*, locutio bene latina eſt. *Cyllenie, tuque pater deum:* pro *tu Cyllenie, tuque pater deum:* ut Horatius Serm. i, x, 90. *Demetri, teque Tigelli;* pro *te Demetri, teque Tigelli.*

V. 447. AGNOSCITQUE SUOS NEPTUNUS IN AEQUORE PISCES. Quid narras? an piſces zodiaci adhuc in aequore ſunt? Repone,

Agnoſcitque ſuos Neptunus in AETHERE *piſces.*

Quamvis in caelo ſunt, tamen ut ſuos dominus agnoſcit.

V. 449. CUM RATIO VARIET STELLAS ET SIDERA CURET. *Variet* a Scaligero eſt, infelice coniectura. Omnes libri, *cum ratio tua fert ſtellas.* Pro *curet* vero Gemblacenſis, et Voſſianus *curat:* Lipſienſis et Venetus *curret.* Repone,

Cum ratio TIBI PER *ſtellas et ſidera* CURRET.

hoc eſt, cum in munere aſtrologico et fatis ex genitura praedicendis verſaberis.

V. 450. ARGUMENTA PETES OMNI DE PARTE, VIASQUE ARTIS, UT INGENIO DIVISA POTENTIA SURGAT. Ita quidem codices; ſed repone et diſtingue,

Argumenta petes omni de parte VIAQUE,
Artis ut ingenio DIVINA *potentia ſurgat.*

Divina

Exaequentque fidem caelo mortalia corda.
Accipe divisas hominis per sidera partes,
Singulaque in propriis parentia membra figuris;
In quîs praecipuas toto de corpore vires
Exercent. aries caput est ante omnia princeps
Sortitus, censusque sui pulcherrima colla
Taurus; et in geminos aequali brachia sorte
Scribuntur connexa humeris; pectusque locatum
Sub cancro est; laterum regnum scapulaeque leonis;
Virginis in propriam concedunt ilia sortem;
Libra regit clunes; et scorpios inguine gaudet;
Centauro femina accedunt; capricornus utrisque
Imperitat genibus; crurumque humentis aquari
Arbitrium est; piscesque pedum sibi iura reposcunt.
Quinetiam propriis inter se legibus astra

Conve-

Vulg. v. 452. CAELI. 454. singulaque propriis. 458. AT in GEMINIS. 461. DESCENDUNT. 462. AT. 464. IMPERAT IN——crurum FUNDENTIS.

Divina, etiam editio Romana. sic et iii, 90.
Cardinibusve movet divina potentia *mundi*.
Artis ingenio, ut Ovid. Met. viii, 159.
Daedalus ingenio *fabrae celeberrimus* artis.

V. 452. EXAEQUENTQUE FIDEM CAELI MORTALIA CORDA. Libri veteres *caelo*; quod et Scaliger malebat. Lucretius, i, 80.
nos exaequat *victoria* caelo.
hoc vult, ut tam certa sit Chaldaei mathematici praedictio, quam ipsum in caelo fatum.

V. 454. SINGULAQUE PROPRIIS PARENTIA MEMBRA FIGURIS. Libri universi melius, *Singulaque* IN *propriis*.

V. 458. AT IN GEMINIS AEQUALI BRACHIA SORTE SCRIBUNTUR. Codices *et in*. Repone,
ET *in* GEMINOS *aequali brachia sorte Scribuntur*. ut supra versu 268.
Quattuor in partes scribuntur *sidera terna*.

V. 461. DESCENDUNT ILIA SORTEM. Cur autem *descendant*, magis quam *ascendant*? Repone,
Virginis in propriam CONCEDUNT *ilia sortem*. ut iii, 118.
hoc totum partem concessit *in unam*.

V. 462. AT SCORPIOS INGUINE GAUDET. Libri omnes, ET.

V. 464. IMPERAT IN GENIBUS. Vetusti quattuor, *Imperat* et *genibus*. Repone, IMPERITAT *genibus*. ut Horatius, Serm i,vi,4.
Olim qui magnis legionibus imperitarent.

Ibid. CRURUM FUNDENTIS AQUARI ARBITRIUM EST. Notant hic interpretes *fundentis* absolute positum, ut supra 233.
Parsque marina nitens fundentis *semper aquari*.
Sed et versus iste spurius est, et hic mendosus. Repone,
*crurum*QUE HUMENTIS *aquari*.
ut Noster v, 444.
Sed regione means Cepheus humentis *aquari*.

V.

Conveniunt, ut certa gerant commercia rerum;
Inque vicem praeſtant viſus, atque auribus haerent,
Aut odium foeduſve gerunt; converſaque quaedam
In ſemet proprio ducuntur plena favore.
Idcirco adverſis nonnumquam eſt gratia ſignis;
Et bellum ſociata gerunt: alienaque ſede
Inter ſe generant coniunctos omne per aevum,
Utrique aut ſorti pugnant, fugiuntque viciſſim.
Quod deus, in leges mundum cum conderet omnem,
Affectus quoque diviſit variantibus aſtris,
Atque aliorum oculos, aliorum contulit aures;
Iunxit amicitias horum ſub foedere certo,
Cernere ut inter ſe poſſent audireque; quaedam
Diligerent, aliis noxas bellumque moverent:
His etiam propriae foret indulgentia ſortis,
Ut ſe diligerent ſemper, ſibique ipſa placerent.

Sicut

Vulg. v. 469. FOEDUSQUE. 471. nonnumquam gratia. 474. ET. 479 POSSINT. 480. ALIA ET.

V. 469. AUT ODIUM FOEDUSQUE GERUNT. Veterrimi duo Gemblacenſis et Lipſienſis, *foeduſve*.

V. 471. NONNUMQUAM GRATIA SIGNIS. Repone, *nonnumquam* EST *gratia*.

V. 474. UTRIQUE ET SORTI PUGNANT FUGIUNTQUE VICISSIM. A libris veteribus abeſt *et*. Lege, *utrique* AUT *ſorti*.

V. 479. CERNERE UT INTER SE POSSINT AUDIREQUE QUAEDAM, DILIGERENT ALIA, ET NOXAS BELLUMQUE MOVERENT. Solus Gemblacenſis *poſſent*. Recte; ut mox *diligerent*, *moverent*. Tum lege et diſtingue,

Cernere ut inter ſe POSSENT *audireque; quaedam*
Diligerent, ALIIS *noxas bellumque moverent*.

V. 484. FORMANTIBUS ARTUS. Libri univerſi *ortus*. Operarum typographicarum erratum eſt in poſteriore Scaligeri editione, quod pro emendatione Fayus arripuit.

V. 486. AUDIT SE, LIBRAMQUE VIDET, FRUSTRATUR AMANDO. TAURUS, LANIGERO QUI FRAUDEM NECTIT. Gemblacenſis, Lipſienſis, et Venetus *taurum*. Lege igitur et diſtingue, *fruſtratur amando* TAURUM: *lanigero qui fraudem nectit*. *Fruſtratur*; quia taurus pro mutuo amore *fraudem ei nectit*. Ut *fruſtro* active, ita *fruſtror* paſſive. Priſcianus, p. 793. Feneſtella: *fruſtratus igitur a ſpe, devictus in caſtra ſe recepit*: fruſtratus, ματαιωθείς. Laverius: *fruſtramur, irridemur*. Noſter i, 887.

Ad iuga moerentes cogunt fruſtrata *iuvencos*.

V. 489. VIRGINE AMANS CAPITUR. Libri univerſi *mens*; quod mutare non debuit Scaliger; cum eadem utriuſque ſententia eſt.

Sicut naturas hominum plerasque videmus,
Qui genus ex signis ducunt formantibus ortus.
Consilium ipse suum est aries, ut principe dignum est,
Audit se; libramque videt: frustratur amando
Taurum; lanigero qui fraudem nectit, et ultra
Fulgentes videt, atque audit per sidera pisces,
Virgine mens capitur. sic quondam vexerat ante
Europam dorso retinentem cornua laeva,
Indutusque Iovi est. geminorum ducitur auris
Ad iuvenem aeternas fundentem piscibus undas,
Inque ipsos animus pisces, oculique leonem.
Cancer, et adverso capricornus conditus astro,
In semet vertunt oculos; in mutua tendunt
Auribus; et cancri captatur aquarius astu.
At leo cum geminis aciem coniungit, et aurem
Centauro gemino, capricorni diligit astrum.

Erigone

Vulg. v. 487. TAURUS. 489. AMANS—GESSERAT. 491. Jovi geminorum. 495. VERTITUR IN SEMET OCULIS——TENDIT. 496. AT—ASTRO. 498. GEMINOS.

est. Ceterum *taurus*, inquit Huetius, *videt virginem, non pisces: quod ignorasse Manilium haud credibile est.* Quid si igitur legamus,

et ultra
Fulgens HAUD *videt*, AST *audit per sidera pisces.*

Sane taurus videt virginem; ut ex schemate apposito videre est: quod ideo adieci, ut et hic prolixus locus promptius intelligatur; et futile hoc otiosi Chaldaei commentum, ex lineis parallelis haec sibi somniantis, vanitatem suam prodat. Noster vero hic maluit se poëtam magis quam astrologum ostendere: et sciens prudens schema deseruit, ut Europam et Iovem induceret.

V. 489. SIC QUONDAM GESSERAT ANTE EUROPAM DORSO. Repone ex libris vetustis, *sic quondam* VEXERAT *ante.*

V. 491. INDUTUSQUE IOVI. Series ipsa orationis legendum monet, *Iovi* EST.

V. 495. VERTITUR IN SEMET OCULIS, IN MUTUA TENDIT AURIBUS, AT CANCRI CAPTATUR AQUARIUS ASTRO. Gemblacensis solus, *in semet vertunt oculosque*: ille vero et ceteri veteres *tendunt*, et *et* pro *at*. Repone,

IN SEMET VERTUNT OCULOS, *in mutua* TENDUNT
Auribus, ET *cancri captatur aquarius* ASTU.

Astro versum abhinc alterum finierat. *Astu* captatur, ut infra versu 634.

saepe est et subdolus astus.

V. 498. AT LEO CUM GEMINIS ACIEM CONIUNGIT, ET AUREM CENTAURO. GEMINOS CAPRICORNI DILIGIT ASTRUM. Falsum hoc, capricornum amare geminos; amat enim leonem. Repone,

Centauro GEMINO: *capricorni diligit astrum.* Ita infra versu 552.

geminumque *sub arcu* Centaurum.

P V.

Erigone taurum ſpectat, ſed ſcorpion audit,
Atque ſagittifero conatur nectere fraudem.
Libra ſuos ſequitur ſenſus, ſolumque videndo
Lanigerum, atque animo complexa eſt ſcorpion infra.
Ille videt piſces, oditque per omnia libram.
Necnon arcitenens magno parere leoni
Auribus, atque oculis ſinum fundentis aquari
Conſpicere aſſuevit, ſolamque ex omnibus aſtris
Diligit Erigonen. contra capricornus in ipſum
Convertit viſus; quid enim mirabitur ille
Maius, in Auguſti felix cum fulſerit ortum?
Auribus et ſummi captat faſtigia cancri.
At nudus geminis intendit aquarius aurem,
Sublimemque colit cancrum, ſpectatque reducta
Tela ſagittiferi. piſces ad ſcorpion acrem
Direxere aciem, cupiuntque attendere taurum.
Has natura vices tribuit, cum ſidera fixit.
His orti ſimiles referunt per mutua ſenſus,

Audire

Vulg. v. 502. INTRA. 503. AUDITQUE. 510. AT.

V. 502. ATQUE ANIMO COMPLEXA EST SCORPION INTRA. In Gemblacenſi verbum ultimum deſideratur. Ceteri libri *infra*. Aut lege INFRÀ, quia ſcorpios ſequitur libram; aut *ſcorpion acrem*, ut infra verſu 513.

V. 503. ILLE VIDET PISCES, AUDITQUE PER OMNIA LIBRAM. Falſum eſt, ait Scaliger, ſcorpion audire libram: audit enim virginem. Recte hoc: unde Bullialdus corrigit,

Ille videt piſces, *audit* quae proxima *librae*.

Sed dedit auctor, ODITQUE *per omnia libram*. ut taurus *fraudem nectit* arieti; ita pari ratione ſcorpios *odit* libram. Vide diagramma.

V. 505. AURIBUS, ATQUE OCULIS SINUM FUNDENTIS AQUARI. Libri vetuſtiores *ſinum*: quod retinendum. Reſpicit *ſinum*, non totum *ſignum*. Ut enim *ſagittarius* ſpectat *ſinum* ſive urnam aquarii; ita rurſus aquarius verſu 513, ſpectat reducta *tela* ſagittiferi. Atque hoc pacto *fundentis* non abſolute ponitur: quippe *ſinum* bis hic accipitur. Vide verſum 525.

V. 510. AURIBUS AT SUMMI. Libri univerſi ET recte. *At* verſum ſequentem inchoat. Porro capricornus ex ſchematis ratione leonem *amat*. Hoc auctor oblitus eſt dicere.

V. 520. QUIN ADVERSA MEANT ETIAMQUE TRIGONA TRIGONIS. *Que* abeſt a Gemblacenſi. Lego,

Quin adverſa meant ET TOTA *trigona trigonis*.

V.

Audire ut cupiant alios, aliosque videre:
Horum odio, nunc horum iidem ducantur amore:
Illis insidias tendant, captentur ab illis.
Quin adversa meant et tota trigona trigonis:
Alteraque in bellum diverso limite ducit
Linea. sic veri per totum consonat ordo.
Namque aries leo et arcitenens, sociata trigono
Signa, negant chelis foedus totique trigono,
Quod gemini excipiunt fundens et aquarius urnam.
Idque duplex ratio cogit verum esse fateri:
Quod tria signa tribus signis contraria fulgent,
Quodque aeterna manent hominum bella atque ferarum;
Humana est facies librae, diversa leoni.
Idcirco et cedunt pecudes: quod viribus amplis
Consilium est maius. victus leo fulget in astris:
Aurea lanigero concessit sidera pellis.
Ipse ferae partis centaurus tergore cedit.
Usque adeo est hominis victus, quod mirer ab illis
Nascentis

Vulg. v. 520. ETIAMQUE. 525. UNDAS. 529. LEONIS. 532. LANIGERI—— SIDERE. 533. SUAE.

V. 525. FUNDENS ET AQUARIUS UNDAS. Repone,

fundens et aquarius URNAM.

Sic *fundere pocula, pateram, carchesia*, &c. Noster i, 272.

Post hunc inflexam defundit *aquarius* urnam.

V. 529. HUMANA EST FACIES LIBRAE, DIVERSA LEONIS. Immo LEONI.

V. 532. AUREA LANIGERI CONCESSIT SIDERE PELLIS. Nollem hoc a viro magno interpolatum. Libri universi,

Aurea LANIGERO *concessit* SIDERA *pellis.*

Recte: *concessit*, hoc est, *conciliavit*. Noster i, 9.

Concessumque *patri* mundum *deus ipse mereris.*

V. 533. IPSE SUAE PARTIS CENTAURUS TERGORE CEDIT. Immo non cedit, qua homo est, *suae* sive humanae partis tergore; sed equinae partis, qua pecus est. Sic Noster i, 425.

et duplici centaurus imagine fulget,
Pars invenis tergo *pectus commissus* equino.

ii, 444.

Venantem Diana virum, sed partis equinae.

Repone igitur,

Ipse FERAE *partis centaurus tergore cedit.*

ii, 189. de eodem;

fera tergo membra *rigentem*
Excipiunt hiemem.

V. 534. USQUE ADEO EST HOMINIS VIRTUS. QUO MIRER AB ILLIS NASCEN-

Naſcentis librae ſuperari poſſe trigonum.
Quinetiam brevior ratio eſt per ſigna ſequenda.
Nam quaecumque nitent humana condita forma
Aſtra, manent illis inimica et victa ferarum.
Sed tamen in proprias ſecedunt ſingula mentes,
Et privata gerunt ſecretis hoſtibus arma.
Lanigero genitis bellum eſt cum virgine natis,
Et libra, et geminis, et ſi quos protulit urna.
In partus tauri ſub cancro nata feruntur
Pectora, et in chelis, et quae dat ſcorpios acer,
Et piſces. at quos geminorum ſidera formant,
His cum lanigero bellum eſt eiuſque trigono.
In cancro genitos capricorni ſemina laedunt,
Et librae partus, et quos dat virginis aſtrum,

Quique

Vulg. v. 542. GEMINI PISCIS——UNDA. 543. PARTES.

TIS LIBRAE SUPERARI POSSE TRIGONUM. *Virtus, quo* a Scaligero ſunt. Libri enim omnes; *victus, quod mirer.* At poſtquam ſic interpolaverat, *Uſque adeo eſt hominis virtus*: novum, inquit, genus loquendi. Immo et novum et mirum. *Quo mirer*; *hoc eſt*, ait, *quo magis mirer*: et addit, *ſic non raro loqui Tertullianum.* Indignor profecto nebulonem aliquem falſarium tanto viro impoſuiſſe. Verſus ſpurii ſunt et barbari. *Victus* vera lectio eſt; praefert enim tenebrio *victum humanum* illi beſtiarum. Quid vero eſt *Naſcentis librae trigonum?* Quid, *Quo mirer ſuperari poſſe?* cum nec trigonum *una naſcatur*; et ab altera ſuperari *numquam* poſſit.

V. 542. ET LIBRA, GEMINI PISCIS QUOS PROTULIT UNDA. Libri *piſces.* Repone quod ex adverſo trigono colligas,

Et libra, ET GEMINIS, ET SI QUOS *protulit* URNA.

Nam ſupra 525, aries bellum gerit cum libra, geminis, et aquario ratione trigoni; virgo hoſtis ſecretus: et *gemini piſcis* male, cum alias dicat *geminos piſces*: *unda* vero piſcium nuſquam in caelo eſt; *urna nati* mox 561.

V. 543. IN PARTES TAURI. Recte Gronovius obſerv. ii, 5. PARTUS. Ut mox 548. *Et librae partus*; et ſaepe alibi.

V. 549. QUIQUE SUB ADVERSI NUMERATUR SIDERE TAURI, LANIGERI COMMUNIS ERIT. Muta diſtinctionem, et lege,

Quique ſub AVERSI NUMERANTUR *ſidere tauri.*

Numerantur libri omnes. *Averſi* corrigunt Salmaſius, Gronovius, Huetius.

V. 551. HOSTIS. SED TOTIDEM BELLUM SUBSCRIBITUR ASTRIS. Gronovius, *Hoſtis et a totidem:* Huetius, *et in totidem.* Lego,

ET IN *totidem bellum ſubſcribitur* ASTRA.

ut verſu 557.

in totidem ſecundus creditur hoſtes.

V. 552. ERIGONE TAURUMQUE TIMET, GEMINUMQUE SUB ARCU. Quomodo

Quique ſub averſi numerantur ſidere tauri.
Lanigeri communis erit rabidique leonis
Hoſtis, et in totidem bellum ſubſcribitur aſtra.
Erigone cancrumque timet, geminumque ſub arcu
Centaurum, et piſces, et te, capricorne, rigentem.
Maxima turba petit libram, capricornus et illi
Adverſus cancer, chelis quod utrumque quadratum eſt;
Quaeque in lanigeri numerantur ſigna trigonum.
Scorpios in totidem fecundus creditur hoſtes:
Aequoreum iuvenem, geminos, rabidumque leonem,
Erigonen, libramque fugit, metuendus et ipſe.
Quique ſagittari veniunt de ſidere partus,
Hos geminis nati libraque et virgine et urna
Depreſſiſſe volunt: naturae et lege iubente

Haec

Vulg. v. 549. ADVERSI NUMERATUR. 551. SED—ASTRIS. 552. TAURUMQUE. 553. AT te. 557. HOSTIS. 558. TAURUM ATQUE. 562. naturae lege.

modo virgo *taurum* timet, qui in virginis ipſius trigono eſt? Vides viros maximos in harum nugarum rationem non deſcendiſſe. Repone,

Erigone CANCRUMQUE *timet*.

Cancer enim, centaurus et piſces in oppoſito virgini trigono ſunt. Quin et ſupra verſu 543, *taurus* non inimicus virgini eſt: et verſu 547, *cancer* ei inimicus eſt.

V. 553. AT TE, CAPRICORNE, RIGENTEM, MAXIMA TURBA PETIT. Libri omnes, ET TE. Quod mutata diſtinctione reponendum. Vidit hoc et Gronovius.

V. 557. SCORPIOS IN TOTIDEM FECUNDUS CREDITUR HOSTIS. Lege *hoſtes*. *Hoſtis* hic in veteribus membranis notat accuſativum pluralem.

V. 558. AEQUOREUM IUVENEM, GEMINOS, TAURUM, ATQUE LEONEM. Scorpios, inquit, *totidem hoſtes habet*, quot libra. Atqui libra *quinque* hoſtes habuit; ſcorpios hic habet *ſex*. Repone igitur, pro *taurum atque leonem* *geminos*, RABIDUMQUE *leonem*. ut ſupra verſu 211,

ſagittari ſignum, rabidique leonis.

Mox, *fugit, metuendus et ipſe*; ſcorpios illos *fugit*, metuit, et viciſſim ipſe metuitur.

V. 562. DEPRESSISSE VOLUNT, NATURAE LEGE IUBENTE. Tres veterrimi, Gemblacenſis, Lipſienſis, Venetus, *Natura et lege iubente*. Lege, diſtinctione mutata,

Depreſſiſſe volunt: naturae ET *lege iubente*
Haec eadem, capricorne, tuis inimica feruntur.

Iidem, inquit, *capricorno hoſtes, qui centauro: idque lege naturae:* non *naturae rerum*, ſed naturae in utroque ſigno duplicis, hominis equo, capri piſtrici iuncti. Ovid. Met. xii, 394. de Cyllaro centauro:

Nec te pugnantem tua, Cyllare, forma redemit.
Si modo naturae *formam concedimus* illi.

Et rurſus verſu 503. Monychus centaurus de ſua gente:

Quid geminae vires? quid quod fortiſſima rerum
In nobis natura duplex *animalia iunxit?*

V.

Haec eadem, capricorne, tuis inimica feruntur.
At quos aeternis perfundit aquarius undis,
Ad pugnam Nemeaeus agit, totumque trigonum;
Turba ſub unius iuvenis virtute ferarum.
Piſcibus exortos vicinus aquarius urget,
Et gemini fratres, et quos dat virginis aſtrum,
Quique ſagittari deſcendunt ſidere nati.
Nec ſola eſt ratio, quae dat naſcentibus arma,
Inque odium generat partus, et mutua velle:
Sed plerumque manent inimica tertia quaeque
Lege, in tranſverſum vultu defixa maligno;
Quoque manent quaecumque loco contraria ſigna,
Adverſoſque gerunt inter ſe ſeptima viſus,
Tertia quaeque illinc utriuſque trigona feruntur.
Ne ſit mirandum ſi foedus non datur aſtris,

Quae

Vulg. v. 565. VENIENS AGITAT. 576. ILLIS UTRISQUE.

V. 565. AD PUGNAM VENIENS AGITAT. Libri veteres, *ad pugnam nemeus agit*. Librarii poſteriores pro *nemeus* dederunt *veniens*; inde verſus gratia interpolatum *agitat*. Atqui corrigendum erat,

Ad pugnam NEMEAEUS AGIT.

Ita ſaepe alibi, ut v, 206.

Cum vero in vaſtos ſurget Nemeaeus *hiatus*.

Leo, inquit, et totum eius trigonum, hoc eſt, aries et centaurus: *turba ferarum*; leo, aries, equus, ſub humana parte centauri.

V. 576. TERTIA QUAEQUE ILLIS UTRISQUE TRIGONA FERUNTUR. Libri univerſi, *utriuſque*. Repone,

Tertia quaeque ILLINC UTRIUSQUE *trigona feruntur*.

Illinc, ut reſpondeat *τῷ quo loco*. *Utriuſque trigona*, ut ſupra verſu 546.

His cum lanigero bellum eſt eiuſque trigono.

Res ex diagrammate conſtat: ſume quaevis *ſigna contraria* ſive oppoſita, cancrum et capricornum; tertia quaeque a cancro, hinc taurus, illinc virgo, ſunt trigonum capricorni. Similiter tertia quaeque a capricorno, piſces et ſcorpios, ſunt cancri trigonum. Porro trigona cancri et capricorni *adverſa* inter ſe ſunt, ut ſupra verſu 520, arietis et librae.

V. 580. CORPORA, TOTQUE MODIS, QUOTIENS INIMICA CREANTUR. Quid miri, ſi *tot modis contraria corpora creantur*, quotiens *inimica*? *Contraria* enim id ipſum eſt, quod *inimica*. Repone,

Corpora, totque modis, TOTIENS *inimica creantur*.

V. 581. IDCIRCO NIHIL EX SEMET. Hunc verſum et ſeptem ſequentes ex ſuo, quem in omnibus codicibus tenent, loco temere detruſerat Scaliger in priore editione poſt verſum 607: nec in altera quamvis admonitus ſententiam mutare voluit. Omnino recte ſe habet qui in membranis eſt ordo: tot modis totieſque, ut ſupra oſtenſum, *inimici* creantur homines: idcirco nihil unquam dedit natura fido *amicitiae pectore* maius aut rarius.

V.

Quae ſunt adverſi ſignis cognata trigoni.
Per tot ſignorum ſpecies contraria ſurgunt
Corpora; totque modis, totiens inimica creantur.
Idcirco nihil ex ſemet natura creavit
Pectore amicitiae maius, nec rarius umquam.
Unus erat Pylades; unus qui mallet Oreſtes
Ipſe mori. lis una fuit per ſaecula mortis:
Alter quod raperet fatum, non cederet alter.
Et duo qui potuere ſequi veſtigia; tum cum
Optavitque reum ſponſor non poſſe reverti;
Sponſorique reus timuit, ne ſolveret ipſum.
Perque tot aetates hominum, tot tempora et annos,
Tot bella, et varios etiam ſub pace labores,
Cum fortuna fidem quaerat, vix invenit uſquam.
At quanta eſt ſcelerum moles per ſaecula cuncta?

Quantum

Vulg. v. 580. QUOTIENS. 583. ERIT. 586. VADIMONIA SPONSI. 588. SPONSOREMQUE. 592. AH.

V. 583. UNUS ERIT PYLADES. Codex Voſſianus cum duobus aliis ERAT. Recte. Si enim *erit*; non *mallet* erat dicendum, ſed *malet*, vel *malit*.

V. 586. ET DUO QUI POTUERE SEQUI VADIMONIA SPONSI. Ita Scaliger ex coniectura; cum libri univerſi habeant, *ſequi vix noxia poenis*. Atqui nec *vadimonia ſponſi* bene latine dicas, nec *ſequi vadimonia*. Quin et neminem, duobus illis Damone et Phintia exceptis, obire vadimonia potuiſſe falſiſſimum eſt. Denique hiat oratio: quae coniunctionem flagitat, *cum* ſponſor optavit. Experiamur, an nobis melius cedat coniectatio;

Et duo qui potuere ſequi VESTIGIA; TUM CUM
Optavitque reum ſponſor.

Duo ſoli, qui Oreſtis et Pyladae *veſtigia ſequi*, ſive exemplum imitari, potuerunt. *Tum cum*; ut Ovidius Heroid. i, 5.

O utinam tum cum *Lacedaemona claſſe petebat*; et ſaepe alias.

Vix noxia poenis, librarii ſumpſerunt ex verſu 602. *poenas iam noxia vincit.*

V. 588. SPONSOREMQUE REUS TIMUIT. *Timuit ſponſorem, ne*: hoc eſt, *timuit, ne ſponſor*. Notus, ait Scaliger, Helleniſmus. Plauto quidem et Terentio notus, ut Eunuch. iii, 5.

metuo *fratrem*,
Ne *intus ſit*; *porro autem patrem*, ne *rure redierit jam*.

Sed fruſtra apud poſteriores quaeras. Repone,

SPONSORIQUE *reus timuit, ne ſolveret ipſum.*

hoc eſt, *pro ſponſore timuit*, ne ſuam vicem occideretur.

V. 592. AH QUANTA EST SCELERUM MOLES. *Ah* a Scaligero eſt: libri univerſi *at*. Quid planius iſta oppoſitione? Fides per tot ſaecula vix uſquam inveniri poteſt: *at* ſcelerum quanta eſt moles? Ceterum Gemblacenſis mendoſe, *at quantae ſcelerum mortes?*

V.

Quantum onus invidiae non excuſabile terris?
Venales ad fata patres, matrumque ſepulchra.
Impoſuit Phoebus noctem, terraſque reliquit.
Quid loquar everſas urbes, et prodita templa?
Et varias pacis clades, et mixta venena?
Inſidiaſque fori, caedeſque in moenibus ipſis,
Et ſub amicitiae graſſantem nomine turbam?
In populo ſcelus eſt, et abundant cuncta furore.
Et fas atque nefas mixtum; legeſque per ipſas
Saevit nequities: poenas iam noxia vincit.
Scilicet in multis quoniam diſcordia ſignis
Corpora naſcuntur, pax eſt ſublata per orbem;
Et fidei rarum foedus, pauciſque tributum.
Utque ſibi caelum, ſic tellus diſſidet ipſi;
Atque hominum gentes inimica ſorte feruntur.

Si

Vulg. v. 593. QUAMQUE—EXCUSSABILE. 598. caedes in. 605. PACISQUE. 606. IPSA.

V. 593. QUAMQUE ONUS INVIDIAE NON EXCUSSABILE TERRIS? Illud *excuſſabile*, quod nuſquam alias legitur, a Scaligero venit: libri omnes *excuſabile:* quod retinet et egregie explicat Gronovius obſerv. ii, 13. Repone igitur,

QUANTUM *onus invidiae non* EXCUSABILE *terris?*

Non excuſabile, quod purgari, excuſari, expiari non poteſt. Phyllis Demophoonti, apud Naſonem Heroid. ii, 75.

De tanta rerum turba factiſque parentis,
Sedit in ingenio Creſſa relicta tuo.
Quod ſolum excuſat, *ſolum miraris in illo:*
Haeredem patriae, perfide, fraudis agis.

Onus invidiae, ut idem Metam. xii, 626.

A ſe Tantalides onus invidiamque *removit.*

V. 594 VENALES AD FATA PATRES. Hunc et ſequentem pro ſpuriis habeo.

V. 598. CAEDES IN MOENIBUS IPSIS. Voſſianus bene, CAEDESQUE.

V. 605. ET FIDEI RARUM PIGNUS, PACISQUE TRIBUTUM. Quid eſt *tributum pacis?* Quidve *pacis* hic facit; cum in praecedente verſu habuerimus *pax?* Repone,

Et fidei rarum foedus PAUCISQUE *tributum:*

Paucis a natura conceſſum.

V. 606. UTQUE SIBI CAELUM, SIC TELLUS DISSIDET IPSA. Si *ipſa* legimus, haec ſurget ſententia; Ut caelum ſibi diſſidet, ita ipſa tellus diſſidet *caelo:* quod Noſtro et aſtrologis falſum habetur. Repone igitur,

Utque ſibi caelum, ſic tellus diſſidet IPSI.

Ipſi, hoc eſt, ſibi, ut paſſim auctor τὸ ipſe uſurpat. Terra ſuas inimicitias ex ſignorum inimicitiis trahit.

V. 613. QUA COLITUR, NAMQUE EST NATURA MITIUS ASTRUM. *Qua colitur*, inquit Scaliger, *hoc eſt, Quatenus cicur eſt animal et cultus patiens, eatenus eſt mitius.* Immo *natura* mite eſt, non cultu et arte manſueſcit.

Repone

Si tamen et cognata cupis dignoſcere ſigna,
Quae iungant animos et amica ſorte ferantur;
Lanigeri partus cum toto iunge trigono.
Simplicior tamen eſt aries, meliuſque leone
Proſequitur genitos, et te, centaure, creatos,
Quam colitur. namque eſt natura mitius aſtrum,
Expoſitumque ſuae noxae; nec fraudibus ullis,
Nec minus ingenio molli, quam vellere, conſtans.
Illis eſt feritas ſignis, praedaeque cupido,
Venaliſque animus, nonnumquam et vendere cogit
Commoditate fidem, nec longa eſt gratia facti.
At cum lanigeri partu ſub utroque trigono
Non partis: ſed rara gerit pro tempore bella,
Quod feritas utriuſque magis pro tempore cogit.
Plus tamen in duplici numerandum eſt roboris eſſe,

Vulg. v. 613. QUA. 614. SINE. 615. CORPORE CONSTAT. 617. EXCEDERE.

Repone ex libris univerſis, QUAM *colitur*. Ordo eſt, aries *melius* proſequitur leonem et centaurum, *quam* ab iis colitur: quia ipſe mitis et ſimplex, illi feri et praedatores. *Colitur*, ut ſupra ii, 512, de aquario;

Sublimemque colit *cancrum*.

V. 614. SINE FRAUDIBUS ULLIS: NEC MINUS INGENIO MOLLI, QUAM CORPORE CONSTAT. Libri omnes, *nec fraudibus*, et vetuſti quattuor *conſtat*. Repono,

NEC *fraudibus ullis*,
Nec minus ingenio molli, quam VELLERE, CONSTANS.

Sic paſſim de ariete loquens, *vellera*, *vellere* Noſter uſurpat.

V. 617. EXCEDERE COGIT COMMODITATE FIDEM. *Excedere fidem*, poſtulante ſententia, idem hic erit ac rumpere, prodere: quod tamen latine dici nequit. Nam *excedere* cum accuſativis eſt ultra ire; et *fidem excedere*, eſt omnem fidem exſuperare; maius quid eſſet, quam ut credi poſſit. Ovid. Met. vii, 166.

Exceſſitque fidem *meritorum ſumma tuorum*.

Plinius Hiſt. vii, 21. *Oculorum acies vel maxime* fidem excedentia *invenit miracula*. et xxviii, 13. Excedit fidem *impudens cura*. Suetonius Claud. xxix. *Nam illud omnem* fidem exceſſerit. Repone igitur,

Venaliſque animus, nonnumquam ET VENDERE *cogit*
Commoditate fidem.

Tibullus i, 9.

Tum mihi iurabas nullo te divitiis auri
Pondere, non gemmis, vendere *velle* fidem.

V. 619. AT CUM LANIGERI PARTU. Hic et duo ſequentes ſpurii ſunt. Libri habent, *non parcit*: unde Scaliger refinxit *non partes*, hoc eſt, factionem. Idem adſciſſit Huetius; et inſuper *gerunt* reponit pro *gerit*. Fruſtra uterque in adulterinis coniecturas perdunt. Nihil enim in his tribus eſt, quod non antea dictum ſit. *Partes* vero *gerere* quis umquam dixit? Quid, quod, *ſub utroque trigono*, barbare dictum, pro utroque angulo unius trigoni? Denique *pro tempore bella*, et continuo *pro tempore cogit*, inficete et putide.

Cui commixtus homo eſt, quam te, Nemaee, ſub uno.
Idcirco et pax eſt ſignis, et mixta querela.
Quinetiam tauri capricorno iungitur aſtrum;
Nec magis illorum coëunt ad foedera mentes.
Virgineos etiam partus, quicumque creantur
Tauro, complecti cupiunt: ſed ſaepe queruntur.
Quoſque dabunt gemini chelaeque et aquarius ortus,
Unum pectus habent, fideique immobile vinclum:
Magnus erit geminis amor, et concordia duplex.
Magnus et in multos veniet ſucceſſus amicos.
Scorpios et cancer fraterna in nomina ducunt
Ex ſemet genitos: nec non et piſcibus orti
Concordant illis. ſaepe eſt et ſubdolus aſtus;
Scorpios aſpergit noxas ſub nomine amici.
At quibus in lucem piſces venientibus adſunt,
His non una manet ſemper ſententia cordi.
Commutant animos interdum, et foedera rumpunt,
Ac repetunt: tectaeque lues ſub fronte vagantur.
Sic erit e ſignis odium tibi paxque notanda:

In

Vulg. v. 624. idcirco pax. 626. ET. 629. CHELAE ET QUOS DAT. 635. NAM——ACTUS.

V. 624. IDCIRCO PAX EST SIGNIS. Rectius libri vetuſti, *Idcirco* ET *pax eſt*.

V. 626. ET MAGIS ILLORUM. Libri univerſi NEC *magis*. *Et* a Scaligero eſt, quia *nec*, inquit, contrarium auctoris menti eſt. Feſtinabat vir magnus, cum hoc ſcriberet. Taurus et capricornus in eodem trigono ſunt: *non* tamen *magis* concordes ſunt, quam aries et centaurus: quia hinc ſigna ſingula ſunt, illinc duplicia.

V. 629. QUOSQUE DABUNT CHELAE, ET QUOS DAT AQUARIUS ORTUS. Verſus abhinc tertius in nullo manuſcripto eſt: a Bonincontrio opinor additus, ad trigonum ſupplendum. Repone igitur,

Quoſque dabunt GEMINI CHELAEQUE ET *aquarius ortus.*

Error inde natus, quia notis non literis olim haec ſcribebantur.

V. 635. CONCORDANT. ILLIS (SAEPE EST NAM SUBDOLUS ACTUS.) Libri veteres *et* pro *nam*. Lege et diſtingue,

Concordant illis. ſaepe eſt ET *ſubdolus* ASTUS.

Aſtus etiam Heinſius ad Ovidium et Huetius vidit. Scorpios infidos et ſubdolos parit; piſces, varios et inconſtantes.

V. 643. NEC SATIS EST TANTUM. Vetuſti quattuor, *Nec ſatis* HOC *tantum*.

V.

In terris geniti tali ſub lege creantur.
Nec ſatis hoc tantum ſolis inſiſtere ſignis:
Contemplare locum caeli, ſedemque vagarum.
Parte genus variant, et vires linea mutat.
Nam ſua quadratis veniunt, ſua iura trigonis,
Et quae per ſenos decurrit virgula tractus,
Quaeque ſecat medium tranſverſo limite caelum.
Hinc modo dat mundus vires, modo deterit idem:
Quaeque illic ſumunt iras, huc acta reponunt.
Diſtat enim, ſurgantne eadem, ſubeantne, cadantne.
Crebrius adverſis odium eſt: cognata quadratis
Corpora cenſentur ſignis, et amica trigonis.
Nec ratio obſcura eſt: nam quartum quodque locavit
Eiuſdem generis ſignum natura per orbem.
Quattuor aequali caelum diſcrimine ſignant,
In quibus articulos anni deus ipſe creavit.
Ver aries, cererem cancer, bacchumque miniſtrans
Libra, caper brumam genitoſque ad frigora menſes.
Necnon et duplici quae ſunt connexa figura,

Quartum

Vulg. v. 643. EST. 650. HIC. 659. GENITUSQUE——PISCES.

V. 644. CONTEMPLARE LOCUM CAELI. Verſus ſpurius. Vide ad verſum 651.

V. 650. HIC ACTA REPONUNT. *Hic acta* σολοικίζει. Repone ex libris veteribus,

HUC *acta reponunt.*

V. 651. DISTAT ENIM, SURGANTNE EADEM, SUBEANTNE, CADANTNE. Verſus irreptitius et ineptus: *ſurgant* enim et *ſubeant* eodem ſunt ſenſu. Praeterea omnes omnino codices numero ſingulari habent, *ſurgatne, ſubeatne, cadatne.* Mutatum credo a Bonincontrio; ut praecedenti verſui hunc adaptaret. Atqui interpolator olim aliquis binos verſus addiderat;

Contemplare locum caeli ſedemque vagarum:
Diſtat enim ſurgatne eadem, ſubeatne, cadatne:

hoc eſt, *eadem vaga ſtella:* quorum verſuum alter, quod in anguſtiore margine uterque longo ſpatio ſcriberentur, ab altero ſeparatus eſt; cum ab ignaris librariis in textum inducerentur. Nondum quicquam de planetarum aſpectibus auctor narraturus erat.

V. 659. LIBRA, CAPER BRUMAM, GENITUSQUE AD FRIGORA PISCIS. *Id eſt, caper,* inquit Scaliger, *idemque piſcis: eſt enim pars caper, pars piſcis.* Hanc interpretationem ſecuti ſunt alii. Sed ſine dubio tacitis ſententiis damnarunt poëtam tam abſurde et incon-

Quartum quaeque locum retinent. duo cernere piſces,
Et geminos iuvenes, duplicemque in virgine formam,
Et duo centauri licet uno corpora textu.
Sic et ſimplicibus ſignis ſtat forma quadrata.
Nam neque taurus habet comitem, nec iungitur ulli
Horrendus leo, nec meruit ſibi nectere quemquam
Scorpios, atque uno cenſetur aquarius aſtro.
Sic quaecumque manent quadrato condita templo
Signa, parem referunt numeris aut tempore ſortem.
Haec veluti cognata manent ſub foedere tali:

Idcirco

Vulg. v. 661. QUEMQUE. 663. CORPORE TEXTOS. 666. METUIT SINE CORPORE. 667. CENSENTUR. 670. AC.

dite loquentem. Codex Voſſianus, *genitoſque piſces*. Repone,

Libra, caper brumam GENITOSQUE *ad frigora* MENSES.

hoc eſt, menſes hibernos. Claudian. Prof. iii, 224.

Quod gelidi *rubeant alieno germine* menſes.

V. 661. QUARTUM QUEMQUE LOCUM RETINENT. Atqui hoc falſum, duplicia ſigna quartum *quemque* locum retinere: tum enim omnes duodecim tenerent, quorum quivis diverſo reſpectu quartus eſſe poteſt. Repone igitur,

Quartum QUAEQUE *locum retinent.*

Hoc eſt, *quaeque ſigna*, ut verſu 654.

nam quartum quodque *locavit*
Eiuſdem generis ſignum.

V. 663. ET DUO CENTAURI LICET UNO CORPORE TEXTOS. *Textos* a Scaligero eſt: *licet*, inquit, *cernere duo contextos in uno corpore centauri*. Atqui nec ordo vocabulorum probus eſt; nec *duo textos* placet; quaſi duo iſti integra eſſent animalia, non unius partes. Gemblacenſis, *uno in corpore mixtum*; et ſuperne pro varia lectione *textum*. Ceteri tres non agnoſcunt *in*, et in ipſo textu habent *textum*. Repone,

Et duo centauri licet uno CORPORA TEXTU.

Duo corpora centauri uno textu, hoc eſt, unà commiſſa, connexa, contexta. *Textus*, uſitatum auctori vocabulum: ut ii, 428.

Temporaque efficiunt, ſimili concordia textu.

iii, 270. *venietque ſuo per carmina* textu.

iv, 415. *et vario conſurgunt ſidera* textu.

V. 666. NEC METUIT SINE CORPORE QUEMQUAM SCORPIOS. Oſtendit taurum, leonem, ſcorpion, et aquarium ſigna eſſe *ſimplicia*. Quo igitur pertinet, *ſcorpion neminem metuere?* Aut quid omnino eſt, *quemquam ſine corpore? Sine corpore*, inquit Huetius, *ſubaudi* adiuncto. Atqui nec illud iure poteſt ſubaudiri, nec quicquam ſententiam iuvat. Reſtituo tibi verba auctoris;

nec MERUIT SIBI NECTERE *quemquam Scorpios.*

Errori anſam dedit compendioſa ſcriptio, *ſi nectere, ſi necp̄ore.* Non meruit ſcorpios, utpote totus venenoſus, quemquam habere ſibi connexum, quo duplex ſignum fieret.

V. 667. ATQUE UNO CENSENTUR AQUARIUS ASTRO. Priore verſu iam emendato, quis non videat legendum eſſe, CENSETUR. Ita Voſſianus, et ex recentioribus multi.

V. 669. SIGNA PAREM REFERUNT NUMERIS AUT TEMPORE SORTEM. *Tempore*, aries, cancer, libra, capricornus, qui cardines quattuor anni tempora deſignant. *Numeris*, duo altera quadrata: ſic infra, 678.

minor eſt numeri *quam* cardinis *uſus.*

V.

Idcirco affines ſignant, gradibuſque propinquis
Accedunt, unoque tenent ab ſanguine natos.
Proxima vicinis ſubſcribunt; tertia quaeque
Hoſpitibus: ſic aſtrorum ſervabitur ordo;
Quotquot cardinibus, ſerie variante, moventur.
Quae quamquam in partes diviſi quattuor orbis
Altera quadrata efficiunt; non lege quadrati
Cenſentur: minor eſt numeri, quam cardinis uſus.
Longior in ſpatium porrecta eſt linea maius,
Quae tribus emenſis ſignis facit aſtra trigona:

Haec

Vulg. v. 672. UNAQUE——SUB IMAGINE. 675. PROPRIO QUADRANTE. 677. SIDERA.

V. 670. AC VELUTI COGNATA MANENT SUB FOEDERE TALI. Immo non omnia quadrata cognatos faciunt, ſed unum tantum, quod quattuor cardines tenet. Repone igitur,

HAEC *veluti cognata manent ſub foedere tali.*

Haec ultima, quae *tempore* parem ſortem referunt, non *numeris ſolis*. Sic infra de trigonis:

Haec *meliora putant, mentes quae iungere poſſunt.*

V. 672. UNAQUE TENENT SUB IMAGINE NATOS. Quid eſt *una ſub imagine?* an omnes, ſub eodem quadrato nati, ſunt eadem forma corporis? Ridiculum. Repone,

UNOQUE *tenent* AB SANGUINE *natos.*

Quadrata, inquit, et affines ſignant et conſanguineos; trigona amicos. Virgil. Aen. viii, 142.

Sic genus amborum ſcindit ſe ſanguine ab uno.

Noſter ii, 681. *imitantes iura gradumque*
Sanguinis,
et 685. *foedus ſub* ſanguine *fallunt.*

V. 673. PROXIMA VICINIS SUBSCRIBUNT. Ut quadratum arietis cardinale affines et conſanguineos generat, ita *proxima*, tauri quadratum, vicinos, et *tertia*, geminorum quadratum, hoſpites. *Haec*, prima ſcilicet, *proxima*, *tertia*. Apparet ergo hunc verſum et ſequentes quinque recte hic a nobis poni: nam in manuſcriptis et editis veniunt poſt verſum 686.

V. 675. QUOTQUOT CARDINIBUS PROPRIO QUADRANTE MOVENTUR. Pro *proprio quadrante*, quod a Scaligero eſt, libri veteres *proprie variante*. Sane quid ſibi velit *proprio quadrante* non intelligo: cum *quadrans* non ſit quadratum, ſed quarta pars quadrati, vel alterius rei cuiuſvis. Repono,

ſic aſtrorum ſervabitur ordo;
Quotquot cardinibus, SERIE VARIANTE, *moventur.*

Sic ordo, inquit, aſtrorum ſervabitur, pro rata quoquoverſus a cardinibus diſtantia; ut proxima vicinis dentur, tertia hoſpitibus; ſerie aſtrorum tria quadrata variante. Infra ii, 959.

quae pervolat omnis
Aſtrorum ſeries.

Porro hinc conſtat, virum magnum inconſulto hic mutaſſe ordinem verſuum in codicibus receptum; cum et hunc 675 ante verſum 673 poſuerit.

V. 677. SIDERA QUADRATA EFFICIUNT. *Quae*, aſtra ſcilicet, *efficiunt ſidera quadrata.* Quid putidius, cum aſtra ſint idem quod ſidera? Nec recte dixeris *ſidera quadrata*. Neque vero minus putide, ſi caſu recto acceperis, aſtra, *quae ſidera* efficiunt quadrata. Repone,

ALTERA *quadrata efficiunt.*

hoc eſt, duo alia quadrata, praeter quadratum arietis cardinale.

V.

Haec ad amicitias, imitantes iura gradumque
Sanguinis, atque animis haerentia foedera ducunt.
Utque ipſa ex longo coëunt ſubmota receſſu,
Sic nos coniungunt maioribus intervallis.
Haec meliora putant, mentes quae iungere poſſunt,
Quam quae nonnumquam foedus ſub ſanguine fallunt.
Adde ſuas partes ſignis, ſua partibus aſtra:
Nam níhil in totum ſervit ſibi: mixta feruntur.
Ipſis dant vires aſtris capiuntque viciſſim:
Quae mihi mox certo digeſta ſub ordine ſurgent.
Omnibus ex iſtis ratio eſt repetenda per artem,
Pacata infeſtis ſigna ut dignoſcere poſſis.
  Perſpice nunc tenuem viſu rem, pondere magnam,
Et tantum Graio dignari nomine paſſam,
Dodecatemoria in titulo ſignantia cauſas.
Nam cum tricenas per partes ſidera conſtent,
Rurſus bis ſenis numerus diducitur omnis.
Ipſa igitur ratio binas in partibus eſſe

Dimidiaſque

Vulg. v. 682. PECTORA. 689. FINES. 692. PERDISCERE. 694. SIGNARI.

V. 682. ANIMIS HAERENTIA PECTORA. Quid hic facit *pectora?* Lege FOEDERA. Ducunt ad amicitias et foedera firma. Ut mox foedus *ſub ſanguine fallunt.*

V. 687. ADDE SUAS PARTES SIGNIS, SUA PARTIBUS ASTRA. Cum in omnibus membranis hic verſus hoc, quo nunc edimus, loco feratur; miror qui factum ſit, ut et ante Scaligerum detrudatur poſt verſum 690. Ordo clarus et conſpicuus eſt. Adde ſuas ſignis *partes*; nam nihil in *totum* ſibi ſervit. *Partes* et *totum* antitheta ſunt.

V. 689. IPSIS DANT FINES ASTRIS CAPIUNTQUE VICISSIM. Sine dubio *fines*, ſive termini, ſtatae ſunt; quomodo ergo dantur, et viciſſim capiuntur? Repone,

Ipſis dant VIRES *aſtris capiuntque viciſſim.*

Cum *mixta* dicit, et *vires* dicit: haec enim ſe mutuo poſtulant. Vide ad ii, 859.

692. PACATA INFESTIS SIGNA UT PERDISCERE POSSIS. *Perdiſcere* nullo hic ſenſu eſt. Omnino corrigendum, DIGNOSCERE: ut ſupra ii, 608.

Si tamen et cognata cupis dignoſcere *ſigna.*

V. 694. SIGNARI NOMINE PASSAM. Inepte et ignave *ſignari*, cum proximo verſiculo ſequatur *ſignantia*. Repone,

DIGNARI *nomine paſſam*

Dignari nomine: Priſcianus p. 793. Cicero in Oeconom. *Homo ex eo numero hominum, qui apud nos eo* nomine dignantur. Et alibi.

V.

Dimidiasque docet partes. his finibus esse
Dodecatemorium constat; bis senaque cuncta
Omnibus in signis: quae mundi conditor ille
Attribuit totidem numero fulgentibus astris;
Ut sociata forent alterna sidera sorte,
Et similis sibi mundus, et omnia in omnibus astra;
Quorum mixturis regeret concordia corpus,
Et tutela foret communi mutua causa.
Idcirco quamquam signis nascantur eisdem,
Diversos referunt mores, inimicaque vota.
Et saepe in pecudes errat natura, maremque
Femina subsequitur, miscentur sidere partus,
Singula divisis variant quod partibus astra,
Dodecatemoriis proprias mutantia vires.
Nunc quae sint cuiusque canam, quove ordine constent:
Ne vagus ignotis signorum partibus erres.
Ipsa suo retinent primas in corpore partes
Sidera: vicinae subeuntibus attribuuntur.

Cetera

Vulg. v. 707. NASCUNTUR. 711. QUOT. 713. QUID SIT CUIASVE. 716. VICINIS SUBEUNTES.

V. 707. SIGNIS NASCUNTUR EISDEM. Veteres quattuor, NASCANTUR.

V. 709. ET SAEPE IN PECUDES ERRAT NATURA. Hic et sequens versus adulterini sunt: effecti ex libri iv versibus 101, &c.

V. 711. SINGULA DIVISIS VARIANT QUOT PARTIBUS ASTRA. Pro *quot* vetusti quattuor *quod*. Recte. Diversos referunt mores, *eo quod* astra divisis partibus variant.

V. 713. NUNC QUID SIT, CUIASVE, CANAM, QUOVE ORDINE CONSTET. *Cuiasve* a Scaligero est; *cuias*, inquit, *pro quale, ut* *πελαπὸν* *pro* *ποῖον*. Non opus est tam ignoto remedio. Veteres quattuor *cuiusque*, et ex illis duo *constent*. Repone,

Nunc, QUAE SINT CUIUSQUE, *canam*, *quove ordine* CONSTENT.

Nunc dicam, quae sint dodecatemoria cuiusque astri; primum in ariete est arietis ipsius, secundum tauri, tertium geminorum, et sic deinceps, ultimum piscium. Eodem ordine procedendum in reliquis signis.

V. 716. VICINIS SUBEUNTES ATTRIBUUNTUR. Vetusti quattuor, *vicinis subeuntibus*. Repone igitur,

VICINAE SUBEUNTIBUS *attribuuntur*.

vicinae *partes* dantur *signis* subeuntibus sive sequentibus.

V.

Cetera pro numero ducunt ex ordine ſortes:
Ultima et extremis ratio conceditur aſtris.
Singula ſic retinent binas in ſidere quoque
Dimidiaſque ſibi partes; et ſumma repletur
Partibus exactis triginta ſidere in omni.
  Nec genus eſt unum, ratio nec prodita ſimplex;
Pluribus inque modis verum natura locavit,
Diduxitque vias; voluitque per omnia quaeri.
Haec quoque comperta eſt ratio ſub nomine eodem.
Quacumque in parti naſcentum tempore luna
Conſtiterit, numeris hanc ter diſpone quaternis,

Sublimi

Vulg. v. 717. PARTES. 719. SIDERA QUAEQUE. 720. SUI. 721. SORTIBUS.

V. 717. CETERA PRO NUMERO DUCUNT EX ORDINE PARTES. Cum *ducunt* legis, ſubibit tibi mentem, SORTES legendum eſſe, non *partes*. Virgilius Aen. vi, 22.

ſtat ductis ſortibus *urna*.

et Noſter infra ii, 743.

ducunt *et ſingula* ſortes
Dimidias.

V. 719. SINGULA SIC RETINENT BINAS IN SIDERA QUAEQUE. Libri vetuſti pro *quaeque* habent *quoque*. Repone igitur, ut verſu 747,

Singula ſic retinent binas in SIDERE QUOQUE.

V. 720. DIMIDIASQUE SUI PARTES. Certe non *ſui* partes; cum ſingula ſigna non in ſe ſolum, ſed in aliis omnibus dodecatemorion habeant. Repono,

Dimidiaſque SIBI *partes*.

V. 721. SORTIBUS EXACTIS TRIGINTA SIDERE IN OMNI. Ut verſu 717 *ſortes* repoſuimus pro *partes*: ita vieiſſim pro *ſortibus* reponendum hic *partibus*. Nam *partes* quidem in omni ſidere *triginta* ſunt; ſed *ſortes* tantum *duodecim*. Aut igitur legendum,

Sortibus exactis BISSENIS *ſidere in omni*.

aut,

PARTIBUS *exactis triginta ſidere in omni*.

V. 730. ET QUAE DEHINC FUERINT, PARTES NUMERARE MEMENTO. Libri vetuſti *quae et hinc defuerant*. Quod Scaligero *ridiculum* eſt; et ille ſuam correctionem ſic explicat: *Memento attribuere ſuas partes illi ſigno, et ſignis quae dehinc fuerint, ſive ſignis ſequentibus*. Erravit vir magnus: lege minima mutatione,

QUAEQUE HINC DEFUERANT *partes numerare memento*.

hoc eſt, et ſuas partes et quae hinc defuerant; ut in toto triginta partes primo ſigno tribuantur. Eſto luna in xv parte arietis: et iſtas xv ei tribue, et alias xv quae defuerant: ut ſiant xxx.

V. 731. PROXIMA TRICENAS PARTES SENTENTIA DUCIT. Locus mendoſiſſimus, qui et Scaligero et Huetio craſſas tenebras offudit. Vetuſti codices pro *partes* habent *pariter*; pro *ducit*, *ducunt*: Voſſianus vero *pariterque*. Repone igitur,

Proxima tricenas PARITERQUE SEQUENTIA DUCANT.

Proxima et item ſequentia ſigna triginta partes habeant, donec numerus exhauriatur.

V. 732. HIC UBI DEFICIET NUMERUS. Hic et ſequentes duo ſpurii ſunt et falſi, ut mox videbis.

V.

Sublimi totidem quia fulgent ſidera mundo.
Inde ſuas illi ſigno, quo luna refulſit,
Quaeque hinc deſuerant, partes numerare memento.
Proxima tricenas pariterque ſequentia ducunt.
Hic ubi deficiet numerus, tunc ſumma relicta
In binas ſortes adiecta parte locetur
Dimidiâ, reliquis tribuatur ut ordine ſignis.
In quo deſtituent, eius tum luna tenebit
Dodecatemorium ſigni. poſt cetera ducet
Ordine quaeque ſuo, ſicut ſtant aſtra locata.
Haec quoque te ratio ne fallat, perſpice paucis.

Maior

Vulg. v. 730. ET QUAE DEHINC FUERINT. 731. PARTES SENTENTIA DUCIT. 735. QUA——TE IUSTUM. 736. DUCES.

V. 735. IN QUA DESTITUENT TE, IUSTUM LUNA TENEBIT DODECATEMORIUM SIGNI. Vides, opinor, caeſuram pede tertio finiri, immodulate. Cur autem *iuſtum* dicitur dodecatemorium? cum ſi omnino eſt dodecatemorium, iuſtum ſit neceſſe eſt. Pro *deſtituent te*, Voſſianus *deſtituente*. Repone,

In QUO *deſtituent*, EIUS TUM *luna tenebit*
Dodecatemorium ſigni.

Luna tum tenebit dodecatemorium eius ſigni, in quo deſtituent partes ſive numeri.

V. 736. POST CETERA DUCES ORDINE QUAEQUE SUO. *Duces* a Scaligero eſt, qui in hoc dodecatemoriorum loco, ubi maxime ſuam operam iactat, maxime erravit. Libri omnes DUCET. *Poſtea*, inquit, *luna ducet cetera* dodecatemoria, pro ſtato ordine aſtrorum. Sic 717.

Cetera pro numero ducent *ex ordine ſortes.*

Vides iam antitheton, tum luna illius ſigni dodecatemorium tenebit, poſt ceterorum ſignorum, pro curſu lunae et ſignorum ordine.

CETERUM tota haec dodecatemoriorum doctrina facile percipietur ope diagrammatis; ſine eo difficillime. Tres olim methodi excogitatae ſunt, inveniendi in quovis ſigno dodecatemorii: quae omnes eodem recidunt et eodem perveniunt. Prima et ſimpliciſſima eſt, quam tradit auctor verſu 715 et deinceps:

Ipſa ſuo retinent primas in corpore partes
Sidera, vicinae ſubeuntibus attribuuntur.

Alia porro via eſt idem inveniendi; quam auctor docet a verſu 725.

Haec quoque comperta eſt ratio ſub nomine eodem:
Quacumque in parte.

Denique et tertia methodus ab arithmeticis excogitata eſt, quae eodem cum prioribus pervenit. Eſto luna in xiii parte arietis. Divide numerum xiii in partes dimidias: fient partes xxvi. Ex his da v dimidias arieti (quot nempe dimidiis ſingula dodecatemoria conſtant) v etiam tauro, v geminis, v cancro, v leoni. Iam dediſti xxv; et ex xxvi reſtat una: ergo et hac quoque methodo luna incidit in primam dodecatemorii virginis.

Tertiam hanc rationem Porphyrius tradit apud Scaligerum ad verſum 747: Manilius vero non attiugit, duabus prioribus contentus. Unde conſtat tres illos verſus a verſu 732 adulterinos eſſe. Nam et ſupervacui ſunt, et barbari, et falſi. *Hic ubi deficiet numerus* id ipſum quod verſu 735, *In quo deſtituent* partes ſive numeri. *Tum ſumma relicta locetur in binas ſortes, adiecta parte dimidia.* Quid eſt *locetur* in ſortes? Poſtremo illud, *reliquis tribuatur* (ſive ut libri veteres *tribuantur*) *in ordine ſignis*, caret omni ſenſu: *ſumma* enim relicta ſemper in uno ſigno abſumitur.

R V.

Maior in effectu, minor est: quod partibus ipsis
Dodecatemorii quid sit quod dicitur esse
Dodecatemorium. namque id per quinque notatur
Partes. nam totidem praefulgent sidera caelo,
Quae vaga dicuntur. ducunt et singula sortes
Dimidias, viresque in eis et iura capessunt.
In quocumque igitur stellae quandoque locatae
Dodecatemorio fuerint, spectare decebit.
Cuius enim stella in fines in sidere quoque
Inciderit, dabit effectus pro viribus eius.
Undique ducenda est ratio per quam omnia constant.
Verum haec posterius proprio cuncta ordine reddam.
Nunc satis est docuisse suos ignota per usus:
Ut cum perceptis steterit fiducia membris,
Hinc totum corpus facili ratione notetur,
Et bene de summa veniat post singula carmen.
Ut rudibus pueris monstratur litera primum,

Per

Vulg v. 747. STELLAE fines. 748. INCIDERINT——IN. 749. MISCENDA.

V. 747. CUIUS ENIM STELLAE FINES IN SIDERE QUOQUE INCIDERINT, DABIT EFFECTUS IN VIRIBUS EIUS. Oratio soloeca est. Libri veteres;

stellae in fine sint sidere quoque.

Repone,

Cuius enim STELLA IN *fines in sidere quoque*
INCIDERIT, *dabit effectus* PRO *viribus eius.*

Cuius enim dodecatemorii in fines stella inciderit, dabit illud effectus suos pro viribus eius stellae. *Inciderit in fines*; ut iii, 550.

si mensis in astrum
Laetius inciderit.

V. 749. UNDIQUE MISCENDA EST RATIO. Quid sit *miscere rationem* nescio, multo minus quid sit *undique miscere*. At Scaliger: *Usus*, inquit, *est proprio artis vocabulo.* Tu tamen repone,

Undique DUCENDA *est ratio, per quam omnia constant.* Infra ii, 768.
Per partes ducenda *fides.* et iii, 417.
Haec erit horarum ratio ducenda *per orbem.* iv, 915.
An minus est sacris rationem ducere *signis.*

V. 756. PER FACIEM NOMENQUE SUUM: TUM PONITUR USUS. *Tum ponitur* a Scaligero est. Libri omnes *componitur*. Versus est spurius: quis enim *usus ponitur*, cum simplices literae monstrantur? Post syllabas et verba, tum demum *usus traditur* et vires rerum, versu 759.

V. 757. TUNC CONIUNCTA SUIS FORMATUR SYLLABA NODIS. Cuinam alii rei *coniuncta* est syllaba? Repone,

†

Tunc

Per faciem nomenque ſuum : tum ponitur uſus,
Tunc et vincta ſuis formatur ſyllaba nodis.
Hinc verbi ſtructura venit per membra legendi.
Tunc rerum vires, atque artis traditur uſus,
Perque pedes proprios naſcentia carmina ſurgunt,
Singulaque in ſummam prodeſt didiciſſe priora.
Quae niſi conſtiterint primis fundata elementis,
Vel ſua praepropere dederint praecepta magiſtri,
Effluat in vanum rerum praepoſterus ordo.
Sic mihi per totum volitanti carmine mundum;
Obrutaque abſtruſa penitus caligine fata,
Pieridum numeris etiam modulata, canenti;
Quaque deus regnat revocanti numen ab arce;
Per partes ducenda fides, et ſingula rerum
Sunt gradibus tradenda ſuis: ut cum omnia certa
Notitia ſteterint, proprios revocentur ad uſus.
Ac velut in nudis cum ſurgunt montibus urbes;
Conditor,

Vulg. V. 757. CONIUNCTA. 758. VERBIS. 761. SUMMA. 763. VERSIS QUAE. 766. ERUTAQUE. 772. VELUTI——MOENIBUS.

Tunc ET VINCTA *ſuis formatur ſyllaba nodis.*

c̄ compendioſe eſt *con* : *ē et.*

V. 758. HINC VERBIS STRUCTURA VENIT PER MEMBRA LEGENDI. *Membra* a Scaligero eſt, et recte, ut opinor. Codices univerſi *per verba*. Sed quo pertinet gerundium illud *legendi?* an *ſtructura legendi*; an *membra* vel *verba legendi?* Utrumvis ridicule: Huetius corrigit *per verba legendo*. Repone,

Hinc VERBI *ſtructura venit per membra legendi.*

Verbi ſingulari numero, ut prius *litera, ſyllaba*. *Per membra*; hoc eſt, verbi per ſyllabas ſuas.

V. 761. SINGULAQUE IN SUMMA PRODEST. Immo legendum *in* SUMMAM. Prodeſt, proficit in ſummam.

V. 763. VERSIS, QUAE PROPERE DEDERINT PRAECEPTA MAGISTRI. Libri vetuſti, *verſaque quae propere*. Repone,

VEL SUA PRAEPROPERE *dederint praecepta magiſtri.*

V. 766. ERUTAQUE ABSTRUSA. *Eruta penitus*, alterum alteri repugnat. Repone,

OBRUTAQUE *abſtruſa penitus caligine fata.*

V. 768. QUAQUE DEUS REGNAT REVOCANTI NUMEN AB ARCE. Libri veteres:

Quoque *deus regnat revocanti numen* in arte.

V. 772. AC VELUTI NUDIS CUM SURGUNT MOENIBUS URBES. *Moenibus* a Scaligero eſt: omnino contra ſententiam. Quid enim eſt, *nudis moenibus?* et quomodo ſurgunt

 moenia,

Conditor, ut vacuos muris circumdare colles
Deſtinat, ante manu quam tentet ſcindere foſſas,
Verſat opus. ruit ecce nemus, ſaltuſque vetuſti
Procumbunt; ſolemque novum, nova ſidera cernunt:
Pellitur omne loco volucrum genus, omne ferarum;
Antiquaſque domos et nota cubilia linquunt.
Aſt alii ſilicem in muros, et marmora templis
Rimantur; ferrique rigor per tempora nota
Quaeritur: huc artes, huc omnis convenit uſus.
Tunc demum conſurgit opus, cum cuncta ſuperſunt;
Ne medios rumpat curſus praepoſtera cura.
Sic mihi cunctanti tantae ſuccedere moli
Materies primum rerum, ratione remota,
Tradenda eſt; ratio ſit ne poſt irrita, neve
Argumenta novis ſtupeant naſcentia rebus.
  Ergo age noſcendis animum compone ſagacem
Cardinibus, qui per mundum ſunt quattuor omnes
Diſpoſiti ſemper, mutantque volantia ſigna.
Unus ab exortu caeli naſcentis in orbem,
Qui primum terras aequali limite cernit.
Alter ab adverſa reſpondens aetheris ora,

Unde

Vulg. v. 773. ET. 775. VERTIT. 777. ATQUE.

moenia, prius quam opus deſtinatur? Lege ex libris omnibus,

Ac VELUT IN *nudis cum ſurgunt* MONTIBUS *urbes*.

Montibus nudis, ut verſu ſequente *vacuos colles*. Plerumque urbes in editis et montanis locis olim condebantur.

V. 773. CONDITOR ET VACUOS. Lege et diſtingue,

Conditor, UT *vacuos muris circumdare colles*
Deſtinat.

Ut deſtinat, ut primum deſtinat.

V. 775. VERTIT OPUS. Quid hoc eſt? *Vertit opus antequam tentet foſſas* ſcindere? Vertit, antequam vertat? Repone,

VERSAT *opus*; mente, animo, conſilio.

V. 777. PELLITUR OMNE LOCO VOLUCRUM GENUS, ATQUE FERARUM. Lege ποικιλοχωλέρως,

Pellitur omne loco volucrum genus, OMNE *ferarum*. ut iv, 86.

Quod

Unde fugit mundus, praecepſque in tartara tendit.
Tertius excelſi ſignat faſtigia caeli;
Quo defeſſus equis Phoebus ſubſiſtit anhelis,
Diſcernitque diem, mediamque examinat horam.
Ima tenet quartus fundato nobilis orbe;
In quo principium eſt reditus, finiſque cadendi
Sideribus; pariterque occaſus cernit et ortus.
Haec loca praecipuas vires, ſummoſque per artem
Fatorum effectus referunt: quod totus in illis
Nititur aeternis veluti compagibus orbis.
Quae niſi perpetuis alterna ſorte volantem
Curſibus excipiant, nectantque in vincula, bina
Per latera, atque imum templi ſummumque cacumen;
Diſſociata fluat reſoluto machina mundo.
  Sed diverſa tamen vis eſt in cardine quoque;
Et pro ſorte loci variant, atque ordine diſtant.
Primus erit, ſummi qui regnat culmine caeli,
Et medium tenui partitur limite mundum;
Quem capit excelſa ſublimem gloria ſede.
Scilicet haec tutela decet faſtigia ſumma,
Quicquid ut emineat ſibi vindicet, et decus omne
Afferat,

Vulg. v. 797. DECLINATQUE——MEDIASQUE——UMBRAS. 803. AETHEREIS.

Quod Decios non omne *tulit, non* omne *Camillos.*

V. 785. MATERIES PRIMUM, RERUM RATIONE REMOTA. Diſtingue:
Materies primum rerum, ratione remota.

V. 797. DECLINATQUE DIEM, MEDIASQUE EXAMINAT UMBRAS. Quomodo *declinat*, qui in ipſo faſtigio eſt? et quae ſunt mediae umbrae? Repone,
DISCERNITQUE *diem*, MEDIAMQUE *examinat* HORAM.

Ita i, 633 de circulo meridiano:
medium praecidit olympum,
Diſcernitque *diem, ſextamque examinat* horam.

V. 803. NITITUR AETHEREIS VELUTI COMPAGIBUS ORBIS. Quales ſunt *aethereae* compages? rarae, credo, et tenues, ac parum firmae. Repone,
Nititur AETERNIS *veluti compagibus orbis.*

V.

Afferat, et varios tribuendo regnet honores.
Hinc favor, et fpecies, atque omnis gratia vulgi:
Reddere iura foro, componere legibus urbem:
Foederibufque fuis externas iungere gentes:
Et pro forte fua cuiufque extollere nomen.
Proximus, eft ima quamquam ftatione locatus,
Suftinet aeternis nixum radicibus orbem:
Effectu minor in fpeciem, fed maior in ufum:
Fundamenta tenet rerum, cenfufque gubernat.
Quam rata fint foffis, fcrutatur, vota metallis;
Atque ex occulto quantum contingere poffit.
Tertius aequali pollens in parte, nitentem
Qui tenet exortum, qua primum fidera furgunt,
Unde dies redit, et tempus defcribit in horas:
Hinc inter Graias horofcopos editur urbes:

Nec

Vulg. v. 817. ORBEM. 820. AST. 821. ALTERIUS. 822. SPECIE—USU. 826. AEQUE ILLI.

V. 817. COMPONERE LEGIBUS ORBEM. Hoc nimium eft, totum *orbem*: fatis eft, fi URBEM componat.

V. 820. PROXIMUS AST, IMA QUAMQUAM STATIONE LOCATUS. *Aft* a Scaligero venit: fatis inconcinne. Libri omnes, *eft*. Recte, fi recte diftinguas;
Proximus, EST *ima quamquam ftatione locatus.*

V. 821. SUSTINET ALTERNIS NIXUM RADICIBUS ORBEM. Quomodo *unus* et idem cardo *alternis* radicibus? iterum repone,
Suftinet AETERNIS *nixum radicibus orbem.*

V. 822. EFFECTU MINOR IN SPECIE, SED MAIOR IN USU. Repone,
Effectu minor in SPECIEM, *fed maior in* USUM. ut v, 152.
nec in ufum *tegmina plantis,*
Sed fpeciem.

V. 824. QUAM RATA SINT FOSSIS, SCRUTATUR VOTA METALLIS; ATQUE EX OCCULTO QUANTUM CONTINGERE POSSIT. Libri habent *fcrutantur*, et *contingere poffis.* Verfus irreptitii et barbari.

V. 826. TERTIUS AEQUE ILLI POLLENS IN PARTE. Libri omnes, *Tertius atque illi*: unde Scaliger fingebat, *aeque illi pollens*; hoc eft, aequipollens illi. Quorfum igitur pertinebit, *in parte?* Repone,
Tertius AEQUALI *pollens in parte.*
Aequali parte; quia cardines orbem dividunt in quattuor partes aequales. Sic ii, 232, ubi libri habent, *atque illi degere*, recte a Scaligero emendatum eft, *aequali foedere.*

V. 831. HIC TENET ARBITRIUM VITAE, ATQUE HIC REGULA MORUM EST. A codicibus vetuftis abeft *atque.* Repone,
Hic tenet arbitrium VITAÏ, *hic regula morum eft.*

ut

Nec capit externum, proprio quia nomine gaudet.
Hic tenet arbitrium vitaï, hic regula morum eſt:
Fortunamque dabit rebus, ducetque per artes:
Qualiaque excipiant naſcentes tempora prima,
Quos capiant cultus, quali ſint ſede creati,
Utcumque admixtis ſubſcribent viribus aſtra.
Ultimus, emenſo qui condit ſidera mundo,
Occaſumque tenens ſubmerſum deſpicit orbem;
Pertinet ad rerum ſummas, finemque laborum,
Coniugia atque epulas, extremaque tempora vitae,
Otiaque, et coetus hominum, cultuſque deorum.
  Nec contentus eris percepto cardine quoquam.
Intervalla etiam memori ſunt mente notanda,
Per quadrum dimenſa, ſuas reddentia vires.
Quicquid ab exortu ſummum curvatur in orbem,

Aetatem

Vulg. v. 831. VITAE ATQUE. 837. RESPICIT. 839. CONIUNGITQUE. 843. MAIUS.

ut Virgilius, *auraï ſimplicis ignem*: et Lucretius, *vitaï lampada tradunt*; et ſaepe alias.

V. 835. UTCUMQUE ADMIXTIS. Doctiſſimus Huetius, *Legendum*, ait, utrimque, *aſtipulantibus libris veteribus*. Immo recentiores tantum *utrimque*; vetuſtus quiſque *utcumque*: quod et ſententia poſtulat. *Utcumque ſubſcribent*, prout bene vel male ſubſcribent. Sic iii, 119.

Atque, utcumque *regunt dominantia ſidera*, *paret*. et iii, 128.
Si male ſubſcribunt *ſtellae per ſigna locatae*.

V. 837. SUBMERSUM RESPICIT ORBEM. Immo ut libri omnes DESPICIT; ſic Virgil. Aen. i. 228. *cum Iuppiter aethere ſummo*
Deſpiciens *mare velivolum terraſque iacentes*.

V. 839. CONIUNGITQUE EPULAS. Quid eſt *coniungere epulas*? quid reliqua? quid *coniungere cultus deorum*? Codex Voſſianus: *ciungiatque atque epulas*: hoc erat,

CONIUGIA ATQUE *epulas, extremaque tempora vitae*.

Miror hoc Scaligerum non animadvertiſſe; cum ex Paulo Alexandrino notaverit, hunc cardinem dici γαμοστόλον, ſive nuptias apparantem.

V. 843. PER MAIUS DIMENSA. Si interroges, quo ſenſu accipiant *per maius*, nihil reſpondebunt. Repone,

Per QUADRUM *dimenſa, ſuas reddentia vires*.

hoc eſt, per quattuor partes aequales; ut ſupra ii, 322.

Quod cum totius numeri qui conſtruit orbem,
Nongentae quadrum *partes per ſidera reddant*.

Quadrum ſive pars quarta numeri ccclx eſt xc.

V.

Aetatem primam nascentesque asserit annos.
Quod summo premitur devexum culmine mundi,
Donec ad occasus veniat; puerilibus annis
Succedit, teneramque regit sub sede iuventam.
Quae pars occasus infra est, imumque sub orbem
Descendit; regit haec maturae tempora vitae,
Perpetua serie varioque exercita cursu.
At qua perficitur cursus quadrante sub imo,
Tarda supinatum lassatis viribus arcum
Ascendens; seros demum complectitur annos,
Labentemque diem vitae, tremulamque senectam.
Omne quidem signum sub qualicumque figura
Partibus inficitur mundi: locus imperat astris,

Et

Vulg. v. 845. AETATIS PRIMAE. 848. GERIT. 849. INTER. 851. ET PROPRIA. 852. REDEUNTE. 855. LABENTESQUE DIES.

V. 845. AETATIS PRIMAE NASCENTISQUE ASSERIT ANNOS. Hoc est, primae nascentisque aetatis. Non admodum belle. *Nascentis* quidem et codices habent; sed more solemni pro accusativo plurali. Repone,

AETATEM PRIMAM *nascentesque asserit annos.*

V. 848. TENERAMQUE GERIT SUB SEDE IUVENTAM. Libri omnes *regit.* Hoc tamen mendum in utraque Scaligeri editione haesit.

V. 849. QUAE PARS OCCASUS INTER, IMUMQUE SUB ORBEM DESCENDIT. Quid est *inter occasus?* In margine libri Gemblacensis notatur locus ut mendosus. Quid si sic locum refingas,

Quae pars occasus INFRA EST, *imumque sub orbem*
Descendit. ut Noster ii, 502.
atque animo complexa est scorpion infra.

V. 851. ET PROPRIA SERIE VARIOQUE EXERCITA CURSU. Nec coniunctio *et* locum hic habet; nec *propria serie* quid sit, quisquam explicaverit. Repone,

PERPETUA *serie varioque exercita cursu.*

Perpetua laborum serie: ut supra 804.
perpetuis——*volantem Cursibus.*

V. 852. AT QUA PERFICITUR CURSUS REDEUNTE SUB IMO. Quid vero est, *sub imo redeunte?* Repone,

At qua perficitur cursus QUADRANTE *sub imo.*

ut supra 843, *Per quadrum dimensa.* Nempe cardines caelum dimetiuntur per quattuor quadrantes.

V. 855. LABENTESQUE DIES VITAE. Elegantius vetusti codices;

LABENTEMQUE DIEM *vitae tremulamque senectam.*

nempe vita hominum uni diei comparatur; cuius pars postrema quasi senecta est. Virgilius Aen. xi, 913.

Ni roseos fessus iam gurgite Phoebus Ibero
Tinguat equos, noctemque die labente *reducat.*

V. 858. ET DOTES NOXAMQUE FACIT. Non idem locus utrumque facit. Repone igitur,

Et dotes NOXAMVE *facit.*

V.

Et dotes noxamve facit. vertuntur in orbem
Singula, et accipiunt vires ultroque remittunt.
Vincit enim natura genus, legesque ministrat
Finibus in propriis, et praetereuntia cogit
Esse sui moris, vario nunc ditia honore,
Nunc sterilis poenam referentia sidera sedis.
Quae super exortum est a summo tertia caelo,
Infelix regio, rebusque inimica futuris,
Et vitio fecunda nimis: nec sola sed illi
Par erit, adverso quae fulget sidere sedes.
Iuncta sub occasu, neu praestet cardine mundi,
Utraque praetenta fertur deiecta ruina:
Porta laboris erit; scandendum est, atque cadendum.

Nec

Vulg. v. 858. NOXAMQUE. 859. CAELOQUE. 862. DIVES. 863. POENAMQUE FERENTIA——SAECLIS. 869. UT QUAE PRAETERITA.

V. 859. ET ACCIPIUNT VIRES, CAELOQUE REMITTUNT. Ignare dictum *caeloque*. Vossianus *cardoque*. Repone,

Singula, et accipiunt vires ULTROQUE *remittunt.*

ut iv, 505.

Accipiunt proprias vires ultroque remittunt.

V. 862. VARIO NUNC DIVES HONORE, NUNC STERILIS, POENAMQUE FERENTIA SIDERA SAECLIS. *Actum erat*, ait Scaliger, *de hoc loco absque ope Gemblacensis, qui habet* seclis. Immo actum erit, si *saeclis* legamus; et miror tam ineptam sententiam, tam barbaram orationem tanto ingenio placere potuisse. *Sedis* habent tres reliqui vetusti: ut versu 848.

teneramque regit sub sede *inventam.*

et 867. *adverso quae fulget sidere* sedes.

et 874. *Typhonis habentur Horrendi* sedes.

Corrige totum locum:

et praetereuntia cogit
Esse sui moris, vario nunc DITIA *honore,*
Nunc sterilis poenam REFERENTIA *sidera* SEDIS.

Natura, inquit, *sedis vincit genus, et cogit praetereuntia sidera sui moris esse*, sive sibi obtemperare, et ex se effectum sumere, nunc *ditia, nunc referentia poenam sterilis sedis*; sive nunc ditia et honorata, nunc egena et mendica. *Ditia*; ut iv, 755.

Et molles Arabas, silvarum ditia *regna.*

Referentia; ut Noster ii, 249.

Vel quae fessa sedent pigras referentia *mentes.*

Et alibi.

V. 868. IUNCTA SUB OCCASU, NEU PRAESTET CARDINE MUNDI. Sic et libri: sed versus spurius est, insulsus et barbarus.

V. 869. UT QUAE PRAETERITA FERTUR DEIECTA RUINA. *Ut quae* a Scaligero est; quo nomine doctissimo Huetio poenas dedit. Ipse tamen Huetius patienter admisit *praeterita*. Quo quaeso sensu? nam si ruina *praeterita est*, quid restat metuendum, quo *feratur deiecta?* Quid, quod si *scandendum* sit, non iam praeteriit ruina, sed imminet. Recte libri veteres,

UTRAQUE PRAETENTA *fertur deiecta ruina.*

S Utraque

Nec melior super occasus, contraque sub ortu
Sors agitur mundi. praeceps haec, illa superne
Pendens, aut metuit vicino cardine finem,
Aut fraudata cadet. merito Typhonis habentur
Horrendi sedes, quem tellus saeva profudit
Cum bellum caelo peperit: vix matre minores
Extiterunt partus; sed fulmine rursus in alvum
Compulsi, montesque super rediere cadentes;
Cessit et in tumulum belli vitaeque Typhoeus.
Ipsa tremit mater flagrantem monte sub Aetnae.
At, quae fulgentis sequitur fastigia caeli,
Proxima vix ipsi cedat cui iungitur astro;
Spe melior, palmamque petens, victrixque priorum
Altius insurgit, summae comes addita fini:

In

Vulg. v. 871. OCCASUM. 875. HORRENDAE. 876. NEC. 877. ALTUM. 879. TYPHOEO. 881. FULGENTI——CAELO. 882. NEVE——QUI FUNGITUR.

Utraque deiecta, demissa, humilis, tristis, *fertur*, *praetenta* et obversante oculis *ruina*: huic ne scandendo cadat, illi ne cadendo praeceps ruat.

V. 871. NEC MELIOR SUPER OCCASUM. Libri veteres *super* OCCASUS.

V. 875. MERITO TYPHONIS HABENTUR HORRENDAE SEDES. Repone, HORRENDI: ut ad Typhona referatur, non ad sedes.

V. 876. NEC MATRE MINORES EXTITERUNT PARTUS. Hoc vero omnem fidem excedit, ut partus aequales sint matri. Demes de hyperbolae tumore; si legeris,

VIX *matre minores.*

V. 877. SED FULMINE RURSUS IN ALTUM COMPULSI. Quodnam in *altum*? Repone, *sed fulmine rursus in* ALVUM *Compulsi.*

In alvum matris. *Profudit* habuimus, et *peperit*, et *partus*. Et certe si *montes* super eos rediere; necessario in matris alvum compulsi erant. Et sic iii, 6.

Fulminis et flamma partus in matre *sepultos.*

In matre, hoc est, in matris alvo.

V. 879. CESSIT ET IN TUMULUM BELLI VITAEQUE TYPHOEO. Codices omnes TYPHOEUS; quod interpolavit Scaliger. Placet librorum lectio. ut iii, 25.

In populi unius leges ut cesserit orbis.

Tumulus belli vitaeque, audax quidem figura; sed *sepultum bellum*, et *vitam sepultam* dixerunt alii.

V. 881. AT QUAE FULGENTI SEQUITUR FASTIGIA CAELO PROXIMA. Quae constructio, quive sensus? *fastigia proxima caelo?* certe fastigia non proxima sunt, sed summa. Libri omnes, *Atque refulgentis.* Repone igitur,

At quae FULGENTIS *sequitur fastigia* CAELI. *Proxima*, femininum singulare.

V. 882. NEVE IPSI CEDAT QUI FUNGITUR ASTRO. Pro *neve* codex Vossianus *non*. Lege tamen,

VIX *ipsi cedat* CUI IUNGITUR *astro.*

vix

In peiusque manent cursus, nec vota supersunt.
Quocirca minime est mirum, si proxima summae
Atque eadem interior, fortunae sorte dicatur,
Cui titulus forti: censum sic proxima Graiae
Nostra subit linguae, vertitque a nomine nomen.
Iuppiter hac habitat: fortunae crede regenti.
Huic in perversum similis deiecta sub orbe,
Imaque submersi contingens culmina mundi,
Adversa quae parte nitet; defessa peracta
Militia, rursusque novo devota labori,
Cardinis et subitura iugum sortemque potentem,
Nondum sentit onus mundi, iam sperat honorem.
Daemonien memorant Graii: Romana per ora
Quaeritur in versu titulus. tu corde sagaci

Conde

Vulg. v. 885. IMPERIIS. 886. SUMMO. 887. VENERANDA. 888. FELIX——SI. 890. HOC. 892. FULMINA. 898. INVERSO——SUB.

vix summo fastigio cedat. Etiam Huetius *cui iungitur*.

V. 885. IMPERIISQUE MANENT CURSUS. Libri omnes; IN PEIUSQUE *manent cursus:* recte. Mutavit Scaliger, eo nomine ab Huetio castigatus.

V. 886. SI PROXIMA SUMMO. Lege SUMMAE; id est, sedi, fini, domui.

V. 887. VENERANDA SORTE DICATUR, CUI TITULUS FELIX. *Dicatur*, hic est dedicatur, consecratur. Cuinam igitur *dicatur?* nemini. At Graecis dicitur Ἀγαθὴ τύχη. Repone ergo,

si proxima summae
Atque eadem interior, FORTUNAE *sorte dicatur,*
Cui titulus FORTI: *censum* SIC *proxima Graiae*
Nostra subit linguae, vertitque a nomine nomen.

Nempe quod Graecis Ἀγαθὴ τύχη, id Latinis *fors fortuna*. Mox sequitur, 890,

fortunae crede regenti.

Prius igitur dixerat, *fortunae* hanc dicatam esse. Ovid. Fast. vi, 773.

Quam cito fortunae *venerunt* fortis *honores?*
et, *Ite deam, laeti,* fortem *celebrate, Quirites.*

V. 890. IUPPITER HOC HABITAT. Immo HAC *habitat*.

892. IMAQUE SUBMERSI CONTINGENS FULMINA MUNDI. Codices quidem *fulmina*; quod interpretatur Scaliger *fulmenta*; ut momina, momenta. Nihil quicquam potuit vel doctius vel absurdius. Repone CULMINA, ut et ipse in priore editione coniecerat. Submersus quoque mundus suum habet culmen, aeque ac noster: quia *supraque videtur Ipse sibi.* Ita supra ii, 806.

Per latera, atque imum *templi summumque* cacumen.

V. 898. ROMANA PER ORA QUAERITUR INVERSO TITULUS. Vetusti quattuor,

Quaeritur IN VERSU *titulus.*

Recte. *Daemonie* latino quidem vocabulo exprimi

Conde locum, numenque dei nomenque potentis.
Quae tibi posterius magnos revocentur ad usus.
Hic momenta manent nostrae plerumque salutis,
Bellaque morborum caecis pugnantia telis,
Viribus ambigua in geminis casusque deique,
Nunc huc nunc illuc sortem mutantis utramque.
Sed medium post articulum, curvataque primum
Culmina nutantis summo de vertice mundi,
Degere Phoebus amat: sub quo quoque corpora nostra

Dotes

Vulg. v. 900. REVOCANTUR. 903. AMBIGUUM——CAUSAQUE DIEI. 905. MEDII post ASTRA DIE. 907. AETHERA.

primi potest, sed non tali quod *in versu* stet hexametro. Ita Critias in elegia, quia Ἀλκιβιάδης in elego stare nequiit, iambeum eius vice posuit:

Καὶ νῦν Κλεινίου υἱὸν Ἀθηναῖον στεφανώσω
Ἀλκιβιάδην, νέοισιν ὑμνήσας τρόποις.
Οὐ γάρ πως ἦν τοὔνομ' ἐφαρμόζειν ἐλεγείῳ·
Νῦν δ' ἐν ἰαμβείῳ κείσεται οὐκ ἀμέτρως.

Mox eodem versu, pro *sub corde sagaci*, lege, TU *corde sagaci*. *Conde corde*; ut iii, 46.

vigilanti condita sensu.

V. 900. MAGNOS REVOCANTUR AD USUS. Repone,

magnos REVOCENTUR *ad usus.*

ut supra, ii, 771. *proprios revocentur ad usus.* nam et ibi vetusti quattuor, *revocantur*.

V. 903. VIRIBUS AMBIGUUM GEMINIS CAUSAQUE DIEI. Quid sit *causaque diei*, nemo intelligat: et frustra se torquent viri summi Scaliger et Huetius: hic etiam insignem versuum traiectionem causatur. Pro *causaque diei*, Gemblacensis, Lipsiensis et Vossianus *causasque deique*; Venetus *causasque diesque*. Idem Venetus, *ambiguam*. Repono,

Viribus AMBIGUA IN *geminis* CASUSQUE DEIQUE.

Momenta salutis, bella morborum, ambigua in geminis viribus et casus et dei qui versu 899 huic sedi praesidet, quique *utramque sortem* et salutis et morborum huc illuc mutat. Sic Macareus Ulixei comes, Ovid. Met. xiv, 162.

Noscit Achaemeniden; improvisoque repertum
Vivere miratus, Qui te casusve deusve
Servat, Achaemenide?

905. SED MEDII POST ASTRA DIE, CURVATAQUE PRIMUM CULMINA NUTANTIS SUMMO DE VERTICE MUNDI, AETHERA PHOEBUS AMAT. Locus mendosissimus: *post astra*; vel, ut ille tentabat, *post castra*; suspectum Scaligero est: item illud *aethera*, quod timide tamen mutabat in *atria*. Haec vero iure suspecta sunt; nihil enim sani intus habent. Libri omnes; *Sed medium post astra diem.* Hinc repono,

Sed MEDIUM *post* ARTICULUM *curvataque primum*
Culmina nutantis summo de vertice mundi
DEGERE *Phoebus amat.*

Phoebus amat degere: quippe haec est *domus solis*. Ita supra ii, 890.

Iuppiter hac habitat.

Post medium articulum; id est, post ipsum cardinem. *Articuli* sunt quattuor cardines; ut supra ii, 430. aries et libra,

mediis *hiemem inter et aestum*
Articulis. et 656.
Quattuor aequali caelum discrimine signant,
In quibus articulos *anni deus ipse creavit.*

iv, 164.

Cancer ad ardentem fulgens in cardine *metam*
Articulum mundi *retinet, lucesque reflectit.*

V. 908. SUB QUO QUOQUE CORPORA NOSTRA DECERNUNT VITIA, ET FORTUNAM.

Dotes et vitia et fortunam ex viribus eius
Concipiunt. deus ille locus ſub nomine Graio
Dicitur. huic adverſa nitens, quae prima reſurgit
Sedibus ex imis iterumque reducit olympum,
Pars mundi furvumque nitet, morteſque gubernat;
Et dominam agnoſcit Phoeben, fraterna videntem
Terga, per adverſas caeli fulgentia partes.
Fataque damnoſis imitantem finibus oris.
Huic parti dea nomen erit Romana per ora:

Graecia

Vulg. v. 908. DECERNUNT. 911. iterum reducit. 912. FULVUMQUE—NOCTEMQUE. 914. REGNA.

TUNAM EX VIRIBUS EIUS CONCIPIUNT. *Decernere vitia*, abſurdum et ſenſu nullo eſt. Scaliger in priore editione, *decernunt vitam*: in ſecunda locum intactum reliquit, profeſſus ſe nullam opem adferre poſſe. Huetius, *decerpunt vitia*. Sed illud fidem excedit, ex domo ſolis, qui fons vitae et ſalutis eſt, nihil niſi *vitia* contrahi. Quid literas et apices captamus, de ſententia ipſa ſecuri? Illud primum animadverti, *vitia* ad *concipiunt* referendum eſſe; quo agnito, nullus τῷ *decernunt* relictus erat locus. Repono tibi veram lectionem,

ſub quo quoque corpora noſtra
DOTES ET *vitia et fortunam ex viribus eius* CONCIPIUNT.

Dotes et *vitia* corporis inter ſe opponuntur. Suetonius in Tito iii *In puero ſtatim corporis animique* dotes *exſplenduerunt*. Noſter ſupra ii, 858. *locus imperat aſtris,*
Et dotes noxamve *facit.*

V. 911. ITERUM REDUCIT OLYMPUM. Lege, ut codices recentiores habent,
ITERUMQUE *reducit olympum.*
Hoc poſtulat ipſa conſtructio.

V. 912. FULVUMQUE NITET, NOCTEMQUE GUBERNAT. Quomodo ſodes *noctem* gubernat haec ſedes? Nox non omnino dependet ab his xii locis. *Gemblacenſis*, inquit Scaliger, *mendoſe*, mortiſque gubernat. Atqui hoc mendoſum mox prope aberit a vero. Non Gemblacenſis modo, ſed et Lipſienſis et Venetus, *mortiſque*; hoc eſt, more veteri, *morteſque*; Voſſianus *mortemque*. Repone,
FURVUMQUE *nitet*, MORTESQUE *gubernat.*
Mortes, non *noctem*; fata enim fortunaſque *hominum*, non *temporum* vices, hae ſedes regunt. Ut una ii, 848.
teneramque regit ſub ſede iuventam:
alia 850. *regit haec maturae tempora vitae:*
alia 854. *ſeros demum complectitur annos.*
ita haec *mortes* gubernat. Porro etiam *furvum nitet*, reponimus pro *fulvum*. Haec enim ſedes *ab imis ſedibus prima reſurgit*; et Dianae ſeu Hecatae et Proſerpinae dicata eſt. *Nitet* igitur aliquantulum, ſed *furvum* et ſubobſcurum. Horat. Carm. ii, xiii, 21.
Quam paene furvae *regna Proſerpinae,*
Et indicantem vidimus Aeacum.
De vocabulo *furvus*, ut ſaepe immutatum ſit in *fulvus* et *fuſcus*, vide praeter alios Nic. Heinſium ad Ovid. Met. iii, 272.

V. 914. FRATERNA VIDENTEM REGNA, PER ADVERSAS CAELI FULGENTIA PARTES, FATAQUE DAMNOSIS IMITANTEM FINIBUS ORIS. *Finibus oris*, libri omnes cum Scaligero; editiones priſcae *orbis*. Nihil intereſt. Alter enim horum verſuum mendoſus, alter ſpurius. Repone,
fraterna videntem
TERGA, *per adverſas caeli fulgentia partes.*
Terga, inquam, non *regna*. Nec enim regna ſolis lucent; et ſol, ex doctrina etiam auctoris, ubique regnat; die in noſtro hemiſphaerio,

nocte

Graecia voce ſua titulum deſignat eundem.
Arce ſed in caeli, qua ſumma acclivia finem
Inveniunt, qua principium declivia ſumunt,
Culminaque inſurgunt occaſus inter et ortus,
Suſpenduntque ſuo libratum examine mundum;
Aſſerit hanc Cytherea ſibi per ſidera ſedem,
Et velut in facie mundi ſua collocat ora,
Per quae humana regit. propria eſt haec reddita parti
Vis, ut connubia et thalamos tedaſque gubernet.
Haec tutela decet Venerem, ſua tela movere.
Nomen erit fortuna loco; quod percipe mente,
Ut brevia in longo compendia carmine praeſtem.
At qua ſubſidit converſo cardine mundus
Fundamenta tenens, adverſum et ſuſpicit orbem,
Ac media ſub nocte iacet; Saturnus in illa
Parte ſuas agitat vires, deiectus et ipſe
Imperio quondam mundi ſolioque deorum;
Et pater in patrios exercet numina caſus,
Fortunamque ſenum. prima eſt tutela duorum,
Naſcentum

Vulg. v. 923. VELUTI FACIEM. 925. AC.

nocte infra horizontem. *Terga*, ut mox ii, 950, de domo in occaſu,

Tergaque *proſpectat* Phoebi, *qui viderat ora*.

Secundus, ut dixi, a mala manu eſt. Quid enim eſt *imitantem fata?* quid *damnoſis finibus*, ſeu *oris* ſive *orbis?* nullus his ineſt ſenſus; ſi verba ipſa reſpicias, non barbari mentem interpolatoris; qui hunc verſum finxit ex iii, 197.

Conſule tum Phoeben imitantem lumina fratris.

quaſi non aliud eſſet *imitari lumina*; aliud et prorſus abſurdum, *imitari fata*.

V. 923. ET VELUTI FACIEM MUNDI SUA COLLOCAT ORA. Huetius corrigit, *Et velut in faciem*. Immo repone,

Et VELUT IN FACIE *mundi ſua collocat ora*.

V. 925. AC THALAMOS. Libri omnes ET *thalamos*.

V. 940. RESPICE, QUA SOLIDO NASCENTIA SIGNA RECURSU. Sic libri omnes: ſed reponendum,

Reſpice, qua SOLITOS *naſcentia ſigna* RECURSUS
Incipiunt.

V. 943. TE TUA TEMPLA FERUNT. Libri veteres recte,

HAEC *tua templa*.

V. 944. O FACIES SIGNATA NOTA. Hi duo

Naſcentum atque patrum, quae tali condita parte eſt.
Aſper, et attentus, titulum cui Graecia fecit
Daemonium, ſignatque ſuas pro nomine vires.
Nunc age ſurgentem primo de cardine mundum
Reſpice, qua ſolitos naſcentia ſigna recurſus
Incipiunt; udus gelidis ut Phoebus ab undis
Enatat, et fulvo paulatim accenditur igne:
Haec tua templa ferunt, Maia Cyllenie nate,
O facies ſignata nota. quod nomen et ipſi
Auctores tibi dant artis, quae ducit Olympum:
In quîs fortunam natorum condidit omnem
Natura, eque illis ſuſpendit vota parentum.
Unus in occaſu locus eſt ſuper: ille ruentem
Praecipitat mundum, tenebris et ſidera mergit,
Tergaque proſpectat Phoebi, qui viderat ora.
Ne mirere, nigri ſi Ditis ianua fertur,
Et finem vitae retinet, mortique dicatur.
Hic etiam ipſe dies moritur, terraſque per orbem
Subripit, et noctis caelum ſub carcere claudit.

Nec

Vulg. v. 940. SOLIDO——RECURSU. 943. TE. 946. QUA. 947. ILLA. 949. TERRIS—MERSAT. 952. LOCATUR. 953. HINC——TERRAEQUE. 954. CAPTUM.

duo ſpurii ſunt, et prorſus inexplicabiles. Quae enim *facies?* quae *nota?* quod *nomen?* Caute igitur Scaliger et Huetius ſilentio rem diſſimulabant.

V. 946. IN QUA FORTUNAM. Lege *In* QUÎS, templis ſcilicet. Et verſu 947, pro *illa* lege ILLIS.

V. 949. ILLE RUENTEM PRAECIPITAT MUNDUM TERRIS ET SIDERA MERSAT. Itane vero? praecipitat mundum *terris?*

Quid ſi redeo ad illos qui aiunt, *Quid ſi nunc caelum ruat?* Libri veteres *merſit.* Repone, *ille ruentem*
Praecipitat mundum, TENEBRIS *et ſidera* MERGIT.

Sic i, 222. *Merſa nigris umbris.* et Virgil. Aen. vi, 267. *caligine merſas.* et Noſter iv, 388. *in magna* mergis *caligine mentem.*

V. 952. ET FINEM VITAE RETINET, MORTIQUE LOCATUR. Illa verba *mortique locatur* a noſtris libris abſunt: in quibus lacuna hic viſitur. Reponendum erat,
Et finem vitae retinet, mortique DICATUR.
ut iii, 120.
Quintus coniugio gradus eſt per ſigna dicatus.
et ſaepe alias.

V. 953. HINC ETIAM IPSE DIES MORITUR, TERRAEQUE PER ORBEM SUBRIPIT, ET NOCTIS CAPTUM SUB CARCERE CLAUDIT. *Terraeque* a Scaligero eſt; *Surripit,*

Necnon et fidei tutelam vindicat ipſam,
Pectoris et pondus. tanta eſt in ſede poteſtas,
Quae vocat et condit Phoebum, recipitque refertque,
Continuatque diem. tali ſub ſorte notandae
Templorum tibi ſunt vires, quae pervolat omnis
Aſtrorum ſeries, ducitque et commodat illis
Ipſa ſuas leges; ſtellaeque ex ordine certo,
Ut natura ſinit, luſtrant; variaſque locorum
Efficiunt vires; utcumque aliena capeſſunt
Regna, et in externis ſubſidunt hoſpita caſtris.
Haec mihi ſub certa ſtellarum parte canentur.
Nunc ſatis eſt caeli partes tituloſque notaſſe,

Efficiunt

Vulg. v. 958. CONSUMITQUE——SORTE. 959. QUAS. 961. IPSE.

ripit, inquit, *diem per terrae orbem et tumorem.* Quid vero illud erit, *dies ſurripit diem?* Libri omnes, *terraſque.* Repone,

HIC *etiam ipſe dies moritur*, TERRASQUE *per orbem*
Subripit, et noctis CAELUM *ſub carcere claudit.*

Dies morte ſua *ſubripit terras* per totum orbem: ſubripit, eo quod amplius conſpici nequeunt, et ſimiliter *caelum* claudit. Virgilius Aen. i, 92.

Eripiunt *ſubito nubes* caelumque *diemque.*

V. 958. QUAE VOCAT ET CONDIT PHOEBUM, RECIPITQUE REFERTQUE, CONSUMITQUE DIEM. *Itane*, inquit Scaliger, *occaſus refert Phoebum? certe ortus refert. Aliud agebat auctor, cum haec caneret: haec non probantur nobis.* Silet hic Huetius, alias ſemper paratus ad Scaligerum caſtigandum. Nos poëtae laboranti ſic ſuccurrimus. Libri omnes, *conſumatque diem.* Repono,

Quae vocat et condit Phoebum, recipitque refertque,
CONTINUATQUE *diem.*

Sedes haec, in noſtro occaſu ſita, *vocat* ſolem et *condit* diverſo reſpectu; *condit* ſub noſtro horizonte, *vocat* ad horizontem contrarium, cui tunc ſol exoritur; *recipit* ſolem a nobis, *refert* ad illos: et *continuat* diem, qui a nobis ad illos ſine intermiſſione tranſit.

V. 958. TALI SUB LEGE NOTANDAE. Gemblacenſis *ſub nocte*, et Lipſienſis in textu *lege*, ſed inter lineas *nocte*. Dederat auctor,

tali ſub SORTE *notandae.*

Sic i, 108.

Quaſque vices agerent, certa ſub ſorte notavit.

V. 959. QUAS PERVOLAT OMNIS ASTRORUM SERIES. Lege, QUAE *pervolat. Quae* templa, non *quas* vires.

V. 961. IPSE SUAS LEGES. *Ipſe* nihil habet, quo referri poſſit. Gemblacenſis, Voſſianus, Venetus IPSA: *ipſa ſeries aſtrorum.*

V. 969. OCTO TOPOS: PER QUOS STELLAE DIVERSA VOLENTES QUOS REDDENT MOTUS. *Volentes* Scaligeri eſt. Libri omnes *volantes*, et *reddant.* Repone,

per quos ſtellae IN *diverſa* VOLANTES
Quos REDDANT *motus.*

In

Effectuſque loci per ſe cuiuſque, deoſque,
Cui parti nomen poſuit, qui condidit artem,
Octo topos; per quos ſtellae in diverſa volantes
Quos reddant motus, proprio venit ordine rerum.

M.

Vulg. v. 969. ſtellae diverſa VOLENTES. 970. REDDENT.

In diverſa volantes: ut Noſter i, 207. *In convexa volans.*

Octo, poſteriore brevi: ut Martialis ix, 31. Octo *vides patulo pendere numiſmata roſtro.*

T

M. MANILII

ASTRONOMICÔN

LIBER TERTIUS.

IN nova ſurgentem, maioraque viribus auſum,
Nec per inacceſſos metuentem vadere ſaltus
Ducite Pierides: veſtros extendere fines
Conor, et inriguos in gramina ducere fontes.
Non ego in excidium caeli naſcentia bella,
Fulminis et flamma partus in matre ſepultos;
Non coniuratos reges, Troiaque cadente

Hectora

Vulg. v. 4. CARMINA——CANTUS. 6. FLAMMAS PARTUSQUE.

V. 4. ET INRIGUOS IN CARMINA DUCERE CANTUS. Bene ſit Gemblacenſi, qui ſolus habet *inrignos*; ceteri *dignos*, *indignos*, *indictos*. Sed quid eſt *ducere cantus in carmina?* Repone,

et inriguos in GRAMINA *ducere* FONTES.

Virgilius Georg. iv, 32.

inriguumque *bibant violaria* fontem.

ſed etiam *carmina* bene habet: ut Noſter ii, 8. de Homero, *cuiuſque ex ore profuſos*
Omnis poſteritas latices in carmina *duxit*.

V. 6. FULMINIS ET FLAMMAS, PARTUSQUE IN MATRE SEPULTOS. Abeſt *que* a libris veteribus. Repone igitur,

Fulminis et FLAMMA PARTUS *in matre ſepultos*.

et de gigantibus accipe; non, ut maluit Scaliger, de Baccho et Semele. Non enim ſepultus eſt Bacchus, ſed pereunte matre ſervatus.

V. 7. NON CONIURATOS REGES, TROIAQUE CADENTE HECTORA VENALEM CINERI. Egregiam hic opem tulit codex Voſſianus, qui verſum hunc loco ſeptimo habet: cum ceteri omnes poſt 37 ponant, et mendoſum inſuper,

Non ad iuratos reges Troiaque cadentes.

V. 15. SEPTENOSQUE DUCES. Lege, *Septenoſ*VE *duces*. Negat enim ſe *ullum* ex his argumentis tractare velle; non *omnia*: quod non unius eſt hominis; et negare inſulſi eſſet.

V. 16. ET VICTAM, QUAE VICERAT, URBEM. Tres vetuſti QUIA *vicerat*. Quod argutius eſt: id enim καδμεία νίκη.

V. 17. GERMANOSQUE PATRIS. Iterum repone, *Germanoſ*VE *patris*.

V.

Hectora venalem cineri, Priamumque ferentem;
Colchida nec referam, vendentem regna parentis
Et lacerum fratrem ſtupro; ſegeteſque virorum,
Taurorumque truces flammas, vigilemque draconem,
Et reduces annos, auroque incendia facta,
Et male conceptos partus, peiuſque necatos:
Non annoſa canam Meſſanae bella nocentis;
Septenoſve duces, ereptaque fulmine flammis
Moenia Thebarum, et victam, quia vicerat, urbem:
Germanoſve patris referam, matriſque nepotes;
Natorumve epulas, converſaque ſidera retro,
Ereptumque diem; nec Perſica bella profundo
Indicta, et magna pontum ſub claſſe latentem,
Immiſſumque fretum terris, iter aequoris undis:
Non regis magni ſpatio maiore canenda,
Quam ſint acta, loquar: Romanae gentis origo,
Quotque duces urbis, tot bella atque otia, et omnis

Vulg. v. 15. SEPTENOSQUE. 16. QUAE. 17. GERMANOSQUE. 18. NATORUMQUE. 22. REGES MAGNOS. 23. SI TACTA. 24. TOTQUE duces ORBIS——TOT.

V. 18. NATORUMQUE EPULAS. Et hic lege, *Natorum*VE.

V. 22. NON REGES MAGNOS. SPATIO MAIORE CANENDA, QUAM SI TACTA LOQUAR; ROMANAE GENTIS ORIGO. Quinam ſunt illi *reges magni?* aqua hic haeret. Deinde *origo*, inquit, *Romanae gentis*, *ſpatio maiore canenda, quam ſi* tacta *loquar*; hoc eſt, ut volunt, protrita, ab omnibus decantata. Atqui iam Ennius res Romanas cecinerat; et proinde id opus tactum erat. Nec ſi *intactum* recte dicas pro novo, ut Horatius,

Quam rudis et Graecis intacti *carminis auctor*.

idcirco et *tactum* recte dixeris pro vetere et vulgato. Tres vetuſti, *Non regis magno*: Voſſianus, *Regis magni*, et pro *ſi tacta* habet *ſint acta*. Quantivis pretii haec lectio eſt:

Non REGIS MAGNI *ſpatio maiore canenda,*
Quam SINT ACTA, *loquar.*

Canenda ſpatio maiore, quam acta ſint. De Alexandro magno accipe. Sueton. Caeſ. vii. *Pertaeſus ignaviam ſuam, quod nihil dum a ſe memorabile actum eſſet, in aetate qua iam Alexander orbem terrarum ſubegiſſet.* Ovid. vi Faſt. 585.

Tertia cauſa mihi ſpatio maiore canenda *eſt*.

V. 24. TOTQUE DUCAS ORBIS, TOT BELLA, TOT OTIA. Vetuſti quattuor, *Atque otia*. Inepte vero, *tot duces* totius *orbis*: quot, quaeſo, nominari poſſunt? Adde, quod *orbis* ſequente verſu iteratur. Repone,

QUOTQUE *duces* URBIS, *tot bella* ATQUE *otia*.

Ad Romanos hoc pertinet; Quot, inquit, annui conſules, tot bella atque otia; bella per aeſtates, otia per hiemes. Ex hiſtoria hoc conſtat.

In populi unius leges ut ceſſerit orbis,
Differtur: facile eſt ventis dare vela ſecundis;
Fecundumque ſolum varias agitare per artes;
Auroque atque ebori decus addere, cum rudis ipſa
Materies niteat: ſpecioſis condere rebus
Carmina vulgatum eſt opus, et componere ſimplex.
At mihi per numeros ignotaque nomina rerum,
Temporaque et varios caſus, momentaque mundi,
Signorumque vices, parteſque in partibus ipſis,
Luctandum eſt: quae noſſe nimis, quid? dicere, quantum [eſt?
Ordine quid proprio? pedibus quid iungere certis?
Huc ades, o quicumque meis advertere coeptis
Aurem oculoſque potes, veras et percipe voces;
Intendas animum: nec dulcia carmina quaeras;
Ornari res ipſa negat, contenta doceri.
Et ſiqua externa referentur nomina lingua,
Hoc operis, non vatis erit. non omnia flecti
Poſſunt, et propria melius ſub voce notantur.
  Nunc age ſubtili rem ſummam perſpice cura,
Quae tibi praecipuos uſus monſtrata miniſtret,
Et certas det in arte vias ad fata videnda,
Si bene conſtiterit vigilanti condita ſenſu.

Principium

Vulg. v. 33. QUORUM QUAEQUE. 35. CARMINE. 38. IMPENDAS. 44. MINISTRAT. 45. DAT.

V. 32. TEMPORAQUE ET VARIOS CASUS MOMENTAQUE MUNDI. Codex Venetus *varios curſus*: a Voſſiano *caſus* abeſt.

V. 33. QUORUM QUAEQUE VICES, PARTESQUE IN PARTIBUS IPSIS. Nullum hic vocabulum eſt, quo referatur illud *partes*. Voſſianus, *quorumque vices*. Repone igitur,

SIGNORUMQUE *vices, parteſque in partibus ipſis.*

Partes ſignorum.

V. 35. CARMINE QUID PROPRIO? PEDIBUS QUID IUNGERE CERTIS? Quorſum illud *carmine?* cum *pedibus certis* id ipſum ſit quod *carmine*. Repone,

ORDINE *quid proprio?*

ſic

Principium rerum et cuſtos natura latentum,
Cum tantas ſtrueret moles per moenia mundi,
Et circumfuſis orbem concluderet aſtris
Undique pendentem in medium, diverſaque membra
Ordinibus certis ſociaret corpus in unum,
Aëraque et terras flammamque undamque natantem
Mutua in alternum praebere alimenta iuberet;
Ut tot pugnantes regeret concordia cauſas,
Staretque aeterno religatus foedere mundus;
Exceptum a ſumma ne quid ratione maneret,
Et quod erat mundi, mundo regeretur ab ipſo;
Fata quoque et vitas hominum ſuſpendit ab aſtris:
Quae ſummas operum partes, quae lucis honorem,
Quae famam aſſererent, quae numquam feſſa volarent:
Quae, quaſi per mediam mundi praecordia partem
Diſpoſita obtineant, Phoebum lunamque vagaſque
Evincant ſtellas, necnon vincantur et ipſa.
His regimen natura dedit, propriaſque ſacravit
Unicuique vices, ſanxitque per omnia, ſummam
Undique uti fati ratio traheretur in unam.
Nam quodcumque genus rerum, quodcumque laborum,
Quaeque opera atque artes, quicumque per omnia caſus
Humanae

Vulg. v. 55. ALTERNO.

ſic ii. 750.
Verum haec poſterius proprio *cuncta* ordine *reddam.*

V. 38. IMPENDAS ANIMUM. Immo lege, INTENDAS *animum:* ut paſſim alii. Poſſis quoque *Impendas hominem,* ut iv. 407.
Impendendus homo eſt, *deus eſſe ut poſſit in ipſo.*

V. 44. MINISTRAT, ET CERTAS DAT IN ARTE VIAS. Lege cum libris recentioribus, MINISTRET,
Et certas DET *in arte vias.*
Det Lipſienſis quoque.

V. 55. STARETQUE ALTERNO RELIGATUS FOEDERE MUNDUS. Altero abhinc verſu habuimus, *alternum.* Lege hic,
Staretque AETERNO *religatus foedere mundus.*

V;

Humanae in vitae poterant contingere ſorte
Complexa eſt: tot et in partes, quot et aſtra locarat,
Diſpoſuit; certaſque vices, ſua munia cuique
Attribuit; totumque hominis per ſidera cenſum
Ordine ſub certo duxit, pars ſemper ut eidem
Confinis parti vicinis ſtaret in arvis.
Horum operum ſortes ad ſingula ſigna locavit,
Non ut in aeterna caeli ſtatione manerent,
Et cunctos hominum pariter traherentur in ortus
Ex iiſdem repetita locis; ſed tempore ſedes
Naſcentum acciperent proprias, ſigniſque migrarent,
Atque alias alii ſors quaeque accederet aſtro,
Ut caperet genitura novam per ſidera formam,
Nec tamen incerto confunderet omnia motu:
Sed cum pars operum, quae prima condita ſorte eſt,
Accepit propriam naſcentis tempore ſedem,
Cetera ſuccedunt; ſigniſque ſequentibus haerent.
Ordo ducem ſequitur, donec venit orbis in orbem.
Has autem facies rerum per ſigna locatas,

In

Vulg. v. 69. HUMANA in VITA. 70. NOTARAT. 71. RES POSUIT——MOMINA. 80. ALIIS ALIO. 83. PARTE.

V. 69. HUMANA IN VITA POTERANT CONTINGERE SORTE. Repone,
HUMANAE *in* VITAE.

V. 70. TOT ET IN PARTES, QUOT ET ASTRA NOTARAT, RES POSUIT. Libri *vocarant*, *vocarat*. Repone,
tot et in partes, quot et aſtra LOCARAT, DISPOSUIT.

V. 71. CERTASQUE VICES, SUA MOMINA CUIQUE ATTRIBUIT. Momina a Scaligero eſt. Libri univerſi *nomina*. Repone,
certaſque vices ſua MUNIA *cuique Attribuit.* ſic infra 161.
Muniaque *in numerum vireſque exegimus omnes:*
ubi libri omnes *momina*. et iv, 307.
Mentiturque ſuas vires et munia *celat:*
ubi pariter libri *nomina*, Scaliger *momina*.

V. 80. ATQUE ALIIS ALIO SORS QUAEQUE ACCEDERET ASTRO. Libri vetuſti, *Atque alius ſors:* deeſt *alio*. Legendum,
Atque ALIAS ALII *ſors quaeque accederet aſtro.*
Alias, hoc eſt, alio tempore, *accederet alii aſtro.*

V. 83. QUAE PRIMA CONDITA PARTE EST. Immo repone,
Sed cum pars operum, quae prima condita SORTE *eſt.* ut iii, 96.
Fortunae ſors prima *data eſt,* et 138.
Praecipua undecima pars eſt in ſorte *locata.*

V.

In quibus omnis erit fortunae condita ſumma,
Utcumque aut ſtellae ſeptem laeduntve iuvantve;
Cardinibuſve movet divina potentia mundum:
Sic felix aut triſte venit per ſingula fatum,
Talis et ullius ſors eſt ſperanda negoti.
Haec mihi ſollemni ſunt ordine cuncta canenda,
Et titulis ſignanda ſuis rerumque figuris;
Ut pateat poſitura operum nomenque genuſque.
  Fortunae ſors prima data eſt. hoc illa per artem
Cenſetur titulo, quia proxima continet in ſe
Fundamenta domus, domuique haerentia cuncta:
Qui modus in ſervis, qui ſit conceſſus in arvis,
Quaque datum magnas operum componere moles;
Ut vaga fulgentis concordant ſidera caeli.
Poſthinc militiae locus eſt; qua quicquid in armis,
Quodve peregrinas inter verſantibus urbes
Accidere aſſuevit, titulo comprenditur uno.
Tertia ad urbanos ſtatio eſt numeranda labores.
Hoc quoque militiae genus eſt, civilibus actis
Compoſitum,

Vulg. v. 89. UT FIT CUM. 90. MUNDI. 92. ILLIUS. 102. POST HANC. 103. QUODQUE.

V. 89. (UT FIT) CUM STELLAE SEPTEM LAEDUNTVE IUVANTVE. Variant hic codices. Gemblacenſis, *Ut ſit cum ſtellae.* Lipſienſis, *Ut cum ſtellae.* Voſſianus, *Utcumque ſtellae.* Repone,

UTCUMQUE AUT STELLAE *ſeptem laeduntve iuvantve.* ſic ii, 835.
Utcumque *admixtis ſubſcribent viribus aſtra.* et iii, 119.
Atque, utcumque *regunt dominantia ſidera, paret.* et 141.
movent ut *mundum ſidera* cumque.

et *ut* eodem ſenſu iii, 101.
Ut *vaga fulgentis concordant ſidera caeli.*

et 126. *Sidera* ut *inclinant vires.*

V. 90. DIVINA POTENTIA MUNDI. Repone,

Cardinibuſve movet divina potentia MUNDUM. ſic iii, 141.
movent *ut* mundum *ſidera cumque.*

V. 92. TALIS ET ILLIUS. Immo lege,
Talis et ULLIUS *ſors eſt ſperanda negoti.*

V. 102. POST HANC. Libri vetuſti, POST HINC; ut Virgilius, Aen. viii, 546.
Poſthinc *ad naves graditur, ſocioſque reviſit.*

V. 103. QUODQUE PEREGRINAS. Gemb. et Lipſienſis *Quaeque*: Voſſianus *Quoque.* Lege QUODVE.

V.

Compoſitum, fideique tenet parentia vincla:
Format amicitias, et ſaepe cadentia fruſtra
Officia; et, cultus contingant praemia quanta,
Edocet; appoſitis cum mundus conſonat aſtris.
Iudiciorum opus in quarta natura locavit,
Fortunamque fori, fundentem verba patronum,
Pendentemque reum lingua voltuque loquentis
Compoſito; et populo nudantem condita iura,
Atque expenſa ſua ſolventem iurgia fronte,
Cum iudex veri nihil amplius advocat ipſo.
Quicquid propoſitas inter facundia leges
Efficit, hoc totum partem conceſſit in unam;
Atque, utcumque regunt dominantia ſidera, paret.
Quintus coniugio gradus eſt per ſigna dicatus,
Et ſocios tenet et conſortes, hoſpitiiſque
Fungitur, et ſimiles coniungit foedere amicos.
In ſexta dives numeratur copia ſede,
Atque adiuncta ſalus rerum: quarum altera, quanti
Contingant uſus, monet; altera, quam diuturni;
Sidera

Vulg. V. III. QUARTO. 113. ROSTRISQUE LOQUENTEM. 114. IN POSITA. 119. PARENT. 121. COMITES ATQUE HOSPITIUM UNA. 122. IUNGITUR——CONIUNGENS.

V. 111. IUDICIORUM OPUS IN QUARTO. Repone QUARTA, ſtatione ſcilicet, ut iii, 105. *Tertia ad urbanos ſtatio eſt.*

V. 113. PENDENTEMQUE REUM LINGUA, ROSTRISQUE LOQUENTEM IN POSITA. *In poſita* iura, ut explicat Scaliger, quae ſcilicet *conditis* opponuntur. Nihil vidi infelicius. Libri vetuſti, *roſtriſque loquentis impoſita.* Repone,

Pendentemque reum lingua VOLTUQUE LOQUENTIS COMPOSITO.

Pendentem vultu, ut Ovid. Faſt. i, 18.

Ingenium vultu ſtatque caditque tuo.

Certe, niſi ſic correxeris, *pendentem lingua*, abſolute dictum, id erit quod *latere pendens* apud Ennium, (Cic. Tuſc. i, 44.)

Ipſe ſummis fixus ſaxis aſperis, evisceratus,
Latere pendens, *ſaxa ſpargens tabo ſanie et ſanguine atro.*

Vultus compoſitus paſſim, et oratori in primis convenit.

V. 119. PARENT. Sic quidem libri veteres. Sed aliud hic agebat Scaliger. Repone, PARET. *Conceſſit atque paret.*

V. 121. ET SOCIOS TENET ET COMITES, ATQUE HOSPITIUM UNA IUNGITUR; ET SIMILES CONIUNGENS FOEDUS

Sidera ut inclinant vires, et templa gubernant.
Septima cenſetur ſaevis horrenda periclis,
Si male ſubſcribunt ſtellae per ſigna locatae.
Nobilitas tenet octavam; qua conſtat honoris
Conditio, et famae modus, et genus, et ſpecioſo
Gratia praetextu. nonus locus occupat omnem
Gnatorum ſortem dubiam, patrioſque timores,
Omniaque infantum mixta nutritia turba.
Huic vicinus erit, vitae qui continet actum:
In quo ſortimur mores, et qualibus omnis
Formetur domus exemplis; quaque ordine certo
Ad ſua compoſiti diſcedant munera ſervi.
Praecipua undecima pars eſt in ſorte locata,
Quae ſummam noſtri ſemper, vireſque gubernat;
Quaque valetudo conſtat, nunc libera morbis,
Nunc oppreſſa; movent ut mundum ſidera cumque.
Non alia eſt ſedes, tempuſve genuſve medendi
Quae ſibi depoſcat, vel cuius tempore praeſtet
Auxilium in vitae ſuccos miſcere ſalubres.

Ultimus

Vulg. v. 136. QUOQUE. 144. ET.

DUS AMICOS. Quis pati hoc poteſt, *iungitur et coniungens?* in priore verſu variant codices: Voſſianus,

Et ſocios tenet comitem hoſpitis una.

Lipſienſis,

Et ſocios tenet et comites hoſpitis una.

Gemblacenſis,

Et ſocios tenet et comitantes hoſpitis una.

Non probo, inquit Scaliger, *lectionem Gemblacenſis: vulgatae accedimus.* Nobis vero neutrum placet. Reſtituo tibi veram lectionem;

Et ſocios tenet et CONSORTES, HOSPITIISQUE
FUNGITUR, *et ſimiles coniungit foedere amicos.*

Complectitur ſocios, conſortes, hoſpites, amicos. Horatius Carm. iii, xxiv, 59.

Cum periura patris fides
Conſortem *et* ſocium *fallat et* hoſpites.

V. 136. QUOQUE ORDINE CERTO. Lege, QUAQUE *ordine certo.* ut iii, 140.

Quaque *valetudo conſtat.*

V. 144. AUXILIUM, ET VITAE SUCCOS MISCERE SALUBRES. Quid eſt *miſcere vitae?* Repone,

vel cuius tempore praeſtet
Auxilium IN *vitae ſuccos miſcere ſalubres.*

Praeſtet, melius ſit, *miſcere ſalubres ſuccos in vitae auxilium.*

U V.

Ultimus et totam concludens ordine fummam
Rebus apifcendis labor eft, qui continet omnes
Votorum effectus, et quae fibi quifque fuifque
Proponit ftudia atque artes, haec irrita ne fint:
Seu ferat officium, nutus blanditus in omnes:
Afpera five foro per litem iurgia tentet,
Fortunamve petat pelago, ventifque fequatur:
Seu Cererem plena vincentem credita meffe,
Aut repetat Bacchum per pinguia mufta fluentem:
Hac in parte fides, inque hac momenta dabuntur;
Si bene convenient ftellae per figna fequentes:
Quarum ego pofterius vires in utrumque valentes
Ordine fub certo reddam, cum pandere earum
Incipiam effectus. nunc ne permixta legentem
Confundant, nudis fatis eft infiftere membris.
Et quoniam certo digeftos orbe labores,
Nominaque in numerum, virefque exegimus omnes;

Athla

Vulg. v. 154. DIES ATQUE HAEC. 160. TOTO.

V. 154. HAC IN PARTE DIES, ATQUE HAEC MOMENTA DABUNTUR. Quid *diei* hic faciat, nullus video. Diffimulat Scaliger; Huetius vero fic locum tentat,

Hac in parte die rerum haec momenta dabuntur.

Ut die fit pro diei, et diei pro caeli vel potius zodiaci. Vide an nobis melius cedat coniectura;

Hac in parte FIDES, INQUE HAC *momenta dabuntur.*

Fides, effectus, eventus, *dabitur; ne vota et ftudia fint irrita; fi modo* ftellae concordent.

V. 160. ET QUONIAM TOTO DIGESTOS ORBE LABORES. Vetufti quattuor, *Et quoniam* CERTO: hoc rectius, quia *digeftos* dicit. Ita ii, 690.

Quae mihi mox certo digefta *fub ordine furgent.* et i, 148.

et certo digeftum *eft ordine corpus.*

V. 162. QUAE CUNCTA NEGOTIA RERUM IN GENERA ET PARTES BIS SEX DIVISA COHAERENT. Oratio foloeca eft. Repone,

Athla vocant Graii; QUOD *cuncta negotia rerum*
In genera et partes bis fex divifa COERCENT.

Athla, ἆθλα, ex xii laboribus Herculis: *quia* haec loca *coercent,* continent, complectuntur, omnia negotia fub fedibus xii.

V. 165. EADEMQUE PER OMNES SIDERA. Lege cum vetuftis quattuor,

EADEMVE *per omnes.*

V. 170. SI SUA QUEMQUE VOLES REVOCARE AD FATA LABOREM. *Ad fata* in utraque Scaligeri editione: nefcio tamen unde

hoc

Athla vocant Graii ; quod cuncta negotia rerum
In genera et partes bis ſex diviſa coërcent :
Nunc, quibus aſcendant ſignis quandoque, canendum eſt.
Perpetuas neque enim ſedes, eademve per omnes
Sidera naſcentes retinent : ſed tempore mutant,
Nunc huc nunc illuc ſignorum mota per orbem ;
Incolumis tamen ut maneat, qui conditus ordo eſt.
Ergo age, ne falſa variet genitura figura,
Si ſua quemque voles revocare ad ſigna laborem,
Fortunae conquire locum per ſidera cuncta :
Quae primo pars eſt numero ſic dicta ſub athlis.
Qui tibi cum fuerit certa ratione repertus,
Cetera praedicto ſubeuntibus ordine ſignis
Coniunges, teneant proprias ut ſingula ſedes.
Et ne forte vagus fortunae quaerere ſedem
Incipias, duplici certam ratione capeſſe.
Cum tibi, naſcentis percepto tempore, forma
Conſtiterit

Vulg. v. 162. QUAE. 163. COHAERENT. 165. EADEMQUE. 170. FATA. 171. PERQUIRE. 177. DUPLICEM CERTA.

hoc evenerit ; cum et omnes libri et prius editi habuerint,

Si ſua quemque voles revocare ad SIGNA *laborem.*

Quae lectio manifeſte vera eſt. Si quemque laborem, quodque ἄϑλον, ad ſua ſigna revocare voles. Nihil ille in notis habet, unde conſulto et ſtudio mutaviſſe putes : ergo caſui et humanae incuriae iure hoc concedatur.

V. 171. FORTUNAE PERQUIRE LOCUM. Vetuſti quattuor, CONQUIRE.

V. 172. QUAE PRIMO PARS EST NUMERO SIC DICTA SUB ATHLIS. Ita Scaliger in ſecunda editione : in priore ſic ;

Quae primo pars eſt numero ſubiecta *ſub athlis.*

Libri vetuſti hoc modo ;

Quae primum *pars eſt* numeroſis *dicta ſub athlis.*

Dolet tantum ingenium inanibus coniecturis deteri ; cum verſus ſit ſpurius, nec correctionis capax. Dixerat auctor iii, 96. *Fortunae ſors prima data eſt.* Quid opus erat repetitione, praeſertim, verbis tam inſulſis ? *numeroſis*, quae tantum xii ſunt ? *prima ſors* athlorum, et tamen *ſub athlis ?*

V. 177. DUPLICEM CERTA RATIONE CAPESSE. Duplicem interpretantur, diurnam et nocturnam. Atqui *una* eſt fortunae ſedes, et interdiu et noctu ; ſed *duplex* eſt ſedem iſtam inveniendi ratio. Codex Voſſianus, *duplici*. Repone igitur,

DUPLICI CERTAM *ratione capeſſe.*

Duplici, caſu ſexto, ut Virgilius, Aen. ix, 707.

Nec duplici *ſquama lorica fidelis et auro.*

Conſtiterit caeli, ſtellis ad ſigna locatis,
Tranſverſo Phoebus ſi cardine celſior ibit,
Qui tenet exortum, vel qui demergit in umbras,
Per tempus licet affirmes natum eſſe diei.
At ſi ſubiectis Phoebus fulgebit in aſtris
Inferior dextra laevaque tenentibus orbem
Cardinibus, noctis fuerit per tempora natus.
Haec tibi cum fuerint certo diſcrimine nota,
Tunc ſi forte dies naſcentem exceperit alma,
A sole ad lunam numerabis in ordine partes
Signorum: ortivo totidem de cardine duces,
Quem bene partitis memorant horoſcopon athlis.
In quodcumque igitur numerus pervenerit aſtrum,
Hoc da fortunae. iunges tunc cetera ſignis
Athla ſuis, certo ſubeuntibus ordine cunctis.
At cum obducta nigris nox orbem texerit alis,
Si quis erit, qui tum materna exceſſerit alvo,
Verte vias, ſicut naturae vertitur ordo.
Conſule tum Phoeben imitantem lumina fratris
Semper, et in proprio regnantem tempore noctis.
Quotque ab ea Phoebus partes et ſigna recedit,
Tot numerare iubet fulgens horoſcopos a ſe.
Hunc fortuna locum teneat ſubeuntibus athlis,

Ordine

Vulg. v. 181. UNDAS. 183. SENIS. 190. ASTRIS.

V. 181. VEL QUI DEMERGIT IN UNDAS. Repone,

Qui tenet exortum vel qui demergit in UMBRAS.

ut infra 443. *mergentur in* umbras.

V. 183. AT SI SUBIECTIS SENIS FULGEBIT IN ASTRIS. *Subiectis ſenis* non belle exit ὁμοιοτέλευτον. Gemblacenſis, *saevis*; Lipſienſis, *ſevis*; Voſſianus, *ſenus*. Repone,

At ſi ſubiectis PHOEBUS *fulgebit in aſtris.*

Scriptum olim *Foebus*: inde nata immutatio, *foedus*, *ſaevus*.

V. 190. QUEM BENE PARTITIS MEMORANT

Ordine naturae ſicut ſunt cuncta locata.
  Forſitan et quaeras agili rem corde notandam,
Qua ratione queas a tali tempore nati
Exprimere immerſo ſurgentem horoſcopon orbe.
Quod niſi ſubtili viſum ratione tenetur,
Fundamenta ruunt artis, nec conſonat ordo:
Cardinibus quoniam falſis, qui cuncta gubernant,
Mentitur faciem mundus, nec conſtat origo,
Flexaque momento variantur ſidera templi.
Sed quanta effectu res eſt, tam plena laboris,
Curſibus aeternis mundum per ſigna volantem,
Ut totum luſtret curvatis arcubus orbem,
Exprimere; et vultus eius componere certos;
Ac tantae molis minimum comprendere punctum:
Quae pars exortum, vel quae faſtigia mundi,
Aut ſeros obitus aut imum obſederit orbem.
  Nec me vulgatae rationis praeterit ordo,
Quae binas tribuit ſignis ſurgentibus horas,
Et paribus ſpatiis aequalia digerit aſtra:
Ut parte ex illa, qua Phoebi coeperit orbis,
Diſcedat numerus, ſummamque accommodet aſtris,
Donec perveniat naſcentis tempus ad ipſum:
Atque ubi ſubſtiterit, ſignum dicatur oriri.

Sed

Vulg. v. 215. DEPRENDERE. 217. FERAT OCCASUS aut IMO SEDERIT ORBE.

RANT HOROSCOPON ASTRIS. Immo lege ATHLIS.

V. 215. MINIMUM DEPRENDERE PUNCTUM. Gemblacenſis, COMPRENDERE.

V. 217. AUT FERAT OCCASUS, AUT IMO SEDERIT ORBE. Libri veteres *auferat*, unus *aufferat*; omnes *orbem*. Certe *ferat*, quod a Scaligero eſt, ſententiae non reſpondet, quae *occupet*, *teneat* vel ſimile quid poſtulat. Repono,

Quae pars exortum, vel quae faſtigia mundi,
Aut SEROS OBITUS *aut* IMUM OBSEDERIT ORBEM.

vide infra ad verſum 507.

V.

Sed iacet obliquo ſignorum circulus orbe,
Atque alia inflexis oriuntur ſidera membris:
Aſt illis magis eſt rectus ſurgentibus ordo,
Ut propius nobis aliquod, vel longius aſtrum eſt.
Vix finit luces cancer, vix bruma reducit:
Quam brevis ille iacet, tam longus circulus hic eſt.
Libra arieſque parem reddunt noctemque diemque.
Sic media extremis pugnant, poſtremaque primis.
Nec nocturna minus variant, quam tempora lucis:
Sed tantum adverſis idem ſtat menſibus ordo.
In tam diſſimili ſpatio, variiſque dierum
Umbrarumque modis, quis poſſit credere in auras
Omnia ſigna pari mundi ſub lege meare?
Adde quod incerta eſt horae menſura, neque ullam
Altera par ſequitur: ſed ſicut ſumma dierum
Vertitur;

Vulg. v. 230. ILLA. 232. EXTREMAQUE SUMMIS. 239. PARS.

V. 230. QUAM BREVIS ILLA IACET. *Illa*, nempe bruma. Sed codex Venetus,

Quam brevis ILLE *iacet, tam longus circulus hic eſt.*

ille brumae circulus, *hic* cancri.

V. 232. SIC MEDIA EXTREMIS PUGNANT, EXTREMAQUE SUMMIS. *Sic media*, aries et libra, *pugnant extremis*, cancro et capricorno; *extremaque* capricornus, pugnant *ſummis*, cancro: vides diverſo ſenſu accipi *extremis* et *extrema*; quod non oportebat. Forſitan auctor dederit,

Sic media extremis pugnant, POSTREMAQUE PRIMIS.

V. 239. NEQUE ULLAM ALTERA PARS SEQUITUR. Mirum vero, ſi nullam horam altera pars horae ſequitur. Ergo omnis hora eſt ultima. Quid poteſt abſurdius? Senſit hoc Huetius; et idcirco *ſequitur* interpretatur, *aſſequitur, exaequat*. Quis vero hoc illi conceſſerit? Repono,

Adde quod incerta eſt horae menſura, neque ullam
Altera PAR *ſequitur*.

Sic infra iii, 532.

Horaque non ulli ſimilis producitur horae.

V. 244. CUM SPATIUM NON SIT TANTUM PUGNANTIBUS HORIS. *Pugnantibus horis*, ut infra 264,

Inde cadunt noctes, ſurguntque in tempora luces,
Donec ad ardentis pugnarunt *ſidera cancri.*

ut igitur noctes diebus pugnant, ita horae horis, nocturnae ſcilicet diurnis. Ergo horae, generali epitheto, *pugnantes* dicuntur. Ergo falſum eſt, *tantum non eſſe ſpatium horis* in univerſum. Senſit hoc Salmaſius; ideoque in Solinianis ſic locum interpolat:

Cum ſpatium non ſit ſtatum *pugnantibus horis.*

Statum, certum, ſtatutum. Sed, cum *ſtatum* priorem ſyllabam corripiat, error manifeſtus

eſt;

Vertitur; et partes ſurgunt, rurſuſque recedunt:
Cum tamen in quocumque dies deducitur aſtro,
Sex habeat ſupra terras, ſex ſigna ſub illis.
Quo fit ut in binas non poſſint omnia naſci,
Cum ſpatium non ſit tantum brumalibus horis;
Si modo bis ſenae ſervantur luce ſub omni,
Quem numerum debet ratio, ſed non capit uſus.
  Nec tibi conſtabunt aliter veſtigia veri,
Ni, lucem noctemque pares dimenſus in horas,
In quantum vario pateant ſub tempore noris;
Regulaque exacta primum formetur in hora,
Quae ſub lance dies aequa perpendat et umbras.
Haec erit, in libra cum lucem vincere noctes
Incipiunt, vel cum medio concedere vere.
Tunc etenim ſolum bis ſenas tempora in horas

Aequa

Vulg. v. 244. PUGNANTIBUS. 250. EXACTAS—HORAS. 251. SIGNETQUE DIEM SEDES.

eſt; viro tamen magno, ob multa merita, condonandus. Repono,

Cum ſpatium non ſit tantum BRUMALIBUS *horis.*

Cum non ſit tantum in die *ſpatium brumalibus horis*, quae breviſſimae ſunt; ut aequent duodecim horas vernales ſeu aequinoctiales, quem numerum poſcit ratio et computatio: ſed res et uſus non capit. *Brumalibus horis*, ut infra iii, 265.

Atque ibi converſis vicibus mutantur in horas
Brumales, et iv, 326.
Quod facit aequales luces brumalibus *umbris.*

Ovid. Met. iv, 199. ad ſolem amore delirantem,

modo ſurgis eoo
Temporius caelo: modo ſerius incidis undis,
Spectandique mora brumales *porrigis* horas.

V. 247. NEC TIBI CONSTABUNT ALITER VESTIGIA VERI. Hos verſus, qui ſequuntur, numero quattuor et quinquaginta, Scaliger in ſecunda editione extra locum, quem in codicibus habent, detrudit ultra verſum 482: quod ob facinus poenas dedit Salmaſio ad Solinum, et poſtea Huetio: neque ego vel defendo vel excuſo.

V. 250. REGULAQUE EXACTAS PRIMUM FORMETUR IN HORAS. Vetuſti quattuor, *exacta.* Repone,

Regulaque EXACTA *primum formetur in* HORA.

niſi regula formetur in hora exacta ſive aequinoctiali.

V. 251. QUAE SIGNETQUE DIEM SEDES PERPENDAT ET UMBRAS. Libri veteres,

Quae ſignemque diem ſedem perpendat et umbras. Repono,

Quae SUB LANCE DIES AEQUA *perpendat et umbras.*

V.

Aequa patent, medio quod currit Phoebus olympo.
Is cum per gelidas hiemes ſubmotus in auſtros
Fulget in octava capricorni parte biformis;
Tunc anguſta dies vernales fertur in horas
Dimidiam atque novem: ſed nox oblita diei
Bis ſeptem, appoſita numerus ne claudicet hora
Dimidia. ſic in duodenas exit utrimque,
Et redit in ſolidum naturae condita ſumma.
Inde cadunt noctes, ſurguntque in tempora luces;
Donec ad ardentis pugnarunt ſidera cancri.
Atque ibi converſis vicibus mutantur in horas
Brumales; noctemque dies, lucemque tenebrae
Hibernam referunt, alternaque tempora vincunt;
Nunc huc nunc illuc gradibus per ſidera certis
Impulſae: quarum ratio manifeſta per artem
Collecta eſt, venietque ſuo per carmina textu.
Atque haec Niliacas demum eſt menſura per oras,

Qua

Vulg. v. 256. HIC. 261. UTRUMQUE. 271. EST ILLAS DEMUM.

V. 256. HIC CUM PER GELIDAS. Huetius reponit *hinc*. Sed vetuſti tres *His*, et Gemblacenſis *Is*. Recte;

Is *cum per gelidas hiemes ſubmotus in auſtros.*

Is, Phoebus ſcilicet, in verſu priore. Sic Virgilius Aen. viii, 321. de Saturno,

Is *genus indocile ac diſperſum montibus altis*
Compoſuit.

V. 261. SIC IN DUODENAS EXIT UTRUMQUE. Recte codex Venetus, UTRIMQUE.

V. 271. ATQUE HAEC EST ILLAS DEMUM MENSURA PER ORAS. Libri veteres mendoſe;

Atque haec illa demum eſt menſura per horas.

Repono,

Atque haec NILIACAS DEMUM EST *menſura per oras.*

Ex mutilato vocabulo *Niliacas* remanſit *illa*. Noſter i, 217.

nuſquam invenies fulgere canopum,
Donec Niliacas *per pontum veneris* oras.

V. 272. QUAS RIGAT AESTIVIS GRAVIDUS TORRENTIBUS AMNIS NILUS. *Amnis* quidem de Nilo recte dicitur; ut de eo Virgilius Georg. iv, 293.

Uſque coloratis amnis *devexus ab Indis.*

Sed *amnis Nilus*, ſic iunctim poſitum, geographi potius eſt quam poëtae. Repone,

QUA *rigat aeſtivis gravidus torrentibus* ARVA,
Amnis, *et erumpens imitatur ſidera mundi:*

Per oras Niliacas, qua amnis rigat arva. Horatius Carm. iii, iii, 45.

Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua *medius liquor*
Secernit Europen ab Afro,
Qua *tumidus* rigat arva Nilus.

vide vero, quibus gradibus error creverit. Cum

quam

Qua rigat aeſtivis gravidus torrentibus arva
Amnis, et erumpens imitatur ſidera mundi
Per ſeptem fauces, atque ora fugantia pontum.
  Nunc age, quot ſtadiis et quanto tempore ſurgant
Sidera, quotque cadant, animo cognoſce ſagaci;
Ne magna in brevibus pereant compendia dictis.
Nobile lanigeri ſidus, quod cuncta ſequuntur,
Dena quater ſtadia exoriens, duplicataque ducit
Cum cadit: atque horam ſurgens eiuſque trientem
Occupat; occiduus geminat: tum cetera ſigna
Octonis creſcunt ſtadiis orientia in orbem,
Et totidem amittunt gelidas vergentia in umbras.
Hora novo creſcit per ſingula ſigna quadrante,
Tertiaque in quinas partes pars ducitur eius.
Haec ſunt ad librae ſidus ſurgentibus aſtris
Incrementa: pari momento damna trahuntur,
Cum ſubeunt orbem. rurſuſque a ſidere librae,

Ordine

Vulg. v. 272. QUAS——AMNIS. 273. NILUS. 277. magna brevibus CAREANT. 281. CUM. 285. QUARTAS——INDUCITUR.

quas repoſuiſſent librarii pro *qua*; ſequebatur, ut eraderent *arva:* cumque in priore verſu diſperiiſſet *Niliacas*; neceſſe erat, ut *Nilus* huc ingereretur.

V. 277. NE MAGNA BREVIBUS CAREANT COMPENDIA DICTIS. Sic Scaliger; et verſu contra morem auctoris ſcabro, et ſenſu perverſo aut nullo. Libri omnes,

Ne magna in brevibus. Repone,

Ne magna IN *brevibus* PEREANT *compendia dictis.*

Animum ſagacem adhibe: ne, dum brevitati ſtudeo, magna artis commoda et compendia praetervolent te et pereant.

V. 281. CUM CETERA SIGNA OCTONIS CRESCUNT. *Cum creſcunt*, pro *creſcant*, excuſat Scaliger. Sed religio nulla vetat, quo minus TUM reponatur.

V. 285. TERTIAQUE IN QUARTAS PARTES INDUCITUR EIUS. Libri veteres; Gemblacenſis,

Tertiaque in quarta parte ſic ducitur *eius.*

Lipſienſis, *ſi ducitur.* Voſſianus, *partes educitur.* Sententia hoc poſtulat. Hora creſcit per minuta xvi: horae quadrans eſt tantum xv: reſtat minutum unum, quod addendum eſt; et hoc verſu exprimi debet. Repono,

Tertiaque in QUINAS *partes* PARS DUCITUR *eius.*

Hoc eſt, et tertia pars eius quadrantis in quinas partes dividitur; id enim eſt ducitur. Tertia pars quadrantis eſt v; in quinas ducta eſt i. Sic iii, 429.

Tertia pars eius *numero ſuperaddita tauri.*

V. 288. CUM SUBEUNT ORBEM. Vide Scaligerum ad locum.

Ordine mutato, paribus per tempora verſa
Momentis redeunt. nam per quot creverat aſtrum
Lanigeri ſtadia aut horas, tot libra recedit.
Occiduuſque aries ſpatium tempuſque cadendi
Quod tenet, in tantum chelae conſurgere perſtant.
Eius in exemplum ſe ſigna ſequentia vertunt.
Haec ubi conſtiterint vigilanti condita mente,
Iam facile eſt tibi, quod quandoque horoſcopet aſtrum,
Noſcere: cum liceat certis ſurgentia ſigna
Ducere temporibus, propriiſque aſcribere in horas
Partibus; ut ratio ſignis ducatur ab illis,
In quîs Phoebus erit; quorum mihi reddita ſumma eſt.
Sed neque per terras omnes menſura dierum
Umbrarumque eadem eſt, ſimili nec tempora ſumma
Mutantur: modus eſt varius ſtatione ſub una.
Nam qua Phryxaei ducuntur vellera ſigni,
Chelarumque fides, iuſtaeque examina librae;

Omnia

Vulg. v. 292. RUENDI. 296. SI. 303. RATIONE. 304. NUMQUAM.

V. 292. OCCIDUUSQUE ARIES SPATIUM TEMPUSQUE RUENDI QUOD TENET. Editiones priſcae, *tempuſque oriendi*. Hoc cum ineptum eſſe videret Scaliger, in priore editione ſubſtituit *tempuſque morandi*; in altera, *ruendi*. At Gemblacenſis et Lipſienſis in textu *canendi*, et ſuperne *vel oriendi*. Venetus vero et Voſſianus in ipſo textu, *tempuſque* CADENDI. Vero igitur reperto ceſſent coniecturae.

V. 296. IAM FACILE EST, SI QUOD QUANDOQUE HOROSCOPET ASTRUM NOSCERE. Illud *ſi* ſupervacuum eſt, et orationem inquinat. Repone,

Iam facile eſt TIBI, *quod quandoque horoſcopet aſtrum.*

V. 303. MODUS EST VARIUS. RATIONE SUB UNA NUMQUAM PHRYXAEI. Haec et verbo et diſtinctione peccant. Repone,

modus eſt varius STATIONE *ſub una.*

Una ſtatio eſt zodiaci, ſed varius dierum eſt modus. Sic infra de re eadem, iii, 335.

ſtatio *quando illius* una *eſt*,
Noſtras mutantur ſedes.

V. 304. NUMQUAM PHRYXAEI. et 306. BINAS SI SIGNA PER HORAS. *Numquam* codices univerſi; at iidem *ſibi ſigna*, pro *ſi ſigna*. Ipſa ſibi ſententia emendationem miniſtrat. Repone,

NAM QUA *Phryxaei ducuntur vellera ſigni,*
Chelarumque fides iuſtaeque examina librae;
Omnia conſurgunt binas IBI *ſigna per horas.*

Incaſſum hic laborat Scaliger; nec melius res Huetio cedit.

V. 307. QUO MEDIUS RECTO PRAECINGITUR ORDINE MUNDUS. Libri omnes, QUOD *medius*. Recte, ut mox 314.

Una

Omnia confurgunt binas ibi figna per horas:
Quod medius recto praecingitur ordine mundus,
Aequalifque fuper tranfverfum vertitur axem.
Illic perpetua iunguntur pace diebus
Obfcurae noctes: aequo ftat foedere tempus.
Nec manifefta patet falfi fallacia mundi,
Nec fimilis fimili toto nox redditur aevo.
Omnibus autumnus fignis, ver omnibus unum;
Una quod aequali luftratur linea Phoebo.
Nec refert tunc quo Phoebus decurrat in aftro;
Littoreumne coquat cancrum, contrane feratur?
Sideribus mediis, an quae fint quattuor inter.
Quod, quamquam per tres fignorum circulus arcus
Obliquus iaceat, recto tamen ordine zonae
Confurgunt, fupraque caput fubterque feruntur;
Et paribus fpatiis per fingula puncta refurgunt:
Ac bene divifo mundus latet orbe patetque.

At

Vulg. v. 306. SI. 307. QUO. 309. ILLI. 320. TERRASQUE. 321. LUSTRA.

Una quod *aequali*. Caufam reddit, cur fub ariete et libra figna omnia in binas horas furgant.

V. 309. ILLI PERPETUA. Gemblacenfis a manu prima *Illa*, et poftea *Illi*; quod ceteri codices fecuti funt. *Illa* venit ab *illic*; quod reponendum eft.

V. 311. NEC MANIFESTA PATET FALSI FALLACIA MUNDI, NEC SIMILIS SIMILI TOTO NOX REDDITUR AEVO. Verfus fpurii et inepti. Si corrigendi effent; fic darem,

Sed *fimilis* luci *toto nox redditur* anno.

Sed idem fupra dictum erat; et *falfi fallacia mundi εἰς κόρακας* eiiciendum.

V. 317. SIDERIBUS MEDIIS, AN QUAE SINT QUATTUOR INTER. Et hic quoque irreptitius et infulfus. *Nil refert*, utrum in cancro an capricorno sol feratur. Hoc fatis eft. Et figna intermedia neceffario concluduntur.

V. 320. SUPRAQUE CAPUT TERRASQUE FERUNTUR. Sane bene; quod cum dixiffet *fupra caput* noftrum, addidit *terrafque*: ne nos forte in luna habitare crederemur. Dedit auctor,

Confurgunt, fupraque caput SUBTERQUE *feruntur.*

Subter adverbialiter. Patet emendatio ex ipfa ferie: *Confurgunt*, mane; *fupra caput feruntur*, interdiu; *fubter*, noctu: *refurgunt*, poftridie. Quomodo fodes *refurgerent*; nifi prius *fubter* latuiffent.

V. 321. ET PARIBUS SPATIIS PER SINGULA LUSTRA RESURGUNT. *Luftra* interpretatur

At ſimul ex illa terrarum parte recedas,
Quicquid ad extremos temet deverteris axes,
Per convexa trahens greſſum faſtigia terrae,
Quam tereti natura ſolo decircinat orbem
In tumidum, et mediam mundo ſuſpendit ab omni:
Ergo ubi conſcendes orbem, ſcandenſque rotundum
Degrediere ſimul; fugiet pars altera terrae,
Altera reddetur: ſed quantum inflexerit orbis,
Tantum inclinabit caeli poſitura volantis.
Et modo quae fuerant ſurgentia limite recto
Sidera, curvato ducentur in aethera tractu.

Atque

Vulg. v. 323. ET. 324. AB EXTREMO——PRAEVERTERIT AXE. 325. GRADUS. 326. SOLI——ORBE. 328. CONSIDES. 330. ORBEM.

pretatur Scaliger, *periodos quaſcumque:* ut infra 580, *luſtra decem solis*, decem annos. Atqui hoc inauditum alias, et ad haec ipſa loca accommodatum eſt. *Luſtrum* ubique eſt quinquennium; *luſtra duo* illic legendum, non *decem:* hic repone,

Et paribus ſpatiis per ſingula PUNCTA *feruntur.*

In ſphaera, inquit, recta zonae ſurgunt paribus ſpatiis per ſingula circuli puncta.

V. 323. ET SIMUL EX ILLA. Libri veteres recte, AT *ſimul ex illa*.

V. 324. QUICQUID AB EXTREMO TEMET PRAEVERTERIT AXE. Sic Scaliger et Huetius: hic tamen *extremum axem* polum interpretatur, et *praeverterit*, apparere inceperit; ille *extremum axem*, ſummum globi clivum ſub aequinoctiali. Utrumque durum et coactum. Gemblacenſis *ab extremo*, et ſuperne pro lectione varia *ad extremos*. Contra, Lipſienſis in textu, *ad extremos*, ſuperne *ab extremo*. Voſſianus ſimpliciter, *ad extremos*. Repone,

Quicquid AD EXTREMOS *temet* DEVERTERIS AXES.

Extremi axes, polus uterque: recte; nam de utroque aeque verum eſt. *Devertere*, a via recta ſub aequatore. *Praevertere* nihil loci hic habet. *Quicquid*, quantumcumque vel quantulumcumque.

V. 325. PER CONVEXA GRADUS GRESSUM FASTIGIA TERRAE. Monſtrum lectionis. Diſſimulat tamen Scaliger: Huetius autem, qui *praeverterit temet* amplexus eſt, *greſſum gradus* accipit, *te qui greſſus es gradus*; ut Plautus, *machinabor machinam*, et alia ſimilia. Et hoc quidem pacto omnia ſint protinus alba. Voſſianus pro *gradus* habet *gravis*. Repone,

Per convexa TRAHENS *greſſum faſtigia terrae.*

Trahere greſſum; ut *trahere genua*, *trahere veſtigia*.

V. 326. QUAM TERETI NATURA SOLI DECIRCINAT ORBE IN TUMIDUM. Quid hic facit *natura ſoli?* nam agrorum cultura hic non agitur. Libri veteres, *ſolo*. Repone,

Quam tereti natura SOLO *decircinat* ORBEM
In tumidum.

Tereti, globoſo, ut Noſter i, 207.

teretes *facit eſſe figuras*
Stellarum. et 230.
Sed quia per teretem *deducta eſt terra tumorem.*

V.

Atque erit obliquo ſignorum balteus orbe,
Qui tranſverſus erat: ſtatio quando illius una eſt,
Noſtrae mutantur ſedes. ergo ipſa moveri
Tempora iam ratio cogit, varioſque referre
Sub tali regione dies; cum ſidera flexo
Ordine conficiant curſus obliqua malignos:
Longius atque aliis aliud propiuſve recumbat.
Pro ſpatio mora cuique datur. quae proxima nobis
Conſurgunt, longos caeli viſuntur in orbes.
Ultima quae fulgent, citius merguntur in umbras.
Et quanto ad gelidas propius quis venerit arctos,

Tam

Vulg. v. 341. MAGNA. 343. EFFULGENT CAECIS——UMBRIS.

V. 328. ERGO UBI CONSIDES, ORBEM SCANDENSQUE ROTUNDUM DEGREDIERE, SIMUL FUGIET PARS ALTERA TERRAE. *Conſides* a Scaligero eſt; libri veteres *conſedes*, novi *conſcendes* Aliud hic agebat vir magnus: quomodo enim *conſidet* quis, quod eſt *ſedendo quieſcet*, et tamen *degredietur?* Haec frontibus adverſis pugnant. Sed in notis, quaſi ſui oblitus, *deſides* explicat; prave tamen pro *deſcendes*, ab aequinoctiali ſcilicet verſus polum. Haec ſunt operae nimium quidem celeris curaque carentis. Repone et diſtingue,

Ergo ubi CONSCENDES *orbem, ſcandenſque rotundum*
Degrediere ſimul; fugiet pars altera terrae.

Rotundum genere neutro, ſubſtantive: ut infra verſu 375.

Dimidium e toto tantum videt orbe rotundi.

Orbem ſcandenſque, pro *orbemque ſcandens*, ferula caſtigandum. Huetius quoque, qui ubique carpendo Scaligero invigilat, non ipſe hic effugit culpam. Sugillat hominem, quod *digrediere* mutaverit in *degrediere:* ſed ita plane Gemblacenſis; et ſententia hoc flagitat. At, inquit, hoc perinde eſt, *ac ſi dixiſſet Manilius*, cum deſcendes conſcendens globum, *quo* nihil abſurdius eſt. Itane vero? Immo qui terrae globum conſcendit, neceſſe eſt ut ſimul deſcendat. Et haec ipſa argutia eſt, quam auctor hic captat. Sic i, 232.

Exoriens ſimul atque cadens: quia fertur in orbem
Ventris, et acclivis pariter declivia iungit.

et mox, 241.

Et pariter ſurgente via, pariterque cadente.

V. 330. SED QUANTUM INFLEXERIT ORBEM. Libri veteres *orbe*. Quis hodie tam validus, tam Atlanteis humeris, ut orbem inflectat? Repone,

ſed quantum inflexerit ORBIS,
Tantum inclinabit caeli poſitura volantis.

Utrumque intranſitive; *ſe inflexerit, ſe inclinabit.*

V. 341. PRO SPATIO MORA MAGNA DATUR. Quid eſt *magna pro ſpatio?* Nec magna datur nec parva; ſed aequalibus ſpatiis aequalis mora. Repone igitur,

Pro ſpatio mora CUIQUE *datur.*

V. 343. ULTIMA QUAE EFFULGENT CAECIS MERGUNTUR IN UMBRIS. Gemblacenſis *quae fulgent*, ceteri *et fulgent*; omnes vetuſti *ceteris* pro *caecis*; Voſſianus denique *umbras*. Repone,

Ultima quae FULGENT, CITIUS *merguntur in* UMBRAS.

ut iii, 416. *mergentur ad umbras.*
et 545. *quod tardius illa,*
Haec citius *peragant orbem.*

V.

Tam magis effugiunt oculos brumalia ſigna:
Vixque ortis occaſus erit. ſi longius inde
Procedat, toto condentur ſingula menſe,
Tricenaſque trahet connexo tempore noctes.
Et totidem luces adiment. ſic parva dierum
Efficitur mora, et attritis conſumitur horis,
Paulatimque perit ſtatio fulgentibus aſtris,
Pluraque, per partes ſubrepto tempore, ſigna

Quaerentur

Vulg. v. 345. OFFICIUNT OCULIS. 346. ORTUS. 347. PROCEDAS TOTIS—— MEMBRIS. 348. TRAHENT. 352. SUBRUPTO.

V. 345. TAM MAGIS OFFICIUNT OCULIS BRUMALIA SIGNA. An ſigna ipſa *officiunt oculis*, ne videri poſſint? Ergo ex lucidis opaca facta ſunt. Libri veteres *efficiunt*, et Voſſianus *oculos*. Repone igitur,

Tam magis EFFUGIUNT OCULOS *brumalia ſigna.* ut iii, 378.

Effugit *ergo* oculos *Phoebus*.

V. 346. VIXQUE ORTUS OCCASUS ERIT. Nec verſui numeri conſtant, nec verbis ſententia. Repone,

Vixque ORTIS *occaſus erit.*

Brumalibus ſignis vix ortis occaſus eveniet; adeo breves ſunt tum dies.

V. 347. SI LONGIUS INDE PROCEDAS TOTIS CONDENTUR SINGULA MEMBRIS. Codices omnes *procedat*. *Scribe*, inquit Scaliger, *procedas*: oblitus quod in verſu 344 legerat, Quanto propius *quis venerit*; deinde, *ſi procedat*: idem ſcilicet, qui venerat. Perperam igitur, *procedas*. Quale vero id quod ſequitur, *totis condentur ſingula membris?* An ſingula, hoc eſt omnia, ſigna integra condentur, ſive numquam orientur in ea regione qua nox longiſſima eſt unius menſis, ſive ſub latitudine poli 67, 30'? Ne unum quidem ſignum totis membris condetur, niſi ubi nox bimeſtris eſt. Repono,

PROCEDAT, TOTO *condentur ſingula* MENSE.

quod verſus ſequens probat, *tricenas noctes*; et verſus 355, *ereptis menſibus*.

V. 348. TRICENASQUE TRAHENT CONNEXO TEMPORE NOCTES. Gemblacenſis et alter *trahet*. Repone igitur,

Tricenaſque TRAHET *connexo tempore noctes.*

Ordo eſt, Quanto propius *quis* ad arctos *venerit*, tanto breviores ei dies erunt; et ſigna brumalia ab ipſo ſtatim ortu occident. *Si longius* inde polum verſus *procedat*, ſingula xii ſigna per menſis ſpatium ei condentur, et ille *trahet* tricenas noctes ſine die. *Trahet noctes* xxx; ſive xxx dies naturales in tenebris aget. Sic *trahere vitam, tempus*, &c. Virgilius Aen. i, 752.

Necnon et vario noctem *ſermone* trahebat
Infelix Dido.

Sed et alterum bene habet, ſidera *trahent* tricenas noctes; ut Horatius Serm. ii, vi, 25.

Sive aquilo radit terras, ſeu bruma *nivalem*
Interiore diem *gyro* trahit.

V. 349. ET TOTIDEM LUCES ADIMENT: SIC PARVA DIERUM EFFICITUR MORA, ET ATTRITIS CONSUMITUR HORIS, PAULATIMQUE PERIT STATIO FULGENTIBUS ASTRIS. Etiam hos tres pro adulterinis habeo. Si in priore verſu legeris *trahet* cum Gemblacenſi, nihil opus eſt pluribus; nam qui hic ſcripſit *adiment*, ſine dubio legebat *trahent*. Sed eſto, ut *trahent* ſit vera lectio; nihil hi tres habent auctore dignum. Cum dixiſſet, *tricenas noctes connexo tempore*, quid opus erat addidiſſe, *totidem luces adiment?* quod vel caeco per ſe apparet. Illa vero *Sic mora dierum efficitur parva, et attritis horis conſumitur*; ut ſermonis ſcabiem condonem, falſa ſunt. Illud *ſic* cauſam demonſtrat, *ideo* moram dierum parvam, *quia* tricenae luces adimuntur. Atqui durante

nocte

Quaerentur medio terrae celata tumore;
Abducentque ſimul Phoebum, texentque tenebras,
Menſibus ereptis donec ſit debilis annus.
Si vero natura ſinat ſub vertice caeli,
Quem gelidus rigidis fulcit compagibus axis,
Aeternas ſuper ire nives, boreamque rigentem
Prona Lycaoniae ſpectantem membra puellae;
Stantis erit caeli ſpecies: laterumque meatu
Turbinis

Vulg. v. 354. ADDUCENT. 358. ORBEMQUE. 360. MEATUS.

nocte illa menſtrua, *nulla* dierum *mora* eſt; cum dies ipſi nulli ſint: poſt vero noctem menſtruam, tantum abeſt ut mora dierum minuatur et conſumatur; ut continuis diebus *creſcat* mora, donec ad diem tandem menſtruum pervenerit. Denique quid ſit *ſtatio perit aſtris*, ne concipere quidem poſſum; ſi latine modo loquamur, non barbare.

V. 352. PLURAQUE PER PARTES SUBRUPTO TEMPORE SIGNA TERRAE QUAERENTUR MEDIO CELATA TUMORE. *Subrupto* quidem codices, et mox 355, *eruptis*; pro *ſubrepto* et *ereptis*. Vetuſti quoque omnes hoc ordine,

Quaerentur medio terrae *celata tumore*.

Repone,

Pluraque, per partes SUBREPTO *tempore, ſigna*
Quaerentur, medio terrae celata tumore.

Tempore per partes ſubrepto, donec duo, tres, quattuor, quinque, et ſub polo ipſa ſex demum *menſes erepti erunt*.

V. 354. ADDUCENTQUE SIMUL PHOEBUM TEXENTQUE TENEBRAS. *Adducent* explicat Scaliger ex notiſſimo Homeri loco,

Εγγὺς γὰρ νυκτός τε καὶ ἤματος εἰσι κέλευθοι.

Adducent Phoebum et tenebras, breviſſimo noctis momento interiecto. Multa hic peccantur. Breviſſimo *diei* momento oportuit, non *noctis*. Non enim de longis diebus hic agitur, ſed longis noctibus. Volebat, opinor, Scaliger noctem ibi eſſe pene xxiv horarum. Atqui noctem menſtruam iam auctor memoraverat verſu 348; et procedenti polum verſus nox creſcit. Denique verba ipſa ſenſum iſtum ferre nequeunt. Repone, quod et Huetius vidit,

ABDUCENTQUE *ſimul Phoebum, texentque tenebras.* ut contra verſu 380.
Adducitque ſimul luces, tenebraſque relinquit.

V. 358. AETERNAS SUPER IRE NIVES ORBEMQUE RIGENTEM. Repone,

BOREAMQUE *rigentem.*

ut Noſter i, 321.

Proxima fulgentes arctos boreamque rigentem.

V. 359. PRONA LYCAONIAE SPECTANTEM MEMBRA PUELLAE. *Prona membra*, inquit Scaliger, *ad illos reſpicientia, qui directo ſub polo ſita ſunt.* Non hoc voluit auctor: ſed quia *puellae* dixerat, *prona* membra addidit; ut indicaret non puellae iam formam habere, ſed urſae. Ovidius Met. i, 84.

Pronaque *cum ſpectent animalia cetera terram,*
Os homini ſublime *dedit.*

Ovidius de Iunone, cum puellam hanc in urſam transformaret, Metam. ii, 477.

Dixit, et adverſa prenſis a fronte capillis,
Stravit humi pronam.

Statius Theb. vi, 277.

Io poſt tergum, iam prona, *dolorque parentis.*

Gemblacenſis et Lipſienſis *prima* in textu, et *prona* pro lectione varia.

V. 360. LATERUMQUE MEATUS TURBINIS IN MOREM RECTA VERTIGINE CURRIT. Venetus et Lipſienſis *meatum*; Gemblacenſis

Turbinis in morem recta vertigine curret.
Inde tibi obliquo sex tantum signa patebunt
Circuitu, nullos umquam fugientia visus,
Sed teretem inclini mundum comitantia spira.
Hic erit una dies per senos undique menses,
Dimidiumque trahens contextis lucibus annum:
Numquam erit occiduus quod tanto tempore Phoebus,
Dum bis terna suis perlustrat curribus astra;
Sed circumvolitans recto visetur ab axe.
At simul e medio praeceps descenderit orbe,
Inferiora petens devexo sidera curru,

Et

Vulg. v. 361. CURRIT. 364. ACCLINI——SEMPER. 368. CURSIBUS. 369. VERSATUR ab ORBE. 371. DEIECTO——CURSU.

Gemblacensis et Vossianus *meatu*. Repone,

laterumque MEATU

Turbinis in morem recta vertigine CURRET.

Caelum curret meatu *laterum*; ipse enim *vertex* stabit et non movebitur.

V. 364. SED TERETEM ACCLINI MUNDUM COMITANTIA SEMPER. Cur substantivum suum deest τῷ *acclini?* Immo, ex mente Scaligeri, *circuitu* subauditur ex versu praecedente. Nego hoc admitti posse; cum intercesserit colon sensus diversi, *nullos umquam fugientia visus*. Sed esto: quid sibi vult *acclini circuitu?* *Id est*, inquit, *circuitu incumbente in horizontem, et ipsum stringente*. Quid narrat? An *sex* signa circuitu suo incumbent in horizontem, qui, in hac sphaera parallela, aequator est? Nonne finis geminorum et initium cancri (si in eius initio solstitium ponitur) aberunt ab horizonte gradus 23, 30'? Repono,

Sed teretem INCLINI *mundum comitantia* SPIRA.

Inclini, ἀκλινεῖ, non inclinante *spira*, sed semper horizonti parallela. Sic i, 595 de circulis parallelis;

His eadem est via, quae mundo; pariterque rotantur
Inclines, *sociosque ortus occasibus aequant.*
Intervalla pari servantes limite semper.

Inclines; non ex Scaligeri solum emendatione, sed sic vetusti omnes habent. *Spira*; ut i, 573, de aequatore;

Tertius in media mundi regione locatus
Ingenti spira *totum circumdat olympum.*

Ubi pro *spira* codices universi *spera*: unde tanto facilius hic mutari potuit in *semper*. Neque obiicias, quod asperior exit versus, vocali correpta ante *sp*. Sic enim Virgilius, Aen. xi, 308.

Spem siquam accitis Aetolum habuistis in armis
Ponite. spes *sibi quisque: sed haec quam angusta videtis.*

Horatius Serm. i, ii, 30.

Contra alius nullam, nisi olente in fornice stantem.

V. 368. DUM BIS TERNA SUIS PERLUSTRAT CURSIBUS ASTRA. Repone CURRIBUS: ut mox versu 372 de eodem;

Et dabit in pronum laxas effusus habenas.

et 379.

Dum sex submersis vectatur *Phoebus in astris.*

Perlustrat curribus, ut Virgilius Aen. ix, 57.

huc turbidus atque huc Lustrat equo *muros.*

V. 369. SED CIRCUMVOLITANS RECTO VERSATUR AB ORBE. Quid quaeso est, Phoebus *versatur* ab orbe? περιάγεται, inquit Scaliger, circumvertitur ut turbo. Ergone,

Et dabit in pronum laxas effufus habenas;
Per totidem menfes iunget nox una tenebras
Vertice fub caeli. nam quifquis fpectat ab axe,
Dimidium e toto tantum videt orbe rotundi :
Pars latet inferior. neque enim circumvenit illum
Recta acies, mediaque tenus diftinguitur alvo.
Effugit ergo oculos fummo fpectantis ab axe,
Dum fex fubmerfis vectatur Phoebus in aftris:
Sideribus donec totidem quot menfibus actis,
Cefferat unde, redit; geminafque afcendit ad arctos;
Adducitque fimul luces, tenebrafque relinquit.

Hic

Vulg. v. 374. OMNI. 375. ET——MUNDUM——ROTUNDO. 378. ORBE.

gone, ex auctoris doctrina, sol non movet vertitque fe, fed ab alio movetur et vertitur? Mendofa haec funt; nam et verfus fequens verbo *orbe* terminatur. Venetus, Lipfienfis, Voffianus, *verfetur ab orbe*. Repone,

Sed circumvolitans recto VISETUR *ab* AXE.

Non occiduus *erit*, fed *vifetur*.

V. 371. INFERIORA PETENS DEIECTO SIDERA CURSU. Iterum repone CURRU: et probat verfus fequens. Vide verfum 368. Sed *deiecto* non belle convenit; ne forte ex Phoebo Phaëthonta habeamus. Repone,

Inferiora petens DEVEXO *fidera* CURRU.

Silius Italicus, iv, 482.

Condebat noctem devexo *Cynthia* curru.

V. 373. PER TOTIDEM MENSES IUNGET NOX UNA TENEBRAS. VERTICE SUB CAELI NAM QUISQUIS SPECTAT, AB OMNI DIMIDIUM ET TOTO MUNDUM VIDET ORBE ROTUNDO. Scaliger ad verfum 369, *fequentes*, ait, *verfus*, *atque adeo tota haec tractatio fupra omnes elegantias eft*. Mjror hoc ab eo dici; qui ipfe inter magnos poëtas iure numeratur. Sane haec, ut ab auctore profecta funt, funt elegantiffima: fed, ut a Scaligero edita funt, plerumque abfurda. Iam habuimus *verfatur ab orbe*, pro *vifetur ab axe*; *deiecto curfu* pro *devexo curru*; et plura huiufmodi reftant: de hoc vero loco quid tandem iudicabimus? Ordo eft; *Quifquis fpectat fub vertice caeli, videt dimidium mundum ab omni et toto orbe rotundo*. Quale igitur illud, *ab omni et toto orbe?* Nonne idem *omni* quod *toto?* Ἑλληνισμὸς, inquit, *ἀπὸ παντὸς καὶ ὅλυ*. Bene vero quod Graecum eft; et, ut librarii Latini olim dicebant, *non poteft legi*. Piget tam ineptis diutius haerere. Venetus, *ex toto:* vetufti quattuor *rotundi* pro *rotundo*. Repone, et diftingue,

Per totidem menfes iunget nox una tenebras
Vertice fub caeli. nam quifquis fpectat ab AXE,
Dimidium E *toto* TANTUM *videt orbe* ROTUNDI.

Sub caeli vertice, id eft fub polo, *nox erit per fex menfes*. Verum hoc eft, fed ratio quaeritur. *Quifquis enim*, inquit, *ab axe*, five a caeli vertice, *fpectat*, *dimidium tantum videt e toto rotundi orbe*. Et hoc verum eft. *Rotundi*, fubftantive et neutrius generis; fic et fupra verfu 328.

V. 378. EFFUGIT ERGO OCULOS SUMMO SPECTANTIS AB ORBE. Gemblacenfis *ore:* iterum repone AXE, ut verfu 374.

V. 382. ADDUCITQUE SIMUL LUCES TENEBRASQUE RELINQUIT, SIDERIBUS

Hic locus in binas annum noctesque diesque
Per duo partitae dirimit divortia terrae.
Et quoniam quanto variantur tempora motu,
Et quibus e causis, dictum est; nunc accipe, signa
Quot surgant in quoque loco, cedantque per horas:
Partibus ut prendi possint orientia certis,
Ne falsus dubia ratione horoscopos erret.
Atque hoc in totum certa sub lege sequendum;
Singula quod nequeunt, per tot distantia motus,
Temporibus numerisque suis exacta referri,
A me sumat: iter positum sibi quisque sequatur,
Perque meos tendens gressus mihi debeat artem.
Quacumque hoc parte in terrarum quisque requiret,
Deducat proprias noctemque diemque per horas;
Maxima sub cancro minimis quae cingitur umbris:
Et sextam summae, fuerit quae sorte, diurnae

Vicino

Vulg. v. 394. SUOS TENDAT. 395. PARTI.

DONEC TOTIDEM, QUOT MENSIBUS ACTIS, CESSERAT UNDE, REDIT; GEMINASQUE ASCENDIT AD ARCTOS. Sic quidem libri scripti editique. Sed quale sodes hoc est? *Phoebus*, in sphaera parallela, *adducit luces, et relinquit tenebras, donec post sex menses*, ultra aequatorem actos, *redit ad arctos?* Contrarium prorsus verum est: *non* adducit luces, donec ad arctos redierit. Muta ordinem versuum, et sanus erit locus,

Sideribus donec totidem quot mensibus actis,
Cesserat unde, redit; geminasque ascendit ad arctos;
Adducitque simul luces, tenebrasque relinquit.

V. 391. SINGULA QUOD NEQUEUNT. Ordo est, *Quod singula, per tot motus distantia* ac diversa, *nequeunt referri.*

V. 394. PERQUE SUOS TENDAT GRESSUS: MIHI DEBEAT ARTEM. Nequeo concipere, quid sit tendere per *suos* gressus: nisi *sua* ipsum vestigia legere vel relegere. Quorum sensuum neutrum hic convenit. Repono,

Perque MEOS TENDENS *gressus mihi debeat artem.*

V. 395. PARTI TERRARUM. Gemblacensis, *parte terrarum*: Vossianus, *para terrarum*: Lipsiensis, *parat iter rarum. Parti*, Plautus et Lucretius. Sed hic non est opus. Lege,

Quacumque hoc PARTE IN *terrarum quisque requiret.*

V. 403. ADVERSO NASCENTIS SIDERE TAURI. Repone, quod et Huetius indicavit, AVERSO. Ordo est, *Tantum temporis tribuatur ad ortus tauri, surgentis averso sidere.*

V. 404. HAS INTER QUASQUE ACCIPIET NEMEEIUS HORAS. *Nemeeius* a Scaligero est: Noster saepe *Nemeaeus* habet, ut

Vicino tribuat poſt cancri templa leoni.
At quae nocturnis fuerit menſura tenebris,
In totidem partes ſimili ratione ſecanda eſt:
Ut, quantum una ferat, tantum tribuatur ad ortus
Temporis averſo naſcentis ſidere tauri.
Has inter, quaſque accipiet Nemeaeus in ortus,
Quod diſcrimen erit, per tres id divide partes;
Tertia ut accedat geminis, quae tempora tauro
Vinciat, atque eadem cancro, ſimiliſque leoni:
Sic erit ad ſummam ratio perducta priorem,
Quam modo diviſis Nemeaeus duxerat horis.
Inde pari virgo procedat temporis auctu:
Sed certa ſub lege, prioris ſemper ut aſtri
Incolumem ſervent ſummam, creſcantque novando.
His uſque ad chelas horarum partibus aucta,
Per totidem a libra decreſcent ſidera partes;

Et

Vulg. v. 403 ADVERSO. 404. NEMEEIUS HORAS. 409. QUOMODO—NEMEA SIBI DUXERIT. 412. SERVET—CRESCENSQUE. 413. DENAS—AUCTIS. 414. LIBRAE—SIDERE.

ut Ovidius aliique; nuſquam niſi hic *Nemeëius*. Libri univerſi, *Nemeaeus in horas*. Repone,

Has inter quaſque accipiet NEMEAEUS IN ORTUS.

Has *partes* inter; non has *horas*, ut Scaliger. Et ut antea verſu 402, tribuatur *ad ortus* tauri; ita nunc, *leo accipiet in ortus*.

V. 409. QUOMODO DIVISIS NEMEA SIBI DUXERIT HORIS. Libri veteres *Nemea ſi*: recentiores *Nemeaeus duxerit*: *Nemea* pro leone miror ut Scaligero placuerit. Repone,

Sic erit ad ſummam ratio perducta priorem,
QUAM MODO *diviſis* NEMEAEUS DUXERAT *horis*.

Quam ſummam, ſcilicet *ſexeam ſummae diurnae*, leo duxerat verſu 399. Planum hoc ex diagrammate.

V. 410. INDE PARI VIRGO PROCEDAT TEMPORIS AUCTU. Codices univerſi *actu*. Recte emendavit Scaliger *temporis auctu*. Et fruſtra obnititur Huetius, mendoſa loca in teſtimonium proferens. Sic Plinius Hiſt. ii, 17. *Sol bis permutatis ſpatiis, in* auctum diei, *bruma; noctis vero, ſolſtitio*. Fidem facit verbum, a quo ducitur: nam in hoc ſenſu dicimus, tempus *augetur*, non *agitur*.

V. 412. INCOLUMEM SERVET SUMMAM, CRESCENSQUE NOVANDO. Hoc non ad virginem ſolam ſpectat, ſed ad quinque ab ariete priora ſidera. Repone igitur,

prioris ſemper ut aſtri
Incolumem SERVENT *ſummam*, CRESCANTQUE *novando*.

Creſcant novando; ut ſupra iii, 284.

Hora novo creſcit *per ſingula ſigna quadrante*.

V. 413. HIS USQUE AD DENAS HORARUM PARTIBUS AUCTIS PER TOTIDEM A LIBRAE DECRESCENT SIDERE PARTES.

Quid

Et quantis utrimque modis tollentur ad ortus,
Diverſam in ſortem tantis mergentur ad umbras.
Haec erit horarum ratio ducenda per orbem,
Illa quot ſtadiis oriantur quaeque cadantque:
Quae cum tercentum numeris vicenaque conſtent,
Detrahe tot ſummae partes, quot ademit utrimque
Omnibus ex horis aeſtivae nomine lucis,
Solſtitium ſummo peragit dum Phoebus olympo.
Quodque his exuperat demptis, id didito in aequas
Sex partes, ſextamque ardenti trade leoni.
Rurſus qui ſteterit numerus ſub nomine noctis,
Eius erit ſigno tauri pars illa dicanda.
Quodque hanc exuperat partem, ſuperatur ab illa,
Diſtinguitque duas medio diſcrimine ſummas;

Tertia

Vulg. v. 415. IN UTRUMQUE. 420. DETRAHITUR ſummae TOTA PARS QUOTA DEMIT. 421. MOMINE NOCTIS. 425. MOMINE.

Quid hoc eſt? *Uſque ad denas auctis*; cum ex ipſo auctore et diagrammate ad eius doctrinam accommodato, clarum ſit *per vicenas* partes augeri? Libri omnes, *ſidera*, non *ſidere*. Repone,

His uſque ad CHELAS *horarum partibus* AUCTA,
Per totidem a LIBRA *decreſcent* SIDERA *partes.*

Chelae et *libra* idem ſignum eſt. Ab ariete uſque ad libram creſcunt ſidera per partes vicenas; a libra uſque ad piſces per partes totidem decreſcunt.

V. 415. ET QUANTIS IN UTRUMQUE MODIS TOLLENTUR AD ORTUS. *In utrumque* quid ſit neſcio. *In* a Voſſiano abeſt. Repone,

Et quantis UTRIMQUE *modis tollentur ad ortus.*

Utrimque, tam ſex borealia ſigna, quam auſtralia. Cave autem, ne interpreteris *quantis modis* et *tantis*, quot modis et tot. *Numerus* vicenarum horae partium eſt *quotus*; *modus* eſt *quantus*.

V. 420. DETRAHITUR SUMMAE TOTA PARS, QUOTA DEMIT UTRIMQUE. *Tota* hic, τοσαύτη, priore brevi; cui reſpondet *quota*. Negat tamen hoc poſſe Servius ad Aen. i, 189 *Plerique*, inquit, *derivationem ducunt ab eo quod eſt* tot, totus; *ut ab eo quod eſt* quot, quotus. *Sed illud notandum; cum* tot *naturaliter brevis ſit*, totus *producitur:* quotus *vero ſecundum ſuam originem brevis permanet.* Quid igitur fiet? Aut librarii hic condemnandi erunt, aut auctor ipſe in periculo erit famae et aetatis. Dico verba eſſe mendoſa. Si enim *quota* hic in mendo eſt, ſimul erit et *tota*. Atqui *quotam demit Phoebus* dicendum erat, non *quota*: quod quo caſu Scaligeri narem effugerit miror. Venetus et Voſſianus *quod ademit*, hoc eſt *quot*; nam paſſim permutantur. Gemblacenſis clare, *quot ademit*. Repone,

DETRAHE TOT *ſummae* PARTES, QUOT ADEMIT *utrimque.*

Detrahe, inquam, ſcribendum, ut verſu 405. *per tres id* divide *partes*. et 423. *id* didito *in aequas Sex partes*. et 454. *totum in partes ita*

digere

Tertia pars eius numero ſuperaddita tauri
Traditur. et geminis. ſimili tunc cetera lucro
Procedunt, numeros ſemper tutata priores;
Augebuntque novo vicinas munere ſummas,
Donec perveniant ad iuſtae ſidera librae:
Ex illa totidem per partes ſic breviantur,
Lanigeri ad fines: converſaque omnia lege
Accipiunt redduntque pares cedentia ſortes.
Haec via monſtrabit ſtadiorum ponere ſummas,
Et numerare ſuos ortus per ſidera cuncta.
Quod bene cum propriis ſimul acceptaveris horis,
In nulla fallet regione horoſcopos umquam;
Cum poterunt certis numerari ſingula ſigna
Temporibus, parte ex illa quam Phoebus habebit.

Nunc

Vulg. v. 432. NOVEM VICENAS MOMINA. 433. TEMPORA. 435. MOMINA LEGEM. 436. PERDUNT.

digere *tempus*. Abeat igitur *tota pars* illuc, ubi *pars toto* aequatur, et omnia abſurda habitant.

V. 421. OMNIBUS EX HORIS AESTIVAE MOMINE NOCTIS. *Momine* a Scaligero eſt, libri omnes *nomine*; quod recte aſſerit explicatque Huetius: ſed aliud reſtabat corrigendum. Non enim *noctis nomine* hoc fit, ſed *diei*. *Nomen noctis* mox habes verſu 425. Repone igitur,

Omnibus ex horis aeſtivae NOMINE LUCIS.

V. 425. SUB MOMINE NOCTIS. Iterum repone, NOMINE. Libri hic veteres *numine*.

V. 432. AUGEBUNTQUE NOVEM VICENAS MOMINA SUMMAS. Haec portenta ſunt, *novem* et *vicenas*: in quibus explicandis ingenium fruſtra attrivit Scaliger. Libri veteres, *vicinas munera*. Repone,

Augebuntque NOVO VICINAS MUNERE *ſummas*.

Novo munere augebunt, ut ſupra verſu 284.

Hora novo creſcit *per ſingula ſigna quadrante*.

Vicinas ſummas, hoc eſt, vicinorum ſiderum ſummas.

V. 433. AD IUSTAE TEMPORA LIBRAE. Vetuſti omnes, *ad iuſtae* SIDERA *librae*.

V. 435. CONVERSAQUE MOMINA LEGEM ACCIPIUNT, PERDUNTQUE PARES CEDENTIA SORTES. Haec inepta et mendoſa ſunt. Libri veteres, *converſaque omnia lege*. Repone,

converſaque OMNIA LEGE
Accipiunt REDDUNTQUE *pares cedentia ſortes*.

Ordo eſt, *Converſaque lege, omnia accipiunt pares ſortes, cedentiaque reddunt. Converſa lege*, id eſt, mutata vice, ut Noſter iii, 469.

Rurſus et incipiunt propria de ſorte diebus
Cedere converſa *labentia tempora* lege.

et iii, 649. *Convertitque vices*.
et iii. 265.

Atque ibi converſis vicibus *mutantur in horas*
Brumales.

Accipiunt redduntque, antitheta noſtro ſollemnia. Virgilius Aen. viii, 449.

alii taurinis follibus auras
Accipiunt redduntque.

V.

Nunc quibus hiberni momentis ſurgere menſes
Incipiant (neque enim paribus per ſidera cuncta
Procedunt gradibus, nivei dum vellera ſigni
Contingant, aequum luces cogentia et umbras
Ferre iugum) magna eſt ratio, breviterque docenda.
Principio capienda tibi eſt menſura diei,
Quam minimam capricornus agit; noctiſque per horas
Quam ſummam, quoque ab iuſto ſuperaverit umbra,
Et trepident luces, eius pars tertia ſigno
Tradenda eſt medio: qua ſemper ſorte retenta;
Dimidia ut vincat primum, vincatur et ipſum
Extremo, totum in partes ita digere tempus.
His opibus tria ſigna valent. ſed ſumma prioris
Accedit numeri coniuncta ſequentibus aſtris.
Sic erit, ut ternis fuerit ſi longior horis

Brumali

Vulg. v. 453. DIMIDIO vincat. 457. CESSERIT.

V. 452. TRADENDA EST MEDIO SEMPER: QUA SORTE RETENTA DIMIDIO VINCAT PRIMUM, VINCATUR ET IPSUM EXTREMO; TOTUM IN PARTES ITA DIGERE TEMPUS. Lege et diſtingue,

Tradenda eſt medio: QUA SEMPER *ſorte retenta*;
DIMIDIA UT *vincat primum, vincatur et ipſum*
Extremo, totum in partes ita digere tempus.

Ita digere, *ut* vincat. Sic digere totum tempus in partes; ut medium ſignum dimidia parte vincat primum, et ab extremo dimidia vincatur.

V. 455. HIS OPIBUS TRIA SIGNA VALENT. SED SUMMA PRIORIS ACCEDIT NUMERI CONIUNCTA SEQUENTIBUS ASTRIS, CESSERIT UT: TERNIS FUERIT SI LONGIOR HORIS. Quis, cui ulius harum rerum guſtus eſt, ſententiam ſic terminaverit, *Ceſſerit ut?* Locus mendoſiſſimus. Ex his tribus priores duo ſpurii ſunt et inepti. Quorſum enim pertinet. *valent his opibus?* De *opibus* ſignorum (nuſquam alias ſic loquitur) ſive de viribus, effectibus, hic non agitur. *Summa*, inquit, *prioris numeri accedit coniuncta.* Si *coniunctam*, quod puto, duplicatam intelligit, falſum eſt; ſi aliter, *accedit coniuncta* bis rem eandem dicit. His ſpuriis ſublatis; vide, ut apte cohaereant omnia:

[*ipſum*
Dimidia ut *vincat primum, vincatur et*
Extremo, totum in partes ita digere tempus.
SIC ERIT, *ut, ternis fuerit ſi longior horis*
Brumali nox ſorte die, capricornus IN *hora*
Dimidia attollat luces.

Sic erit, ſic eveniet, ut capricornus in dimidia hora, &c. Omnes codices vetuſti *in hora.*

V. 459. ET AQUARIUS HORAE IPSE SUAM PROPRIAE DUCAT, SUMMAEQUE PRIORIS ADIUNGAT. Repone.

et aquarius horae
Ipſe ſuam SORTEM *ducat, ſummaeque* PRIORI *Adiungat.*

Suam

Brumali nox forte die, capricornus in hora
Dimidia attollat luces; et aquarius horae
Ipfe fuam fortem ducat, fummaeque priori
Adiungat: pifces tantum fibi temporis ipfi
Conftituant, tantum accipiant de forte priorum;
Ut tribus expletis horis, noctemque diemque
Lanigero tradant aequandam tempore veris.
Incipit a fexta tempus procedere parte
Dividuum: duplicant vires haerentia figna;
Ultimaque acceptas triplicant. ita fumma diebus
Redditur: aequato folvuntur foenere noctes:
Rurfus et incipiunt propria de forte diebus
Cedere converfa labentia tempora lege.
Namque aries totidem deducit noctibus horas,
Quot prius abftulerant proprio fub nomine pifces..

Hora

Vulg. v. 458. UT. 460. PROPRIAE——PRIORIS. 462. QUANTUM. 463. ET. 470. DIVERSA.

Suam horae fortem, id eft, fuam quoque dimidiam; ut priori fummae adiuncta fiat hora integra. *Priori* codices univerfi.

V. 462. QUANTUM ACCIPIANT DE SORTE PRIORUM, ET TRIBUS EXPLETIS. Repono,

TANTUM *accipiant de forte priorum,*
UT *tribus expletis.*

Tantum fua forte, tantum de priorum forte accipiant, *ut* tres integrae horae fiant. *Ut tribus*; ut mox verfu 473.

cumulentque ut *damna priora.*

V. 467. ULTIMAQUE ACCEPTAS TRIPLICANT: ITA SUMMA DIEBUS. *Ita fumma diebus, epilogus eft*, inquit Scaliger. Tam brevis vero epilogus? Quis hoc admittat? Nimirum in fcriptis et editis fequebatur verfus, nunc 470.

ita fumma diebus
Cedere diverfa labentia tempora lege.

Quae cum nullo caemento cohaererent, Scaliger hic fuum *epilogum* fecit; et verfum nunc 470 conftituit poft verfum nunc 469. Recte hanc partem executus eft; fic enim eft conftituendus. Sed miror tam fagacem animum non et illud vidiffe, verfus nunc 468 et 469 fuo pariter loco motos effe: nam et in fcriptis et in eius editione veniunt poft verfum nunc 474. Repone,

ita fumma diebus
Redditur: aequato folvuntur foenere noctes.

Ita, cum ad arietem ventum eft, *fumma* fua xii horarum *diebus redditur*; et *noctes*, qui horas foenere fumpferant, *folvuntur*; ut nihil diebus iam debeant.

V. 470. DIVERSA LABENTIA TEMPORA LEGE. *Diverfa* codices univerfi. Sed leges *diverfae* poffunt effe infinitae. Repone,

Cedere CONVERSA *labentia tempora lege.*

Converfa lege, vice mutata: ut iifdem gradibus deorfum defcendant, quibus furfum afcenderant. Vide verfum 435.

Hora datur tauro : cumulentque ut damna priora ,
Dimidiam adiungunt gemini . ſic ultima primis
Reſpondent , pariterque illis quae proxima fulgent :
Et media aequatis cenſentur viribus aſtra .
Praecipuoſque gerunt varianda ad tempora motus ,
Hac vice deſcendunt noctes a ſidere brumae ,
Tolluntorque dies ; annique invertitur ordo ,
Solſtitium tardi dum fit ſub ſidere cancri .
Tuncque diem brumae nox aequat tempora noctis
Longa dies , *ſimilique redit* , *quam creverat* , *actu* .
Illa etiam poterit naſcens via ducere ad aſtrum ,
Quod quandoque vadis emiſſum redditur orbi .
Nam quota ſit lucis , ſi luce requiritur , hora
Aſpicies ; atque hunc numerum revocabis in ipſum
Multiplicans decies ; adiectis inſuper eidem
Quinque tamen ſummis : quia qualicumque ſub hora
Ter quinas mundi ſe tollunt ſidera partes .

Hic

Vulg. v. 478. DISCEDUNT. 479. ORBIS. 480. CUM.

V. 474. SIC ULTIMA PRIMIS RESPONDENT. Vides iam, ut apte cohaereant omnia. Ultima primis reſpondent; et proxima proximis. Gemini capricorno, taurus aquario, aries piſcibus. At ante nos ferebatur,

ſic ultima primis
Redditur : aequatae, &c.

ſenſu prorſus nullo : fatente quidem Scaligero, Huetio autem fruſtra obnitente.

V. 477. PRAECIPUOSQUE GERUNT VARIANDA AD TEMPORA MOTUS. Et hic quoque verſus ſpurius. Quia auctor dixerat, *media aſtra* cenſeri aequatis viribus ; hoc eſt, piſces et arietem, qui *medii* ſunt inter capricornum et geminos, utrumque *tribus horis* cenſeri ; hic cuculus *media* illa pro *cardinibus* accepit, ariete et libra : in quo et Huetio impoſuit. Qualis vero locutio eſt, *gerere motus?* Ubique fere interpolator hic, praeter ſenſum aut alienum aut falſum, etiam barbarie ſua ſe prodit.

V. 478. HAC VICE DISCEDUNT NOCTES A SIDERE BRUMAE. Quomodo *diſcedunt?* Cadunt tantum et breviantur ; nuſquam abeunt. Repone,

Hac vice DESCENDUNT *noctes a ſidere brumae.*

Deſcendunt noctes, *tolluntur* dies.

V. 479. ANNIQUE INVERTITUR ORBIS *Anni orbis*, ut Virgilius Aen. v, 46.

Annuus *exactis completur menſibus* orbis.

Sed cum *invertitur* dicit, non placet *orbis :* quid enim orbem poterit invertere? Repone,

Tolluntorque dies ; annique invertitur ORDO.

Ordo vertitur, *invertitur*, *convertitur*, *permutatur*, paſſim occurrunt.

Noſter

Hic ubi conſtiterit numerus, coniungere et illas,
Quae ſuperent Phoebo partes per ſigna, memento.
Ex hac tricenas ſumma per ſidera partes
Diſtribues; primamque vicem, quo Phoebus in aſtro
Fulſerit: inde aliis, ſolem quaecumque ſequentur.
Tum, quo ſubſiſtet numerus conſumptus in aſtro,
Quave in parte ſuam ſummam momenve relinquit,
Haec erit exoriens et pars, et forma. per ignes
Continua partes. ubi ſummam feceris unam,
Tricenas dabis ex illa per ſingula ſigna,
Donec deficiat numerus. quaque ille ſub aſtri
Parte cadat, credas illam cum corpore natam
Eſſe hominis, pariterque orbem vidiſſe per ignes.
Sic erit ipſe tibi rapidis quaerendus in aſtris
Natalis mundi, certoque horoſcopos ortu:
Ut cum exacta fides ſteterit ſub cardine primo,
Fallere non poſſint ſummi faſtigia caeli,

Non

Vulg. v. 494. HINC. 505. EX HOC SEDES. 506. POSSIT.

Noſter i, 488. *mutatove* ordine *fertur.*
iii, 196. *naturae vertitur* ordo.
et 234. *idem ſtat menſibus* ordo.

V. 480. CUM FIT. Recte Scaliger in notis, DUM *fit.*

V. 481. TUNCQUE DIEM BRUMAE. Iterum verſus adulterini et inepti. *Redit dies,* pro *decreſcit*; *ſimili, quam* pro *ac* vel *atque*: *ſimili actu*; immo diſſimili et contrario: et ipſum *actu* in hac ſententia barbare.

V. 494. HINC ALIIS. Libri vetuſti, INDE *aliis.*

V. 505. UT CUM EX HOC SEDES STETERIT SUB CARDINE PRIMO. Gemblacenſis, Venetus, Voſſianus, *Ut cum ex hac fides*; Lipſienſis quoque, ſed addit pro varia lectione, *ſedes.* Repone,

Ut cum EXACTA FIDES *ſteterit ſub cardine primo.*

Exacta, explorata, certa. *Fides ſteterit.* ut Noſter ii, 751.

Ut cum perceptis ſteterit fiducia *membris.*

V. 506. FALLERE NON POSSIT SUMMI FASTIGIA CAELI SIGNIFER OBLIQUUS. Pro *Signifer obliquus* Gemblacenſis, *Non ferret oblitus*: Lipſienſis, *Non feret oblitus*; Venetus, *Conferet oblitus*; Voſſianus, *Noſceret oblitus.* Hic Scaliger, *Nuſquam*, inquit, *felicius coniectura nobis ceſſit olim, quam cum* Signifer obliquus *dederimus pro* Non feret oblitus. Di meliora, vir magne; quam ut omnes tuae coniecturae ex hac cenſeantur. Nam, ne dicam nuſquam alias apud Noſtrum τὸ *ſignifer* haberi; ſenſum aliquem in his inveſtigo, nec ullum re-

perire

Non ſeri te obitus: ſtent fundamenta ſub imo;
Stent veri ſtellarum ortus, verique ſubortus.
Omniaque in proprias vires ſorteſque recedant.
Nunc ſua reddentur generatim tempora ſignis,
Quae diviſa etiam proprios ducuntur in annos,
Et menſes, luceſque ſuas, horaſque dierum,
Per quae praecipuas oſtendunt ſingula vires.
Primus erit ſigni, quo sol effulſerit, annus;
Annua quod luſtrans conſumit tempora mundum.
Proximus atque alii ſubeuntia ſigna ſequuntur.
Luna dabit menſes, peragit quod menſtrua curſum.
Tutelaeque ſuae primas horoſcopos horas
Aſſerit atque dies, traditque ſequentibus aſtris.

Sic

Vulg. v. 507. SIGNIFER OBLIQUUS. 509. DENIQUE UT. 515. ANNUM—— CONSUMMAT——MUNDI.

perire queo. Tentemus, ut nobis quoque cadat alea. Repono,

Ut cum exacta fides ſteterit ſub cardine primo;
Fallere non POSSINT *ſummi faſtigia caeli,*
NON SERI TE OBITUS; *ſtent fundamenta ſub imo.*

Ut cum certus ſis de horoſcopo qui cardo primus eſt, tres reliqui, in ſummo caelo, in occaſu, et in imo caelo, non poſſint te fallere: cum primo invento, certa ſit ceterorum ſtatio; orbe toto in quattuor aequales partes diviſo. Par locus eſt de quattuor cardinibus, ſupra iii, 217.

Quae pars exortum, vel quae faſtigia mundi,
Aut ſeros obitus, *aut imum obſederit orbem.*

Sed et ibi *ſeros obitus* corruperunt librarii.

V. 508. STENT VERI STELLARUM ORTUS VERIQUE SUBORTUS. Quid hoc eſt, *ortus* et *ſubortus? Subortus*, inquiunt, eſt *occaſus*. Hoc portenti inſtar eſt; cum *ſuboriri* ſit *oriri*, ut *ſubortus* contra ſit occaſus. Verſus eſt ſpurius, ab indocto quodam huc intruſus, et aſtronomiae et ſermonis imperito Cum videret in depravata illa lectione *occaſus* praeteriri; addidit de ſuo, et *ſubortus* appellavit. Cum neſciret horoſcopum ipſum in cardine primo ſemper notare *ortum*; etiam hoc quaſi praeteritum ſupplevit tenebrio;

Stent veri ſtellarum ortus.

V. 509. DENIQUE UT IN PROPRIAS VIRES SORTESQUE RECEDANT. *Denique ut* a Scaligero eſt; cum prius editi habuerint *Dena quod*. Vetuſti omnes, *Denaque in proprias*. Repone,

ſtent fundamenta ſub imo;
OMNIAQUE *in proprias vires ſorteſque recedant.*

Quattuor cardinum loca intelligit.

V. 515. ANNUM QUOD LUSTRANS CONSUMMAT TEMPORA MUNDI. In hac lectione ordo erit, ut opinor, *Quod sol, luſtrans annum, conſummat tempora mundi.* Nec quid ſit *luſtrare annum*; nec *mundi tempora* quae ſint, intelligo. *Conſummat* a Scaligero eſt, libri omnes *conſumit*: Voſſianus inſuper, *mundum*. Repone,

ANNUA *quod luſtrans* CONSUMIT *tempora* MUNDUM.

Quod sol, luſtrans mundum, conſumit annua tempora. Luſtrat loca, non tempora. Noſter i, 520.

quotieſque recurrens
Luſtravit mundum *vario sol igneus orbe.*

iii,

Sic annum, menſeſque ſuos natura dieſque,
Atque ipſas voluit numerari ſigna per horas:
Omnia ut omne foret diviſum tempus in aſtra,
Perque aliena ſuos variaret ſidera motus,
Ut cuiuſque vices ageret redeuntis in orbem.
Idcirco tanta eſt rerum diſcordia in aevo,
Et ſubtexta malis bona ſunt, lacrimaeque ſequuntur
Vota, nec in cunctos ſervat fortuna tenorem.
Uſque adeo permixta fluit, nec permanet uſquam;
Amiſitque fidem variando cuncta per omnes.
Non annis anni, nec menſes menſibus uſque
Conveniunt; ſeque ipſe dies, aliumque reviſit;
Horaque non ulli ſimilis producitur horae.

Tempora

Vulg. v. 523. ALTERNA. 527. CUNCTIS. 530 NON. 531. REQUIRIT.

iii, 213.

Ut totum luſtret *curvatis arcubus* orbem.

et 368.

Dum bis terna ſuis perluſtrat *curribus* aſtra.

Conſumit annua tempora, ut Lucretius v, 618.

Lunaque menſibus id ſpatium videatur obire,
Annua *sol in quo* conſumit tempora *curſu*.

V. 516. PROXIMUS ATQUE ALII. Proximus annus atque alii anni. Recte hoc Scaliger. Gemblacenſis et Lipſienſis, *atque illis*. Favet Voſſianus, qui habet *aliis*.

V. 520. SIC ANNUM MENSESQUE SUOS NATURA DIESQUE, ATQUE IPSAS VOLUIT NUMERARI SIGNA PER HORAS. Sic verba vulgo conſtruuntur, Natura voluit numerari *ſigna per annum*, et menſes, et dies, atque horas. Atqui iſta praepoſitionis traiectio ſine exemplo eſt, nec ferri poteſt. Ordo eſt, Natura voluit annum, menſes, dies, atque horas numerari *per ſigna*. *Signa per*, anaſtrophe: ut Virgilius *tranſtra per*, et *te ſine*. Quin et ſententia ipſa hoc poſtulat: ſequitur enim, *ut omne tempus diviſum foret in omnia aſtra*. Ut *tempus in aſtra*, ita *menſes*, &c. *per ſidera*.

V. 523. PERQUE ALTERNA SUOS VARIARET SIDERA MOTUS. Cur *per alterna* tantum, cum omnia in omnibus ſint. Repone,

Perque ALIENA *ſuos variaret ſidera motus.*

Sic Noſter ii, 963.

utcumque aliena *capeſſunt*
Regna.

et iv, 311.

Ne lateant aliae vires aliena per aſtra.

et 376.

Et genus externum referunt aliena per aſtra.

V. 527. NEC IN CUNCTIS SERVAT FORTUNA TENOREM. Vetuſti omnes recte, *in* CUNCTOS. Sic iv, 97.

Nec fortuna probat cauſas, ſequiturve merentes:
Sed vaga per cunctos *nullo diſcrimine fertur.*

V. 530. NON MENSES MENSIBUS USQUE. Libri veteres, NEC *menſes*. Gemblacenſis hic *uſquam*. Sed Lipſienſis et Voſſianus recte *uſque*. *Uſquam* iam habuimus verſu abhinc altero.

V. 531. SEQUE IPSE DIES ALIUMQUE REQUIRIT. Veteres libri *requirit*; recentiores

Tempora quod non ſtant propriis parentia ſignis,
Per numeros omnes aevi diviſa volantis:
Taleſque efficiunt vires, caſuſve minantur,
Qualia ſunt, quorum vicibus tum vertimur, aſtra.
Sunt quibus et caeli placeat naſcentis ab ortu,
Sidere, quem memorant horoſcopon, inventuris
Parte quod ex illa deſcribitur hora diebus,
Omne genus rationis agi per tempora et aſtra;
Et capite ex uno menſes annoſque dieſque
Incipere atque horas, tradique ſequentibus aſtris:
Et quamquam ſocia naſcuntur origine cuncta,
Diverſas tamen eſſe vices; quod tardius illa,
Haec citius peragunt orbem: venit omnis ad aſtrum

Hora

Vulg. v. 533. SISTANT. 535. MENSES, CASUSQUE. 536. CONVERTIMUR. 537. PATEAT——HORAE.

tiores *relinquit.* Illud placuit Scaligero: *dies ſe requirit, et alium:* quem alium ſibi ſimilem non reperit. Vix intelligo. Repone,

ſeque ipſe dies aliumque REVISIT.

Dies reviſit ſe, cum mane proximo renaſcitur. *Se et alium*, eodem acumine, quo Horatius, Carm. Saec. 9.

Alme sol, curru nitido diem qui
Promis et celas, aliuſque et idem
Naſceris.

V. 533. TEMPORA QUOD SISTANT PROPRIIS PARENTIA SIGNIS. *Siſtere*, inquit Scaliger, *abſolute, pro ſtare: niſi quis cenſeat legendum*, ſic ſtant. Senſus plane aliud deſiderat, quod repone;

Tempora quod NON STANT *propriis parentia ſignis.*

Non *ſtant*, ſuis ſignis parentia; ſed diviſa ſunt per omnes numeros.

V. 535. TALESQUE EFFICIUNT MENSES CASUSQUE MINANTUR. Cur *menſes* potius quam annos, dies, horas? Cur *caſus* tantum minantur, nulla commoda faciunt? Si ſolos caſus; non *variabunt*, ſed *unum tenorem ſervabunt*; contra hypotheſin. Repone,

Taleſque efficiunt VIRES, *caſuſ*VE *minantur.*

Ita ii, 962. *variaſque locorum*
Efficiunt vires.

Facilis librarii lapſus, *m̄ſes, wires.*

V. 536. QUALIA SUNT, QUORUM VICIBUS CONVERTIMUR, ASTRA. Vetuſti omnes; *vicibus* TUM VERTIMUR: recte. *Convertimur* a Scaligero eſt.

V. 537. SUNT QUIBUS ET CAELI PATEAT NASCENTIS AB HORAE SIDERE, QUEM MEMORANT HOROSCOPON, INVENTURIS; PARTE QUOD EX ILLA DESCRIBITUR HORA DIEBUS OMNE GENUS RATIONIS AGI PER TEMPORA ET ASTRA. Supra, dodecaeteridos rationem inceperat a ſigno, in quo tum ſol fuerit: nunc ex aliorum ſententia incipit eam ab ortu ſolis, quocumque in ſigno fuerit. Aggrediamur iam correctionem. *Et* non Scaligeri ſolum ingenio, ſed Gemblacenſis et Lipſienſis fide nititur. *Placeat* pro *pateat* etiam Scaligero placuit; ſed veritus eſt mutare. Atqui ita Voſſianus; et ſenſus flagitat. Sic infra verſu 682.

Sunt

Hora die bis, menſe dies ſemel, unus in anno
Menſis, et exactis bis ſex iam menſibus annus:
Difficile eſt in idem tempus concurrere cuncta,
Unius ut ſigni pariter ſit menſis et annus.
* Aſperiorem ut agat menſem: ſi menſis in aſtrum
Laetius inciderit, ſignum ſit triſte diei:
Si fortuna diem foveat, ſit durior hora.
Idcirco nihil in totum ſibi credere fas eſt;
Non annos ſignis, menſes vertentibus annis,
Menſibus aut luces, aut omnes lucibus horas:
Quod nunc illa nimis properant, nunc illa morantur;
Et modo deeſt aliis, modo adeſt; vicibuſque recedit
Aut redit; atque alio mutatur tempore tempus
Interpellatum

Vulg. v. 547. SOLIBUS.

Sunt quibus eſſe placet *decima*. ii, 221.
Sunt quibus eſſe diurna placet. iv, 227.
Sunt quibus et ſimulacra placent.

Et nota, utrumvis quidem modum bene hic haberi, tam ſubiunctivum, quam indicativum. Porro cum prava lectio ſemel invaluiſſet, *caeli naſcentis ab horae*; ſenſit aliquid deeſſe tenebrio neſcio quis, et verſiculum ſequentem benigne largitus eſt. Qualem vero? *Ab ſidere*, inquit, *horae caeli naſcentis*. Quis vel fando audivit *ſidus horae?* Quis duplicem hic genitivum ferat? Quis illud *σπουδαῖζον inventuris?* Quis illud *quem memorant?* Quaſi nunc primum, et non ſepties ante, *horoſcopon* memoraverit. Sed quod omnium minime ferendum, a ſententia devius errat. Non enim hic quaeritur *horoſcopos*, ſed caput et principium *dodecaeteridos*. Abeat ergo hic cuculus, cum dono ſuo tam lepido: quo repudiato locus ſic conſtituitur,

Sunt quibus et caeli PLACEAT *naſcentis ab* ORTU,
Parte quod ex illa deſcribitur hora diebus,
Omne genus rationis agi.

Ab ortu caeli naſcentis, dodecaeterida deduci. Sic ii, 791. de ortivo cardine,

Unus ab exortu caeli naſcentis *in orbem*.

V. 547. ET EXACTIS BIS SEX IAM SOLIBUS ANNUS. Annus, inquit, redit xii solibus exactis. Ergo *soles* hic idem quod *menſes*: atqui ubique alias soles ſunt *dies*. Virgilius Ecl. ix, 52.

Cantando longos memini me condere soles.

et Aen. iii, 203.

Tres adeo incertos caeca caligine soles
Erramus pelago, totidem ſine ſidere noctes.

Repone igitur,

et exactis bis ſex iam MENSIBUS *annus*.

V. 549. UNIUS UT SIGNI PARITER SIT MENSIS ET ANNUS. Ut et menſis et annus in dodecaeteride ſub uno et eodem ſigno ſint.

V. 550. ASPERIOREM UT AGAT MENSEM. Excidit hinc verſiculus; quod et Huetius acute vidit. Libri vetuſti, *Aſperioris agam menſem*. Verſus abeſt ad hanc ſententiam:

Sic erit, ut mitis qui ſigni duxerit annum,
ASPERIORIS *agat menſem*.

V.

Interpellatum variata ſorte dierum.
Et quoniam docui, per ſingula tempora, vitae
Quod quandoque genus veniat, cuiuſque ſit aſtri
Quiſque annus, cuius menſis ſimul hora, dieſque;
Altera nunc ratio, quae ſummam continet aevi,
Reddenda eſt, quot quaeque annos dare ſigna ferantur.
Quae tibi, cum finem vitae per ſidera quaeris,
Reſpicienda manet ratio, numeriſque notanda.
Bis quinos annos aries, unumque triente
Fraudatum dabit. appoſitis tu, taure, duobus
Vincis; ſed totidem geminorum vinceris aſtro.
Tuque bis octonos, cancer, binoſque trientes:
Biſque novem, Nemeaee, dabis, beſſemque ſub illis.
Erigone geminatque decem, geminatque trientem.
Nec plures fuerint librae, quam virginis anni.
Scorpios aequabit tribuentem dona leonem.
Centauri fuerint eadem, quae munera cancri.
Ter quinos, capricorne, dares, ſi quattuor eſſent
Appoſiti menſes. triplicabit aquarius annos

Quattuor,

Vulg. v. 560. DUXI. 561. VENIT.

V. 560. ET QUONIAM DUXI. Libri univerſi *duci*; unde Scaliger *duxi*, alii *dixi*. Repone,

Et quoniam DOCUI. ut iv, 119.
Quod quoniam docui. et ii, 750.
Nunc ſatis eſt docuiſſe *ſuos ignota per uſus.*

V. 561. QUOD QUANDOQUE GENUS VENIT. Lege VENIAT, ut mox *ſit*.

V. 578. PRODUCIT. Sic codices, quia et *triplicavit* habent. Ut *triplicabit*, ita lege PRODUCET.

V. 579. PISCIBUS AST ARIES ET SORTE ET FINIBUS HAERENS LUSTRA DECEM TRIBUET SOLIS CUM MENSIBUS OCTO. Sic codices quoque; niſi quod *eſt* pro *aſt*. Quot annos aries daret, in primo loco dixerat; nunc iterum docet quid aries polleat, quantum ſcilicet piſces. Atqui piſces ſententiam ducere oportebat. Error inde eſt; quod notis ſignorum, non literis, haec olim ſcripta ſint. Repone,

LANIGERO PISCES *et ſorte et finibus* HAERENT;
Luſtra DUO TRIBUENT, SOLIDIS *cum menſibus octo.*

Decem luſtra solis, hoc eſt, ut aiunt, *decem annos*; ſic et ſupra iii, 321. Miſeret me auctoris. Lege DUO; et pro *solis*, SOLIDIS.

Solidis

Quattuor, et menſes vitam producet in octo.
Lanigero piſces et ſorte et finibus haerent;
Luſtra duo tribuent ſolidis cum menſibus octo.
  Nec ſatis eſt annos ſignorum noſcere certos,
Ne lateat ratio finem quaerentibus aevi:
Templa quoque et partes caeli ſua munera norunt,
Et proprias tribuunt certo diſcrimine ſummas,
Cum bene conſtiterit ſtellarum conditus ordo.
Sed mihi templorum tantum nunc iura canentur:
Mox veniet mixtura ſuis cum viribus omnis.
Cum bene materies ſteterit praecognita rerum,
Non interpoſitis turbabitur undique membris.
Si bene conſtiterit primo ſub cardine luna,
Qua redit in terras mundus, naſcenſque tenebit
Exortum, octonos decies ducetur in annos,
Si duo decedant. at cum ſub culmine ſummo
Conſiſtet, tribus hic numerus fraudabitur annis.
Bis quadragenis occaſus dives in ortos
Solus erat, numero niſi deeſſet olympias una.

Imaque

Vulg. v. 578. PRODUCIT. 579. PISCIBUS AST ARIES——HAERENS. 580. DECEM TRIBUET SOLIS. 591. QUO. 595. ACTU. 596. SOLIS.

Solidis menſibus, id eſt, integris. Sic alii, *ſolidum diem*, *ſolidum annum*. Noſter i, 565.
Sexque fugit ſolidas *a caeli vertice* partes.

V. 591. QUO REDIT IN TERRAS MUNDUS. Repone,
QUA *redit in terras mundus.* ut i, 45.
Qua *mundus redit.* et ii, 827.
Qui tenet exortum, qua *primum ſidera ſurgunt.* et ſaepe alias.

V. 595. BIS QUADRAGENIS OCCASUS DIVES IN ACTU SOLIS ERAT NUMERO NISI DEESSET OLYMPIAS UNA. *In actu* a Scaligero eſt, in periodo solis; libri omnes *in actus*. Unde Huetius legit,
Bis quadragenos occaſus dives in actus
Solis erat; et *actus*, ut Scaliger, explicat *curricula*, annos. Sed recte *quadragenis*, ut libri omnes; ſubaudi *annis*, quod proxime praeceſſerat. *Dives* enim apud Noſtrum cum ablativo venire ſolet, *dives honore*, *dives cenſu*, *dives iugis*, *dives puellis*. Repone,
Bis quadragenis occaſus dives in ORTOS
SOLUS *erat, numero niſi deeſſet olympias una.*
In ortos, in partus ſuos, in illos qui ſub ipſo naſcuntur, ut iv, 206.
Et Palamedeis certantem viribus ortum.
Solus erat, ſolus eſſet dives 80 annis; nullum enim ſignum dat ſupra 78. *Dives annis in ortos*, ut iv, 124.
Dives fecundis aries in vellera lanis.

V.

Imaque tricenos bis fundamenta per annos
Cenſentur, bis ſex adiectis menſibus aevo.
Quodque prius natum fuerit dextrumque trigonum,
Hoc ſexagenos tribuit, duplicatque quaternos.
Quod fuerit laevum praelataque ſigna ſequetur,
Tricenos annos duplicat, tres inſuper addit.
Quaeque ſuper ſignum naſcens a cardine primum
Tertia forma eſt, et ſummo iam proxima caelo,
Haec ter vicenos geminat, tres abſtrahit annos.
Quaeque infra veniet ſpatio diviſa ſub aequo,
Per quinquagenas complet ſua munera brumas.
Quemque locum ſuperat naſcens horoſcopos, ille
Dena quater revocat vertentis tempora ſolis,
Accumulatque duos curſus, iuvenemque relinquit.
At qui praecedit ſurgentis cardinis horam,
Vicenos ternoſque dabit naſcentibus annos,
Vix deguſtatam rapiens ſub flore iuventam.

Quod

V. 614. QUOD SUPER OCCASUS TENTATUM EST, DENA REMITTIT. *Quid reponam*, ait Scaliger ingenue, *pro vitioſo* tentatum, *equidem comminiſci non potui*. In priore editione dederat *lentatum*. Ex orthographia vetere ducenda eſt correctio. Codices univerſi *temptatum*; et ſic in omnibus membranis, cuiuſcunque libri aut aetatis, ſemper ſcriptum reperi, *tempto*, vel rarius *temto*, nunquam *tento*. Repone,

Quod ſuper occaſus TEMPLUM *eſt*, HOC *dena remittit*.

Templum; de templis enim ſolis iam loquitur, ſic verſu 586.

Sed mihi templorum tantum nunc iura canentur.

Hoc, verſus gratia eiectum, revoca; ut verſu 600. *Quodque prius natum fuerit*, Hoc *ſexagenos tribuit*.

V. 615. DENA REMITTIT ANNORUM SPATIA, ET DECIMAM TRIBUS APPLICAT AUCTIS. Quid hoc portenti eſt? ſententia conſtat, *Dat x annos, et ei ſummae tres addit*. Sed quo modo hoc ſignificet, aut quid omnino ſignificet, *Applicat decimam tribus auctis*, captum meum exſuperat. Sic tamen codices univerſi. Quod alii aſtute praeterierunt, ego ſimpliciter aggrediar. Repone,

dena remittit
Annorum ſpatia, et DECIMUM *tribus* AMPLIAT ANNUM.

V. 626. PARVOQUE RECESSU DESTRUIT. Quid eſt *parvo* receſſu? Repone,

Extenditque diem ſummum, PARILIQUE *receſſu Deſtruit*.

Ponit igitur ſolſtitium in medio cancro; ſive in fine gradus xv et principio gradus xvi.

V.

Quod ſuper occaſus templum eſt, hoc dena remittit
Annorum ſpatia, et decimum tribus ampliat annum.
Inferius puerum interimet: bis ſexque peracti
Immatura trahent natales corpora morti.
  Sed tamen in primis memori ſunt mente notanda,
Partibus adverſis quae ſurgunt condita ſigna,
Diviſumque tenent aequo diſcrimine caelum;
Quae tropica appellant, quod in illis quattuor anni
Tempora vertuntur ſignis, nodoſque reſolvunt;
Totumque emittunt converſo cardine mundum,
Inducuntque novas operum, rerumque figuras.
  Cancer ad aeſtivae fulget faſtigia zonae,
Extenditque diem ſummum, parilique receſſu
Deſtruit: at, quanto fraudavit tempore luces,
In tantum noctes auget: ſtat ſumma per omne.
Tunc Cererem fragili properant deſtringere culmo;
Graius et in patrias denudat membra palaeſtras;

Et

Vulg. v. 614 TENTATUM eſt dena. 615. DECIMAM—APPLICAT AUCTIS. 626. PARVOQUE. 627. UT. 628. AUGESCAT—OMNES. 629. PROPERAT DISTINGUERE. 630. CAMPUS——VARIAS DESTRINGUNT.

V. 627. UT QUANTO FRAUDAVIT TEMPORE LUCES IN TANTUM NOCTES AUGESCAT SUMMA PER OMNES. *Ut augeſcat* a Scaligero eſt, probante quoque Huetio. Non accedo. Quomodo enim *per omnes noctes*; quae tantum xv ſunt? Libri univerſi *et*, non *ut*; et pro *augeſcat*, *auget*, *ſtat*. Repone,

AT *quanto fraudavit tempore luces.*
In tantum noctes AUGET: STAT *ſumma per omne.*

Summa eadem ſtat totius νυχθημέρου; nempe horae xxiv.

V. 629. TUNC CEREREM FRAGILI PROPERAT DISTINGUERE CULMO CAMPUS. *Deſtringere culmo* libri univerſi. Scaliger, falſa lectione deceptus, quippe *campus* pro vera amplexus eſt, locum ulterius corrupit. Venetus et Voſſianus, *properant*. Repone,

Tunc Cererem fragili PROPERANT DESTRINGERE *culmo.*

Properant, agricolae ſcilicet. Nam de meſſe hic agi, conſtabit ex Virgilio, Georg. i, 316. quem Noſter hic imitatur,

Saepe ego, cum flavis meſſorem induceret arvis
Agricola, et fragili *iam* ſtringeret *hordea* culmo,
Omnia ventorum concurrere praelia vidi.

V. 630. CAMPUS, ET IN VARIAS DESTRINGUNT MEMBRA PALAESTRAS. Quid ſit *deſtringere membra in palaeſtras*, caute diſſimulant: ego prorſus non intelligo. Haeſit hic *deſtringunt*; quia librario adhuc obverſabatur ex ſuperiore verſu *deſtringere*. *Palaeſtras*, quaſi proprium Graeciae morem, alibi Noſter memorat, iv, 721.

Et tepidum pelagus ſiccatis languet in undis.
Tunc et bella fero tractantur Marte cruenta;
Nec Scythiam defendit hiems: Germania ſicca
Iam tellure fugit; Nilusque tumeſcit in arva.
Hic rerum ſtatus eſt, cancri cum ſidere Phoebus
Solſtitium facit, et ſummo vectatur olympo.
　Parte ex adverſa brumae capricornus inertis
Per minimas ſurgit luces, et maxima noctis
Tempora; producitque diem, tenebraſque reſolvit:
Inque vicem nunc damna facit, nunc tempora ſupplet.
Tunc riget omnis ager, clauſum mare, condita caſtra.
Nec tolerant medias hiemes ſudantia ſaxa.
Statque uno natura loco, paulumque quieſcit.
　Proxima in effectu, et ſimiles referentia motus,

Eſſe

Volg. v. 631. IACTATIS. 636. VERSATUR. 637. BRUMAM—INERTEM. 638. COGIT. 644. effectu ſimiles.

Perque coloratas ſubtilis Graecia *gentes*
Gymnaſium praefert vultu fortesque palaeſtras.

Ergo hic repono,

GRAIUS *et in* PATRIAS DENUDAT *membra palaeſtras*.

Patrias, non *varias*, *denudat*, non *deſtringunt*, aſtipulante Virgilio, Aen. iii, 281.

Exercent patrias *oleo labente* palaeſtras
Nudati *ſocii*.

Idem iterum, Georg. iii, 531.

Corporaque agreſti nudat *praedura palaeſtrae*.

Patriae palaeſtrae apud Virgilium ſunt Trojanorum. Cum itaque et Noſter dicit *patrias palaeſtras* (*varias* enim nihil eſt) ut *Graiorum* ſint, pene neceſſe eſt. Vide iv, 66.

V. 631. ET TEPIDUM PELAGUS IACTATIS LANGUET IN UNDIS. Quomodo *iactatis undis*, tempore ſolſtitii? Contrarium verum eſt. Repone,

Et tepidum pelagus SICCATIS *languet in undis*.

Sic v, 211, ſub ortu caniculae,

Dimicat in cineres orbis, fatumque ſupremum
Sortitur, languetque *ſuis Neptunus* in undis.

et i, 163.

Et ſiccata *magis ſtrinxerunt* aequora *terrae*.

V. 634. NILUSQUE TUMESCIT IN ARVA. Ita Scaliger: libri plerique *auras*. Favet Voſſianus, qui habet *aura*. Vide ſupra verſum 272. Tamen Noſter iv, 752.

Nilusque tumeſcens
In cancrum, *et tellus Aegyptia iuſſa natare*.

Cum igitur et nunc de cancro loquatur; vide an ſic dederit,

Nilusque tumeſcit in ASTRUM.

V. 635. HIC RERUM STATUS EST. Ingenioſe Scaliger ex coniectura; cum libri, etiam Gemblacenſis, haberent, *Hinc iterum ſitus eſt*. Firmat Lipſienſis, qui *Hinc rerum ſatus eſt*: propius adhuc Voſſianus, *Hinc rerum ſtatus eſt*.

V. 636. ET SUMMO VERSATUR OLYMPO. Lege, VECTATUR. Sic v, 9.

omnia circum
Sidera vectatum, *et toto diſcurrere caelo*.

V.

Esse ferunt luces aequantia signa tenebris.
Namque aries Phoebum repetentem sidera cancri
Inter principium reditus finemque coercet,
Tempora diviso iungens concordia mundo:
Convertitque vices, victumque a sidere brumae
Exsuperare diem iubet, et succumbere noctes;
Aestivi donec veniant ad sidera cancri.
Tunc primum miti pelagus consternitur unda,
Et varios audet flores emittere tellus.
Tunc pecudum volucrumque genus per pabula laeta
In Venerem pastumque ruit, totumque canora
Voce nemus loquitur, frondemque virescit in omnem:
Viribus in tantum segnis natura movetur.
Huic ex adverso simili cum sorte refulget
Libra,

Vulg. v. 645. NOCTES——DIEBUS. 649. AD SIDERA. 655. PARTUMQUE.

V. 637. PARTE EX ADVERSA BRUMAM CAPRICORNUS INERTEM PER MINIMAS COGIT LUCES ET MAXIMA NOCTIS TEMPORA. *Cogit*, inquit, *brumam*: quid hoc sit, non intelligo. Vetusti quattuor *brumae*. Repono,

Parte ex adversa BRUMAE *capricornus* inertis
Per minimas SURGIT *luces*.

V. 640. INQUE VICEM NUNC DAMNA FACIT, NUNC TEMPORA SUPPLET. Pro *facit*, vetusti omnes *legit*.

V. 644. PROXIMA IN EFFECTU SIMILES REFERENTIA MOTUS. Libri veteres, *in infectum et similis*. Repone,

Proxima in effectu, ET *similes referentia motus*.

V. 645. ESSE FERUNT NOCTES AEQUANTIA SIGNA DIEBUS. Libri universi, *Esse ferunt luces*. *Luces diebus*, ineptissime. Unde Scaliger *noctes*. Dedit, opinor, auctor,

Esse ferunt LUCES *aequantia signa* TENEBRIS.

†

V. 649. VICTUMQUE AD SIDERA BRUMAE EXSUPERARE DIEM IUBET. *Ad sidera brumae*? non ultra, et ad arietem usque vincitur dies? Repone igitur cum Vossiano,

victumque A SIDERE *brumae*.

V. 655. IN VENEREM PARTUMQUE RUIT. Occultum mendum ex latibulo suo eruendum est. Quid enim est *ruere in partum*? Quis sic loquatur? Deinde, cum *Venerem* dixisset. *partum*, qui natura sequitur, quid opus erat addidisse? Repone,

per pabula laeta
In Venerem PASTUMQUE *ruunt*.

Pecudes in pastum: ut Virgilius Georg. iv, 434.

Vesper ubi e pastu vitulos *ad tecta reducit*.

Volucres; ut idem Aen. vii, 700.

Ceu quondam nivei liquida inter nubila cygni
Cum sese e pastu *referunt*.

V. 657. VIRIBUS IN TANTUM SEGNIS NATURA MOVETUR. Gemblacensis solus, *segnis*; ceteri *signis*. Forsitan auctor dederit,

Libra, diem noctemque pari cum foedere ducens;
Tantum quod victas usque ad se vincere noctes
Ex ipsa iubet ad brumam, cum tempora vertit.
Tum Liber gravida descendit lenis ab ulmo,
Pinguiaque e pressis exspumant musta racemis.
Mandant et sulcis Cererem, dum terra tepore
Autumni resoluta patet, dum semina ducit.
Quattuor haec et in arte valent; ut tempora vertunt,
Sic hos aut illos rerum flectentia casus,
Nec quicquam in prima patientia sede manere.
Sed non per totas aequa est versura figuras,
Omnia nec plenis flectuntur tempora signis.

Una

Vulg. v. 660. QUO. 661. VINCUNT. 662. PLENUS. 663. IMPRESSIS DESPUMANT. 666. ET tempora. 667. ATQUE. 670. VERTUNTUR SIDERA.

Viribus in tantum DESES *natura movetur.*
Quippe *segnis* est, qui perpetuo sic est: *deses*, qui tunc otiatur, alioquin operi habilis. *Deses movetur*, ut Virgilius Aen. vi, 813.

Otia qui rumpet patriae, residesque movebit
Tullus in arma viros.

V. 660. TANTUM QUO VICTAS USQUE AD SE VINCERE NOCTES Ex IPSA IUBET AD BRUMAM, CUM TEMPORA VINCUNT. Quid illud, *cum tempora vincunt?* Mussat Scaliger; qui mendosum hoc esse sine dubio videbat. Gemblacensis *brumae tum tempora vincit:* Lipsiensis *vincat*; Venetus *vincant*; Vossianus, *cum tempora vincat.* Omnes *brumae.* Latet altius mendum. Fortasse;

Tantum quod solitas *usque ad se vincere* luces
Ex ipsa iubet ad brumalia *tempora* vinci.

Ita supra, *brumalia sidera: Ad brumalem cardinem vinci.* Sed propius est ad librorum scripturam,

Tantum QUOD *victas usque ad se vincere noctes*
Ex ipsa iubet ad brumam, cum tempora VERTIT.

Vide versus 622, 666. Ceterum *tantum quod* libri omnes recte; non ut Scaliger *quo.*

V. 662. TUM LIBER GRAVIDA DESCENDIT PLENUS AB ULMO. Quid est *plenus Liber?* Repone,

descendit LENIS *ab ulmo.*

Lenis, maturus, solibus coctus. Sic *lene vinum, lenia musta.* Noster iv, 204. de eodem anni tempore;

Cum nova maturi *gustamus munera* Bacchi.

V. 663. PINGUIAQUE IMPRESSIS DESPUMANT MUSTA RACEMIS. *Impressis* nullum hic locum habet; ut neque *despumant.* Repono,

Pinguiaque E PRESSIS EXSPUMANT *musta racemis.*

V. 666. ET TEMPORA VERTUNT, SIC HOS ATQUE ILLOS RERUM FLECTENTIA CASUS. Vetusti omnes recte:

UT *tempora vertunt,*
Sic hos AUT *illos rerum flectentia casus.*

V.

Una dies ſub utroque aequat ſibi ſidere noctem,
Dum libra atque aries autumnum verque figurant.
Una dies toto cancri longiſſima ſigno,
Cui nox aequalis capricorni ſidere fertur.
Cetera nunc urgent vicibus, nunc tempore cedunt.
Una ergo in tropicis pars eſt cernenda figuris,
Quae moveat mundum, quae rerum tempora mutet,
Facta novet, conſulta alios declinet in uſus,
Omnia in adverſum flectat, contraque revolvat.
Has quidam vires octava in parte reponunt.
Sunt quibus eſſe placet decimam. nec defuit auctor,
Qui primae momenta daret frenoſque dierum.

M.

Vulg. v. 671. TEMPORE. 672. NAM. 678. FATA. 679. MOMINE——RURSUSQUE. 681. DECIMAS.

V. 670. OMNIA NEC PLENIS VERTUNTUR SIDERA SIGNIS. *Vertuntur* inconcinne, cum praeceſſerit *verſum*; nec vertuntur *ſidera*, ſed *tempora*: ſic verſu 666, *ut tempora vertunt.* et 622. *tempora vertuntur.* Recte ergo libri veteres,

Omnia nec plenis FLECTUNTUR TEMPORA *ſignis.*

Tempora vetuſti omnes; et, excepto Gemblacenſi, omnes *flectuntur.*

V. 671. UNA DIES SUB UTROQUE AEQUAT SIBI TEMPORE NOCTEM. Ut in verſu praecedente *tempora* repoſuimus pro *ſidera*; e contrario hic repone, non *tempore*, ſed

Una dies ſub utroque aequat ſibi SIDERE *noctem.*

Una tantum *dies ſub utroque ſidere*; una ſub ariete, una ſub libra.

V. 672. NAM LIBRA. Recte Gemblacenſis, Lipſienſis, et Voſſianus, *dum libra.*

V. 678. FATA NOVET, CONSULTA ALIOS DECLINET IN USUS. *Novet*, a Scaligero eſt: Gemblacenſis *movens*; Lipſienſis et Voſſianus *movent*; omnes *facta*, non *fata.* Repone,

FACTA *novet, conſulta alios declinet in uſus.*

Facta novet, immutet, deſtruat, irrita reddat; conſulta alio vertat, ac deſtinabantur. *Facta* hic opponuntur *conſultis*; ut apud Salluſtium, Cat. 1. *Nam et prius quam incipias*, conſulto; *et ubi conſuleris, mature* facto *opus eſt.*

V. 679. MOMINA IN ADVERSUM FLECTAT, RURSUSQUE REVOLVAT. Repone ex vetuſtis,

OMNIA *in adverſum flectat*, CONTRAQUE *revolvat.*

Momina a Scaligero eſt; qui ſaepius hoc verbum ingerit, nunquam feliciter.

V. 681. SUNT QUIBUS ESSE PLACET DECIMAS. Repone *decimam.* Sunt quibus placet decimam partem eſſe, quae ſolſtitii punctum facit. *Decimam*, ut *octava, primae.*

M. MANILII

ASTRONOMICÔN

LIBER QUARTUS.

QUID tam ſollicitis vitam conſumimus annis?
Torquemurque metu, caecaque cupidine rerum?
Aeterniſque ſenes curis, dum quaerimus aevum,
Perdimus; et nullo votorum fine beati
Victuros agimus ſemper, nec vivimus umquam?
Pauperiorque bonis quiſque eſt, quo plura pararit?
Nec quod habet, numerat: tantum quod non habet, op-
Cumque ſibi parvos uſus natura repoſcat, [tat?
Materiam ſtruimus magnae per vota ruinae?

Luxuriamque

Vulg. v. 6. REQUIRIT. 8. SUI.

[V. 6. PAUPERIORQUE BONISQUISQUE EST, QUO PLURA REQUIRIT. Repone, *quo plura* PARARIT. Probant hoc ſequentia, *Nec quod habet numerat.*

V. 8. CUMQUE SUI PARVOS USUS NATURA REPOSCAT. Scribe, SIBI.

V. 15. CERTA STANT OMNIA LEGE, LONGAQUE PER CERTOS SIGNANTUR TEMPORA CURSUS. Gemblacenſis et Voſſianus *caſus*, non *curſus*. Putide autem *certos*, ſtatim poſt *certa*. Nec *longa* quicquam huc facit, cum vitae humanae breve ſit curriculum. Repone,

SINGULA *per* PROPRIOS *ſignantur tempora* CASUS.

ut Noſter, i, 53.

Singula *nam* proprio *ſignarunt tempora* caſu.

V. 17. TUNC ET OPES ET REGNA FLUUNT. Immo HINC; a fatis, a lege, ab origine. Vidit et Huetius.

V. 18. ARTESQUE DATAE MORESQUE CREATI. Recte Voſſianus, CREATIS, i. e. natis. ut infra 534.

geminamque creatis
Mortem fata dabunt.

et v, 199.

Venatus non ille quidem, verum arma creatis
Venandi tribuet.

V.

Luxuriamque lucris emimus, luxuque rapinas?
Et ſummum cenſus pretium eſt effundere cenſum?
Solvite, mortales, animos, curaſque levate,
Totque ſupervacuis vitam deplete querelis.
Fata regunt orbem, certa ſtant omnia lege,
Singula per proprios ſignantur tempora caſus.
Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.
Hinc et opes et regna fluunt, et ſaepius orta
Paupertas; arteſque datae, moreſque creatis,
Et vitia, et clades, damna, et compendia rerum.
Nemo carere dato poterit, nec habere negatum;
Fortunamve ſuis invitam prendere votis,
Aut fugere inſtantem. ſors eſt ſua cuique ferenda.
An, niſi fata darent leges vitaeque neciſque,
Fugiſſent ignes Aeneam? Troia ſub uno
Non everſa viro fatis viciſſet in ipſis?
An lupa proiectos nutriſſet Martia fratres?
Roma caſis enata foret? pecudumque magiſtri
In Capitolinos duxiſſent fulmina montes?

Includive

Vulg. v. 15. LONGAQUE per CERTOS——CURSUS. 17. TUNC. 18. CREATI. 20. CARET DAMNO. 23. AT. 26. AUT. 27. ET NATA. 28. AUXISSENT CULMINA.

V. 20. NEMO CARET DAMNO, POTERIT NEC HABERE NEGATUM. Falſum hoc; cum ex auctoris doctrina, quidam naſcantur felices. Deinde nullum hic antitheton eſt, quod diſiunctivum *nec* poſtulat. Repone,

Nemo CARERE DATO *poterit, nec habere negatum.*

Quod fato cuique *datum* eſt, nemo carere poteſt; nec, quod negatum eſt, habere.

V. 23 AT NISI FATA DARENT. Gemblacenſis *aut*, Voſſianus *ad*, Venetus *id*. Repone,

AN, *niſi fata darent.*
An ignes fugiſſent Aeneam?

V. 26. AUT LUPA. Iterum repone,

AN *lupa proiectos.*

V. 27. ROMA CASIS ET NATA FORET. Sic Gemblacenſis. Sed recte Lipſienſis et alii,

Roma caſis ENATA *foret.*

V. 28. PECUDUMQUE MAGISTRI IN CAPITOLINOS AUXISSENT CULMINA MONTES? Pro *culmina*, quod Scaligeri eſt, recentiores libri *fulmina*; veteres tres *flumina*, Venetus *lumina*. Repone, quod et Huetius vidit,

In Capitolinos DUXISSENT FULMINA *montes?*

De

Includive sua potuisset Iuppiter arce?
Captus et a captis orbis foret igne sepulto?
Vulneribus victor repetisset Mucius urbem?
Solus et oppositis clausisset Horatius armis
Pontem urbemque simul? rupisset foedera virgo?
Tresque sub unius fratres virtute iacerent?
Nulla acies tantum vicit: pendebat ab uno
Roma viro, regnumque orbis sortita iacebat.
Quid referam Cannas, admotaque moenibus arma?
Varronem

Vulg. v. 30. orbis foret: igne sepulto.

De Numa accipe et de Iove Elicio. Historiam habes in Ovidii Fast. iii, a versu 285. *Duxissent*, ut Ovid. versu 321.

Iuppiter *huc veniet valida* deductus *ab arte*.

V. 30. CAPTUS ET A CAPTIS ORBIS FORET: IGNE SEPULTO VULNERIBUS VICTOR. Male haec distinguuntur; quid enim est *igne vulneribus sepulto?* Quin et male accipiuntur illa, *Captus et a captis orbis foret*: Romanos scilicet, qui orbem ceperint, prius ipsos a Graecis captos esse. Atqui nondum locus erat de orbe victo dicendi: parva adhuc civitatis initia ordine persequitur. Distinguo,

Captus et a captis orbis foret igne sepulto?

Orbis, mundus, nostro est Iuppiter: et ille captus est a captis Fauno et Pico: quos Numa, ex Egeriae nymphae consilio, vino soporatos vinclis constrinxerat. Ovidius Fast. iii, 291.

Sed poterunt ritum Picus Faunusque piandi
Prodere, Romani numen uterque soli.
Nec sine vi tradent: adhibeto vincula captis.

et mox, versu 305.

Vina quies sequitur. gelido Numa prodit ab antro,
Vinclaque sopitas addit in arta manus.

et iterum 317. de Iove.

Hunc tu non poteris per te deducere caelo:
At poteris nostra forsitan usus ope.

et denique 323.

Emissi quid agant laqueis, quae carmina dicant,
Quaque trahant superis sedibus arte Iovem,
Scire nefas homini. Vide ibi plura.

Igne autem *sepulto*, est fulmine in Capitolinum montem iacto et condito. *Captus orbis*, ut i, 27. *Cepisset furto mundum.*

V. 31. VULNERIBUS VICTOR, REPETISSET MUCIUS URBEM? *Vulneribus* manifeste mendosum. Gevartius coniecerat, *Vulnere bis victor*: semel, opinor, cum Porsenae scribam obtruncavit, iterum cum dextram suam in foco torreret. Potuisset auctor sic dicere,

Clade sua *victor, repetisset Mucius urbem?*

vel *Clade manus victor*. Verum a libris haec nimium aberrant.

V. 38. VARRONEM PROFUGUM MAGNUM QUAM VIVERE POSSE, POSTQUE TUOS, THRASIMENE, LACUS, FABIUMQUE MORANTEM. *Profugum* a Scaligero est; vetusti omnes, *Varronemque pugum*, Gemblacensis *vincere possit*; ceteri *vivere possit*. Repone,

*Varronem*QUE FUGA *magnum* (QUOD *vivere* POSSIT
Postque tuos, Thrasimene, lacus) *Fabiumque* MORANDO.

Varronem fuga magnum, *Fabium morando magnum*. De Varrone Livius; *Et gratiae actae quod de republica non desperasset.* De Fabio Ennius,

Unus homo nobis cunctando *restituit rem.*

V. 40. ACCEPISSE IUGUM VICTAS CARTHAGINIS ARCES. Libri veteres, *victae*. ut infra, 780.

Inferius

Varronemque fuga magnum (quod vivere possit
Postque tuos Thrasimene lacus) Fabiumque morando.
Accepisse iugum victas Carthaginis arces?
Speratum Hannibalem nostris cecidisse catenis
Exilium regi furtiva morte luisse?
Adde et utrimque Italas acies, Romamque suismet
Pugnantem membris. adice et civilia bella;
Et Cinnam in Mario, Mariumque in Caesare victum:
Quod consul totiens, exul; quod de exule consul;

Quod

Vulg. v. 38. PROFUGUM—QUAM—POSSE. 39. MORANTEM. 43. ETIAM VIRES ITALAS. 45. CIMBRUM—CARCERE. 46. EXULQUE EX.

Inferius victae *fidus* Carthaginis arces.

Sed hic spurius est. *Populi* enim iugum accipiunt, non *arces*.

V. 41. SPERATUM HANNIBALEM NOSTRIS CECIDISSE CATENIS EXILIUM REGI FURTIVA MORTE LUISSE. Gemblacensis *Exiliumque rei*; Lipsiensis, *Exiliumque regi*; Vossianus, *Exiliumque rogi*. Spurii sunt, barbarique. *Speratum cecidisse*; haec temporibus pugnant: *sperare* de futuro dicitur, *cecidisse* praeteritum est. Quid porro est *cadere catenis?* cur *nostris?* quasi auctor ab atavis Romanus esset. Iam vero *luisse exilium rei*, vel *regi*, vel *rogi*, quocumque legeris modo, nihil egeris. Quid dicere conaretur tenebrio, coniectare poteris; sed conantem sermo destituebat. Apud Silium xvii, 368, Iuno ad Iovem de Hannibale;

Neve finas captum Ausonias perferre catenas.

V. 43. ADDE ETIAM VIRES ITALAS, ROMAMQUE SUISMET PUGNANTEM MEMBRIS. *Etiam vires Italas* Gemblacensis; Venetus omittit *vires*; et Lipsiensis superne inter lineas habet. Sane *vires Italae* parum hic conveniunt: quae aeque in *externo*, ac in *domestico* bello ostenduntur. Vossianus, *Adde etiam Italas acies, Romamque*. Repone,

Adde ET UTRIMQUE *Italas* ACIES, *Romamque suismet*
Pugnantem membris.

Intelligit *bellum sociale*; sive, ut Paterculus vocat, *bellum Italicum*: mox dicturus de bellis civilibus.

V. 45. ADICE ET CIVILIA BELLA, ET CIMBRUM IN MARIO, MARIUMQUE IN CARCERE VICTUM. Sic scripti omnes editique; neque miror, si lectio fronte prima speciosa tamdiu fucum interpretibus fecit. *Cimbri* enim a Mario victi sunt, et Marius Minturnis in *carcere* iacuit. Sed dic modo verum, An bellum Cimbricum, duce Mario gestum, *civile* fuit, ut sententia hic postulat? an Marius *victus* est in carcere; qui inde dimissus, victis adversis partibus, consulatum septimum adeptus est? Restituo tibi verissimam lectionem,

adice et civilia bella;
Et CINNAM *in Mario, Mariumque in* CAESARE *victum.*

Cinna, Marius, Caesar, omnes in iisdem partibus. Ut Cinnae potentiam excessit Marius, ita Marii Caesar. Notum illud Syllae dictum, *Caesari multos Marios inesse*. *Victum in Mario*, ut v, 572.

victorque Medusae
Victus *in Andromeda est.*

V. 46. QUOD CONSUL TOTIENS, EXULQUE, EX EXULE CONSUL. Lipsiensis cum Vossiano, *exul quod exule consul*; Venetus, *exul quod consul et exul*; Gemblacensis, *exul quodque exule consul*. Repone,

Quod consul totiens, exul; QUOD DE *exule consul.*

Vidit et acutissimus Gronovius, Observ. iv, 20.

V.

Quod iacuit Libycis compar iactura ruinis,
Eque crepidinibus cepit Carthaginis orbem;
Hoc nisi fata darent, numquam fortuna tulisset.
Quis te Niliaco periturum litore, Magne,
Post victas Mithridatis opes, pelagusque receptum,
Et tres emenso meritos ex orbe triumphos,
Cum iam etiam posses alium componere Magnum,
Crederet; ut corpus sepeliret naufragus ignis,
Eiectaeque rogum facerent fragmenta carinae?
Quis tantum mutare potest sine numine fati?
Ille etiam caelo genitus, caeloque receptus,
Cum bene compositis victor civilibus armis
Iura togae regeret, totiens praedicta cavere
Vulnera non potuit: toto spectante senatu,
Indicium dextra retinens nomenque, cruore
Delevit proprio; possent ut vincere fata.
Quid numerem eversas urbes, rerumque ruinas?

Inque

Vulg. v. 47. ET. 48. URBEM. 53. COGNOSCERE. 63. REGUMQUE.

V. 47. ET IACUIT LIBYCIS COMPAR IACTURA RUINIS. Vetusti codices *Adiacuit.* Neutrum placet: sequeretur enim, ut post exilium consul factus tum adiacuerit: quod falsum est. Repone,

QUOD *iacuit Lybicis compar iactura ruinis.* Pendet oratio usque versum 49. *Nisi fata hoc darent, quod ex consule exul,* &c. numquam fortuna id facere potuisset. *Ad* et *quod* litera tantum in scriptis differunt, *ad*, *qd*.

V. 48. EQUE CREPIDINIBUS CEPIT CARTHAGINIS URBEM. Vetusti quattuor *seque:* Gemblacensis, Lipsiensis, Venetus, *Carthaginis arces:* quod et Scaliger probat, quamquam in textu *urbem* dederit. Neutrum tamen recte: quippe illa tum constructio foret, *urbem* vel *arces Carthaginis*; non, quod sententia poscit, *crepidinibus Carthaginis.* Vossianus et recentiores *orbem* habent. Repone,

Eque crepidinibus cepit Carthaginis ORBEM.

Cepit orbem: quicumque enim rebus tum Romanis praeerat, orbis erat dominus.

V. 53. CUM IAM ETIAM POSSES ALIUM COGNOSCERE MAGNUM. Quid sit *alium magnum cognoscere*, dissimulant interpretes. *Posses cognoscere*, de Cnaeo filio dici non potest. Sin de alio quoquam, quam filio, dicitur; potentiae aut socium aut aemulum indicat: neque auget miraculum talis postea exitii, sed minuit. Vetusti quattuor recte;

Cum iam etiam posses alium COMPONERE *magnum.*

Cum tantae potentiae esses, ut *etiam alium*, cuicumque favere velles, posses *magnum* efficere. Simile est illud Senecae de Augusto, Brev. Vitae c. v. *Hoc votum erat eius, qui voti compotes facere poterat.*

V.

Inque rogo Croesum; Priamumque in litore truncum,
Cui nec Troia rogus? quid Xerxem, maius et ipso
Naufragium pelago? quid Graio sanguine regem
Romanis positum? raptosque ex ignibus ignes,
Cedentemque viro flammam, quae templa ferebat?
Quot subitae veniunt validorum in corpora mortes?
Seque ipsae rursus fugiunt, errantque per omnes.
Ex ipsis quidam elati rediere sepulchris:
Atque his vita duplex, illis vix contigit una.
Ecce levis perimit morbus, graviorque remittit:
Succumbunt artes, rationis vincitur usus.
Cura nocet, cessare iuvat: mora saepe malorum
Dat causas; laeduntque cibi, parcuntque venena.
Degenerant nati patribus, vincuntque parentes,
Ingeniumque suum retinent. transitque per illum,
Ex illo fortuna venit. furit alter amore,
Et pontum tranare potest, et vertere Troiam:

Alterius

Vulg. v. 66. CAPTO. 68. QUI. 70. IGNES.

V. 63. REGUMQUE RUINAS. Immo potius repone,

Quid numerem eversas urbes RERUMQUE *ruinas?* ut i, 902.

Nec mirere graves rerumque *hominumque* ruinas?

Virgilius Aen. xi, 310.

Cetera qua rerum iaceant perculsa ruina.

V. 66. QUID CAPTO SANGUINE REGEM ROMANIS POSITUM? *Capto sanguine* de Servio rege interpretantur. Sed locutio ista *capto sanguine* et sine exemplo et sine ratione est. Repone,

quid GRAIO *sanguine regem*
Romanis positum?

Tarquinium Priscum intelligit, prius Lucumonem dictum, filium Demarati Corinthii; Liv. i, 34. Atque hoc ut mirabile narrat, ut Romani Troiano sanguine haberent regem Graio sanguine. Sic Virgilius, *Italo sanguine*. *Graio* autem in *capto* mutatum est, pari fere errore, ac iii, 630, *graius* in *campus*.

V. 68. CEDENTEMQUE VIRO FLAMMAM, QUI TEMPLA FEREBAT. De Metello recte accipiunt; sed quomodo *is ferebat templa?* collo an manu? Repone,

Cedentemque viro flammam, QUAE *templa ferebat.*

V. 70. ERRANTQUE PER IGNES. Illud *per ignes* sensu vacuum est; nec conatus est quisquam interpretari. Repono,

Seque ipsae rursus fugiunt, errantque per OMNES.

Sic infra 97, de fortuna,

Sed vaga per cunctos *nullo discrimine fertur.*

et iii, 529 de eadem,

Amisitque fidem variando cuncta per omnes.

 V.

Alterius ſors eſt ſcribendis legibus apta.
Ecce patrem nati perimunt, natoſque parentes:
Mutuaque armati coëunt in vulnera fratres.
Non hominum hoc ſcelus eſt: coguntur tanta moveri;
Inque ſuas ferri poenas, lacerandaque membra.
Quod Decios non omne tulit, non omne Camillos
Tempus, et invicta devictum mente Catonem;
Materies in rem ſuperat, res lege repugnat.
Et neque paupertas breviores excipit annos,
Nec ſunt immenſis opibus venalia fata.
Sed rapit ex tecto funus fortuna ſuperbo,
Indicitque rogum ſummis, ſtatuitque ſepulchrum.
Quantum eſt hoc regnum, quod regibus imperat ipſis?
Quin etiam infelix virtus, et noxia felix:
Et male conſultis pretium eſt, prudentia fallit:
Nec fortuna probat cauſas, ſequiturque merentes;

Sed

Vulg. v. 84. NOSTRUM hoc BELLUM. 87. INVICTUM DEVICTA MORTE. 88. SED. 91. SCEPTRO.

V. 84. NON NOSTRUM HOC BELLUM EST. COGUNTUR TANTA MOVERI. Si *noſtrum* recte ſe haberet; dixiſſet utique *cogimur*, non *coguntur*. Quid autem? An *bellum* eſt, ſi natus patrem, aut natum pater, aut frater fratrem occidat? Repone,

Non HOMINUM *hoc* SCELUS *eſt: coguntur tanta moveri.*

Aſtris haec ſcelera aſcribit, non hominum malitiae. Quod et in ſequentibus porro agit, ut verſu 98.

Scilicet eſt aliud quod nos cogatque regatque.

et 108.

Nec tamen haec ratio facinus *defendere pergit.*

et 117.

Nec refert, ſcelus *unde cadat*, ſcelus *eſſe fatendum.*

Hnum, *nrum*; error ex compendiis natus.

V. 85. LACERANDAQUE MEMBRA. Ut *Eryſicthon* apud Ovid. Met. viii, 875.

Vis tamen illa mali poſtquam conſumpſerat omnem
Materiam, deerantque *gravi nova pabula morbo*;
Ipſe ſuos artus lacero divellere morſu
Coepit, et infelix minuendo corpus alebat.

Deerant, inquam, hic lege; non, ut ſcripti editique, *dederat*.

V. 87. ET INVICTUM DEVICTA MORTE CATONEM. Gemblacenſis, Lipſienſis, et Voſſianus *invicta devictum*. Repone,

et INVICTA DEVICTUM MENTE *Catonem.*

Catonis partes devictae erant, ipſius mens invicta. Horat. Carm. ii, i, 23.

Et cuncta terrarum ſubacta
Praeter atrocem animum *Catonis.*

V. 88. MATERIES IN REM SUPERAT, SED LEGE REPUGNAT. Repono,

Materies in rem ſuperat, RES *lege repugnat.*

V.

Sed vaga per cunctos nullo discrimine fertur.
Scilicet est aliud, quod nos cogatque regatque,
Maius; et in proprias ducat mortalia leges;
Attribuatque suos ex se nascentibus annos,
Fortunaeque vices. permiscet saepe ferarum
Corpora cum membris hominum: non seminis ille
Partus erit; quid enim nobis commune, ferisque?
Quisve in portenti noxam peccarit adulter?
Astra novant formas, caelumque interpolat ora.
Denique si non est, fati cur traditur ordo,
Cunctaque temporibus certis ventura canuntur?
Nec tamen haec ratio facinus defendere pergit,
Virtutemve suis fraudare in praemia donis.
Nam neque mortiferas quisquam magis ederit herbas,
Quod non arbitrio veniunt, sed semine certo:
Gratia nec levior tribuetur dulcibus escis,

Quod

Vulg. v. 105. INTERSERIT. 110. MINUS ODERIT.

V. 91. SED RAPIT EX SCEPTRO FUNUS FORTUNA SUPERBO. Vetusti codices mendose,

Sed rapit exceptos *funus fortuna* superbos.

Ex his Scaliger sua dedit ex coniectura: sed quomodo funus rapi possit *ex sceptro*, sive ligneo, sive eburno, quod nihil intus habet, non video. Repono,

Sed rapit ex TECTO *funus fortuna superbo.*

Tecto superbo, ut Virgilius, Aen. vii, 12.

tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Iam vero *ex tecto* rapi aliquid potest, ex sceptro nihil; sed ipsum rapietur sceptrum. Seneca Consol. ad Polybium; *Nihil sacrum intactumque* fortunae: *quae* ex his penetralibus *ausa est* funus ducere; *ex quibus erat deos petitura.*

V. 105. ASTRA NOVANT FORMAS, CAELUMQUE INTERSERIT ORA. *Ut in centauro*, inquit Scaliger, *homo interseritur equo.* Immo non *interseritur*, sed connectitur. Repone,

Astra novant formas, caelumque INTERPOLAT *ora.*

Nonius: Interpolare, est novam formam e vetere fingere; ut Plautus Amphitryone,

Ille homo me interpolabit, *meumque* os *finget denuo.*

Ecce hic habes *interpolare* et *os*. Vide nos, si curae est, ad Terentii Heautont. ii, iii, 48.

V. 106. DENIQUE SI NON EST, FATI. Hi duo versus a mala manu sunt.

V. 110. NAM NEQUE MORTIFERAS QUISQUAM MINUS ODERIT HERBAS. *Odisse herbas*, quae natura tales sunt, neque sua culpa peccant, cuius est hominis? Amet quis lactucam; non tamen odit brassicam, sed spernit. Vetusti omnes *magis oderit*. Repone,

Nam neque mortiferas quisquam MAGIS EDERIT *herbas.*

V.

Quod natura dedit fruges, non noſtra voluntas.
Sic hominum meritis tanto ſit gratia maior,
Quod caelo gaudente venit: rurſuſque nocentes
Oderimus magis, in culpam poenaſque creatos.
Nec refert, ſcelus unde cadat: ſcelus eſſe fatendum.
Hoc quoque fatale eſt, ſic ipſum expendere fatum.
Quod quoniam docui, ſupereſt nunc ordine certo
Caeleſtes fabricare gradus, qui ducere flexo
Tramite prudentem valeant ad ſidera vatem.
Nunc tibi ſignorum mores, ſummumque colorem;
Et ſtudia et varias artes, ex ordine reddam.
Dives fecundis aries in vellera lanis,
Exuviiſque novus rurſum, ſpem ſemper habebit:
Naufragiumque inter ſubitum cenſuſque beatos

Creſcendo

Vulg. v. 113. ULLA. 114. MENTI tanto FIT GLORIA 123. STUDII varias. 125. EXUTUSQUE NOVIS.

V. 113. NON ULLA VOLUNTAS. Immo lege, *non* NOSTRA *voluntas*. Error ex vetere ſcriptura, *ulla*, *nra*.

V. 114. SIC HOMINUM MENTI TANTO FIT GLORIA MAIOR. Libri veteres, pro *menti* habent *meritis*; pro *fit*, *ſit*. Repone,

Sic hominum MERITIS *tanto* SIT GRATIA *maior,*
Quod caelo gaudente venit.

Gratia et *gloria*, ſive ut in membranis ſcribuntur, *gtia*, *glia* paſſim confunduntur.

V. 119. QUOD QUONIAM DOCUI. Atqui nihil novi hic docuit: nam fato omnia regi ubique docuit, etiam in libro primo. Quare hos tres pro ſpuriis habeo. Sane non diſcipulum, ſed *vatem* per gradus et ſcalas ad ſidera uſque ducere, facetum commentum eſt.

V. 123. ET STUDII VARIAS ARTES EX ORDINE REDDAM. *Artes ſtudii* quid ſint, vel quis ſic locutus ſit, quaero. Repone,

Et STUDIA ET *varias artes ex ordine reddam.*

Sic iii, 148. *et quae ſibi quiſque ſuiſque*
Proponit ſtudia atque artes. et iv, 137.
Haec ſtudia *et ſimiles dicit naſcentibus* artes.

et 527. *dabit* ſtudia et *doctas producet ad* artes.
et 244. *Hinc* artes ſtudiumque *trahis*.
Genitivos hos duplice i, *ſtudii*, *imperii*, nuſquam auctor uſurpat.

V. 125. EXUTUSQUE NOVIS RURSUS, SPEM SEMPER HABEBIT. Veteres univerſi *rurſum*, ſed hoc parvi intereſt. Quid illud *exutus novis lanis?* certe exutus *veteribus:* ſi enim exuuntur, non ſunt novae. Repone,

EXUVIISQUE NOVUS RURSUM, *ſpem ſemper habebit.*

Quia exuviis *novus* ſit, ideo ſpem ſemper habebit. Virgilius Aen. ii, 471, de colubro,

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina paſtus
Nunc poſitis novus exuviis *nitiduſque iuventa.*

V. 127. CRESCENDO CADET, ET NATIS IN DAMNA FERETUR. Gemblacenſis *natis:* Lipſienſis *vatis*; Voſſianus *votis*, et ſic quoque recentiores. Recte, *Creſcendo cadet*,

et

Crescendo cadet, et votis in damna feretur:
In iugulumque dabit fructus, et mille per artes
Vellera diversos ex se parientia quaestus:
Nunc glomerare rudes, nunc rursus solvere lanas,
Nunc tenuare levi filo, nunc ducere tela:
Nunc emere, et varias in quaestum vendere vestes,
Quîs sine non poterant ullae subsistere gentes:
Vel sine luxuria tantum est opus. ipsa suismet
Asseruit Pallas manibus, dignumque putavit,
Seque in Arachnea magnum portasse triumphum.
Haec studia et similes dicet nascentibus artes;
Sed dubia in trepido praecordia pectore finget,
Seque sua semper cupientia vendere laude.
Taurus simplicibus dictabit rura colonis;
Pacatique

Vulg. v. 127. NATIS. 131. TELAS. 136. PUTAT ESSE. 138 ET dubia trepido. 140. DONABIT.

et successibus suis in damna feretur. Ita supra iv, 9.

Materiam struimus magnae per vota *ruinae.*

V. 131. NUNC DUCERE TELAS. Repone,

Nunc tenuare levi filo, nunc ducere TELA.

Lanas glomerare, solvere, tenuare, ducere. Communis omnibus accusativus. Ovid. Metam. iv, 34.

Aut ducunt lanas, *aut stamina pollice versant.*

V. 135. DIGNUMQUE PUTAVIT, SEQUE IN ARACHNEA MAGNUM PUTAT ESSE TRIUMPHUM. *Pallas*, inquit Scaliger, *dicitur triumphus, hoc est triumphatrix.* Merito hoc reiecit Huetius: ipse autem ordine immutato *feliciter*, ut putat, restituit;

magnumque *putavit*,
Seque in Arachnea dignum *putat esse triumphum.*

Triumphum se dignum. Illud interim uterque dissimulat, *putavit* et statim *putat*; quod ab auctore venisse prorsus incredibile est. Repono,

dignumque putavit,
Seque in Arachnea magnum PORTASSE *triumphum.*

V. 138 ET DUBIA TREPIDO PRAECORDIA PECTORE FINGET. Pro *finget* Gemblacensis, Lipsiensis, Venetus *fignum*: Vossianus *figum*. Bene habet *finget*; ut v, 61.

Solertes animos, velocia corpora finget.

et 220.

Effrenos animos violentaque pectora finget.

Scripti quoque omnes, *Et dubia* IN *trepido.* Lege tamen, SED vel *At*, non *Et*. Est Exceptio ad superiorem laudem.

V. 140. TAURUS SIMPLICIBUS DONABIT RURA COLONIS. Sic Lipsiensis. Sed Vossianus et Venetus *dotavit*, Gemblacensis *dotabit*. Repone,

Taurus simplicibus DICTABIT *rura colonis.*

ut supra versu 137. dicet *nascentibus artes.* et infra 177.

Quasque suo dictet *signo nascentibus artes.*

et 571.

Militiam ponto dictat.

V.

Pacatique labor veniet: nec praemia laudis,
Sed terrae tribuet partus. ſubmittit in aſtris
Colla, iugumque ſuis poſcit cervicibus ipſe.
Ille, ſuis Phoebi portat cum cornibus orbem,
Militiam dicit terris, et ſegnia rura
In veteres revocat cultus, dux ipſe laboris;
Nec iacet in ſulcis, volvitque in pulvere pectus.
Serranos Curioſque tulit, faſceſque per arva
Tradidit; eque ſuo dictator venit aratro.
Laudis amor, tacitae mentes, et corpora tardâ
Mole valent, habitatque puer ſub fronte Cupido.
  Mollius e geminis ſtudium eſt, et mitior aetas;
Per varios cantus, modulataque vocibus ora,
Et graciles calamos, et nervis inſita verba,
Ingenitumque ſonum: labor eſt etiam ipſa voluptas.
Arma procul, lituoſque volunt, triſtemque ſenectam:
Otia

Vulg. v. 141. PACATISQUE. 142. ARATRIS. 145. INDICIT. 147. SOLVITQUE.

V. 141. PACATISQUE LABOR VENIET. Libri veteres PACATIQUE, hoc eſt, ſoli, arvi: quod et Scaligero placuit. Horatius, Epiſt. i, ii, 45.

incultae pacantur vomere *ſilvae*.

V. 142. SUBMITTIT ARATRIS COLLA IUGUMQUE SUIS POSCIT CERVICIBUS IPSE. Si ſubmittit colla *aratris*; ſerum eſt *poſcere iugum*, cum iam iugum acceperit. Et quot ſimul *aratris* unus *taurus* colla ſubmittat? Veteres tres *ſubmittit in antris*: In Voſſiano lacuna eſt. Repone,

ſubmittit IN ASTRIS
Colla, iugumque ſuis poſcit cervicibus ipſe.

V. 145. MILITIAM INDICIT TERRIS. Repone,

Militiam DICIT *terris.*

ut infra verſu 571.

Militiam ponto dictat.

Vide ad verſum 140.

V. 147. SOLVITQUE IN PULVERE PECTUS. Quid ſit *ſolvere* pectus in pulvere, nec docent interpretes, neque ipſe concipere poſſum. Repono,

Nec iacet in ſulcis, VOLVITQUE *in pulvere pectus.*

Terent. Andr. iv, iv, 37.

Niſi puerum tollis, iam ego hunc in mediam viam
Provolvam, teque ibidem pervolvam in luto.

Seneca Agam. i. 76. alio ſenſu: *non curarum Somnus domitor* pectora ſolvit.

V. 157. PERAGUNT IN MORTE IUVENTAM. Quo ſenſu hoc aliquis accipiat, nequeo divinare. *Peragere*, hoc eſt, ducere, tranſigere, conſumere, *iuventam in morte*, eſt τῶν ἀδυνάτων; nec ulla ſubeſt verbis ſententia. Repono,

Otia et aeternam peragunt in AMORE *iuventam.*

Seneſtam

Otia et aeternam peragunt in amore iuventam.
Inveniunt et in aſtra vias, numeriſque modiſque
Conſummant orbem, poſtque ipſos ſidera linquunt.
Natura ingenio minor eſt, perque omnia ſervit.
In tot fecundi gemini commenta feruntur.
  Cancer ad ardentem fulgens in cardine metam,
Quam Phoebus ſummis revocatus curribus ambit,
Articulum mundi retinet, luceſque reflectit.
Ille tenax animi, nulloſque effuſus in uſus,
Attribuit varios quaeſtus artemque lucrorum:
Merce peregrina fortunam ferre per urbes,
Et gravia annonae ſpeculantem incendia ventis
Credere opes, orbique orbis bona vendere poſſe,
Totque per ignotas commercia iungere terras,
Atque alio ſub sole novas exquirere praedas,
Et rerum pretio ſubitos componere cenſus.

Navigat,

Vulg. v. 157. MORTE. 159. POSTQUAM. 162. VITTAM. 169. ORBISQUE ORBI.

Senectam procul eſſe iubent, aeternam iuventam in amoribus peragunt; ut v, 111.

vario ducunt in amore iuventam.

V. 159. POSTQUAM IPSOS SIDERA LINQUUNT. Repone,

POSTQUE *ipſos ſidera linquunt.*

Poſt ipſos, hoc eſt, *poſt ſe* linquunt: ut auctor ubique loquitur: poſt aſtronomiam perceptam ad ulteriora ſe ſtudia conferunt.

V. 162. CANCER AD ARDENTEM FULGENS IN CARDINE VITTAM. Vetuſti tres *victam*, Venetus *vitam*. Unde Scaliger *vittam* excogitavit. Repone,

Cancer ad ardentem fulgens in cardine METAM.

Sic i, 570 de eodem cancro,

Temporis et titulo potitur; metamque *volantis*
Solis et extremos deſignat fervidus axes.

et 197.

Cum ſuſpenſus eat Phoebus, curruſque reflectat
Huc illuc agiles, et ſervet in aethere metas.

Virgilius Aen. v, 835.

Iamque fere mediam caeli nox humida metam *Contigerat.*

Lucretius, v, 616.

Canceris *ut vertat* metas *ſe ad ſolſtitiales.*

et iterum, v, 688.

Nam medio curſu flatus aquilonis et auſtri
Diſtinet aequato caelum diſcrimine metas.

Inde eſt verſu ſequenti *revocatus*, nam et hoc a circo deſumptum. Ovid. Amor. iii, 2.

Me miſerum! metam *ſpatioſo circuit orbe.*
Quid facis? admoto proximus axe ſubit.
Favimus ignavo: ſed enim revocate, *Quirites*;
Et date iactatis undique ſigna togis.
En revocant.

V. 169. ORBISQUE ORBI BONA VENDERE POSSE. Immo potius,

ORBIQUE ORBIS *bona vendere poſſe.*

 V.

Navigat, et celeres optando ſortibus annos,
Dulcibus uſuris, aequo quoque, tempora vendit.
Ingenium ſolers, ſuaque in compendia pugnax.
Quis dubitet vaſti quae ſit natura leonis?
Quaſque ſuo dictet ſigno naſcentibus artes?
Ille novas ſemper pugnas, nova bella ferarum
Apparat, et ſpolio vivit pecorumque rapinis:
Hic labor, hoc ſtudium, poſtes ornare ſuperbos
Pellibus, et captas domibus praefigere praedas,

Et

Vulg. v. 179. PECORUM SPOLIO VIVITQUE. 180. HOC HABET.

V. 173. NAVIGAT ET CELERES. Foenerator, qui pecuniam uſura nautica locabat, ipſe una cum debitore ſaepe navigabat. *Celeres annos*, ut Ovid. Remed. Am. 561.

Qui Puteal Ianumque timet celereſque calendas,
Torqueat hunc aeris mutua ſumma ſui.

Aequo quoque, hoc eſt, uſura quae ſortem aequet, quod *cent per cent* dicimus.

V. 179. ET PECORUM SPOLIO VIVITQUE RAPINIS. Voſſianus, *et ſpolio nunc pecorumque rapinis: nunc* mendoſe totidem literarum ductibus pro *vivit*. Repone,

et SPOLIO VIVIT PECORUMQUE *rapinis*.

V. 180. HOC HABET, HOC STUDIUM. Ex repetitione pronominis mendum apparet. Quid repones? an HIC LABOR, *hoc ſtudium?* an *Hoc opus, hoc ſtudium?* Virgilius Aen. vi, 128.

Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Horatius Epiſt. i, iii, 28.

Hoc opus, hoc ſtudium *parvi properemus et ampli.*

An mavis, *Hic amor, hoc ſtudium*; ut Ovid. Metam. xiv, 634 de Pomona,

Hic amor, hoc ſtudium: *Veneris quoque nulla cupido.*

et i, 573 de Peneo,

Haec domus, hae ſedes: *haec ſunt penetralia magni*
Amnis.

V. 182. ET PACARE METU SILVAS, ET VIVERE RAPTO. Statius, a Scaligero citatus, de Atalanta, Theb. iv, 250.

tum ſaltus *forte remotos*
Pacabat *cornu, gelidique averſa Lycei.*

Cornu, id eſt, arcu; ut hic *metu*, formidine, ſive rubra penna, qua feras venatores terrebant; ut docte explicat Huetius. Noſter v, 185.

ducuntur et ipſi
Retibus, et claudunt vaſtos formidine *montes.*

Ceterum pro *vivere rapto*, vetuſti quattuor, *vivere victor*; recentiores duo, *victo*: ut Plautus Rudente iii, 2.

Facite, hic lege potius liceat, quam vi victo vivere.

Sed iam habuimus, *vivit ſpolio et rapinis*; ut hic verſus ſpurius videri poſſit.

V. 184. SED PECORUM MEMBRIS MEDIA GRASSENTUR IN URBE. Voſſianus *pecudum*: recte, nam *pecorum* paulo ante, verſu 179. Gemblacenſis *graſſantur*: id quoque recte; niſi pro *ſed* legas *quin*. Quid vero eſt *graſſari membris?* an ut *vi, ferro, veneno graſſari?* hoc abſurdum: et quorſum hic *membris*, et in proximo verſu *artus?* Repono,

Sed PECUDUM IN MORTES *media* GRASSANTUR *in urbe.*

Mortis pro *mortes* ubique in veteribus membranis.

V. 185. ET LACEROS ARTUS SUSPENDANT. Repone UT *laceros artus*.

V. 186. LUXURIAEQUE PARENT CAEDEM

Et pacare metu ſilvas, et vivere rapto.
Sunt quorum ſimiles animos nec moenia frenent,
Sed pecudum in mortes media graſſantur in urbe,
Ut laceros artus ſuſpendant fronte tabernae,
Luxuriaeque parent coenam, moreſque lucrentur.
Ingenium ad ſubitas iras facileſque receptus
Aequale; et puro ſententia pectore ſimplex.
At quibus Erigone dixit naſcentibus aevum,
Apta magiſterio, nodoque coërcita virgo,

Ab

Vulg. v. 184. PECORUM MEMBRIS—GRASSENTUR. 185. ET. 186. CAEDEM MORTESQUE. 187. RECESSUS. 188. AC QUALE EST PUERO. 190. ORA—NUDOSQUE.

DEM MORTESQUE LUCRENTUR. Gemblacenſis, Lipſienſis et Venetus, *moreſque*. Sed quid eſt *caedem parare* luxuriae? an occidere luxuriam? ut dicunt *parare necem, letum, interitum*. Repone,

Luxuriaeque parent COENAM, MORESQUE *lucrentur.*

Ex moribus publicis, cum coenae luxurioſae immanibus impenſis pararentur, lucrum faciunt. De laniis autem loquitur, ut ex *fronte tabernae* conſtat: non, ut Scaliger, de ferarum in circo confectoribus.

V. 187. INGENIUM AD SUBITAS IRAS FACILESQUE RECESSUS AC QUALE EST PUERO. SENTENTIA PECTORE SIMPLEX. Hoc vero non apte commodeque confictum eſt, ut ingenium, quale *puero* eſt, ſub *leone* naſcatur. Libri univerſi, *Aequale et puero*. Repone,

Ingenium ad ſubitas iras facileſque RECEPTUS

AEQUALE; ET PURO *ſententia pectore ſimplex.*

Ingenium aequale ad iras et receptus; parvo momento huc vel illuc impellitur. Ex leonis natura hoc apoteleſma ducitur; cui ex omnibus feris generoſitas ineſt, et in ſupplices et proſtratos clementia. *Receptus* ab ira ad clementiam. *Puro pectore*, ut Horatius, Serm. i, vi, 64.

Non patre praeclaro, ſed vita et pectore puro.

et Epiſt. i, ii, 67.

nunc adbibe puro
Pectore *verba, puer.*

V. 190. ORA MAGISTERIO, NUDOSQUE COERCITA VIRGO AD STUDIUM DUCIT MORES. Ordo erit, narrante Scaligero, *Virgo coërcita ducit magiſterio in ſtudium et mores nudos*. Verum haec nimis intricata ſunt, ἑλικτὰ κοὐδὲν ὑγιές. Idem igitur mavult *nodoque*, quod in priore editione ex coniectura dederat. Eſto, ut *nodoque* admittendum ſit: quid ea quae reſtant? Cur *ora virgini coërcentur*, quae

Ipſa decus linguae faciet regnumque loquendi?

Cur ipſa *magiſterio* coërcetur, quae aliis *magiſtra* eſt? ut infra 382.

Nec leo venator veniet, nec virgo magiſtra,
Menſuris aut libra potens, aut ſcorpios armis.

Codex Voſſianus pro *ora* habet *opta*. Repone,

APTA *magiſterio*, NODOQUE *coërcita virgo.*

Apta magiſterio, ut contra Horatius, Epiſt. ii, ii, 6.

Verna miniſteriis *ad nutus* aptus *beriles.*

Quo autem ſenſu *nodo coërcita?* an ob veſtem, vel crines? ut Horatius Carm. ii, xix, 19.

Nodo coërces *viperino*
Biſtonidum ſine fraude crines.

non placet: quippe virgo ipſa coërcita eſt, non eius veſtis; ut Virgilius Aen. i, 324.

Venatrix, nodoque *ſinus collecta fluentes.*

An *nodo* erit laqueo, ex hiſtoria? quia Erigone, patre a paſtoribus occiſo, ſuſpendio ſe necavit; ob eam pietatem in caelum tranſlata. Mihi ideo *nodo coërcita* eſt, quia coërcetur et terminatur libra, quae cum reliquis cardinibus

Ab ſtudio ducet mores, et pectora doctis
Artibus inſtituet: nec tam compendia cenſus,
Quam cauſas vireſque dabit perquirere rerum.
Illa decus linguae faciet, regnumque loquendi;
Atque oculos mentis, qui poſſint cernere cuncta,
Quamvis occultis naturae condita cauſis.
Hic et ſcriptor erit velox, cui litera verbum eſt,
Quique notis linguam ſuperet, curſimque loquentis
Excipiat longas nova per compendia voces.
Ingenio bonus: at teneros pudor impedit annos,
Magnaque naturae cohibendo munera frenat.
Nec fecundus erit (quid mirum in virgine?) partus.

Librantes

Vulg. v. 191. AD STUDIUM DUCIT. 192. INSTITUIT. 195. QUAE POSSIT. 200. IN VITIO. 202. HINC——QUOD.

nodus et *articulus* anni vocatur; Lucretius v, 687, de sole;

Donec ad id ſignum caeli pervenit, ubi anni
Nodus *nocturnas exaequat lucibus umbras.*

Noſter iii, 622.

Quae tropica appellant, quod in illis quattuor anni
Tempora vertuntur ſignis, nodoſque *reſolvunt.*

Coërcita quoque proprie dictum, ut iii, 647.

Namque aries *Phoebum repetentem ſidera cancri*
Inter principium reditus finemque coërcet.

Nodo coërcita, ideoque et magiſterio aptior: quia qui alios coërcet, et ſe quoque debet; exemploque ſuo diſcipulis praeire.

V. 191. AD STUDIUM DUCIT MORES. Immo *ducet*, et mox pro *inſtituit*, *inſtituet*; ut cum ſequentibus congruant, *dabit*, et *faciet*. Sed quid illud eſt, *ducet mores ad ſtudium?* cum contra a ſtudiis mores ducantur. Ovid. Heroid. xv, 83.

Sive abeunt ſtudia in mores, *arteſque magiſtrae.* et Artis Am. iii, 545.

Scilicet ingenium placida mollimur ab arte;
Et ſtudio mores *convenienter eunt.*

Repone igitur,

AB STUDIO DUCET *mores.*

V. 195. ATQUE OCULOS MENTIS QUAE POSSIT CERNERE CUNCTA. Gemblacenſis, Venetus et Lipſienſis, *Atque oculos* menti, qua *poſſit*. Voſſianus, *mentis qui poſſit*. Vel illud prius adſciſce, vel hoc,

Atque oculos mentis, QUI POSSINT *cernere cuncta.*

V. 200. IN VITIO BONUS: AT TENEROS PUDOR IMPEDIT ANNOS. *In vitio bonus*, ὀξύμωρον, inquit Scaliger; *vitium, ſubruſticus ille pudor*. Mihi vero non ὀξύμωρον, ſed plane μωρὸν videtur, *bonus in vitio*, hoc eſt, bonus in malo. Voſſianus, *invicio bonus ut*. Repone,

INGENIO *bonus; at teneros pudor impedit annos.*

Ingenio, ſive natura et indole.

V. 202. HINC FECUNDUS ERIT, QUOD MIRUM IN VIRGINE, PARTUS. *Fecundi*, inquit Scaliger, *etiam ſub virgine naſcuntur, quod mirum*. At qui hanc vaniſſimam artem primi condiderunt, non mira, ſed probabilia ſecuti ſunt. Pro *hinc* tres vetuſti *nec*; Venetus, *haec*. Voſſianus autem pro *quod* habet *quid*. Repone igitur,

NEC

Librantes noctem chelae cum tempore lucis,
Cum nova maturi gustamus munera Bacchi,
Mensurae tribuent usus, ac pondera rerum,
Et Palamedeis certantem viribus ortum,
Qui primus numeros rebus, qui nomina summis
Imposuit, certumque modum, propriasque figuras.
Hic etiam legum tabulas, et condita iura
Noverit, aque notis levibus pendentia verba;
Et licitum sciet, et vetitum quae poena sequatur,
Perpetuus populi privato in limine praetor.
Non alio potius genitus sit Servius astro,
Qui leges proprias posuit, cum iura retexit.

Denique

Vulg. v. 204. PER——POST ANNUM TEMPORA. 205. ET——ET. 207. MOMINA. 210. ATQUE. 214. POTIUS——QUAM.

NEC *fecundus erit* (QUID *mirum in virgine?*) *partus.*

V. 204. PER NOVA MATURI POST ANNUM TEMPORA BACCHI. Vulgatae editiones habebant,

Per nova maturi post addunt munera *Bacchi.*

De hoc Scaliger in priore editione, *Versus est,* inquit, *non solum irreptitius, sed et ridiculus et barbarus, ac nullam sententiam efficit;* et e textu prorsus ablegavit. At in posteriore, *Inepte,* inquit, *Gemblacensis* post annum: *Chelae librantes noctem cum luce per nova munera Bacchi. Suspectus versiculus.* Et merito, quidem: nisi emendari posset. Sed vir magnus nimium festinans, *tempora* in textu posuit; cum libri omnes haberent, et ipse vellet *munera* Repono, [*Bacchi.*

CUM *nova maturi* GUSTAMUS MUNERA

Sic Ovidius, Art. Am. i, 565.

Ergo ubi contigerint positi tibi munera Bacchi.

Sub libra, cum nova musta gustamus: sub eadem enim, iii, 662.

Tum Liber gravida descendit lenis ab ulmo,
Pinguiaque e pressis exspumant musta racemis.

Juvenalis x, 250 de Nestore,

Quique novum toties mustum bibit.

vel uvas maturas. Martial. viii, 68.

Invida purpureos urat ne bruma racemos,
Et gelidum Bacchi munera *frigus edat.*

Gustamus, postannum: talia erratorum portenta in uno alterove codice, et interdum in omnibus, singulis fere paginis occurrunt.

V. 205. MENSURAE ET TRIBUENT USUS, ET PONDERA RERUM. Libri veteres,

Mensurae tribuent usus, AC *pondera rerum.*

V. 207. QUI MOMINA SUMMIS IMPOSUIT. Iterum sua *momina* induxit Scaliger; numquam felice successu; quam ob rem Huetio hic vapulat. Vetusti omnes *nomina summis:* quod recte se habere vel Sophoclis de Palamede versus indicant, ab ipso Scaligero citati;

πρῶτος ἐξ ἑνὸς δέκα,
Κἆτ᾽ ἐκ δέκ᾽ αὖθις εὗρε πεντηκοντάδας,
Καὶ χίλι᾽ αὖθις.

Certe qui summas, *decem, quinquaginta, mille* primus invenit; idem summis illis primus *nomina* imposuit. Nec summae enim sine nominibus esse poterant, nec nomina sine summis.

V. 210. ATQUE NOTIS LEVIBUS PENDENTIA VERBA. Immo AQUE *notis.*

V. 214. QUI LEGES POTIUS POSUIT, QUAM IURA RETEXIT. Sententia satis obscura,

Denique in ambiguo fuerit quodcumque locatum,
Et rectoris egens, diriment examina librae.
Scorpios armatae metuendus cuspide caudae,
Qua, sua cum Phoebi currum per sidera ducit,
Rimatur terras, et sulcis semina miscet,
In bellum ardentes animos, et Martia corda
Efficit, et multo gaudentem sanguine Syllam:
Nec praeda, quam caede magis. quin ipsa sub armis
Pax agitur: capiunt saltus, silvasque pererrant.

Nunc

Vulg. v. 217. ARMATA VIOLENTA——CAUDA. 218. QUI. 220. CASTRA. 221. CIVEM. 222. CUMQUE.

scura. Vossianus *cum iura*; neque aliter Gemblacensis et Lipsiensis, nisi quod superne habeant *quam* pro lectione varia. Illud *potius* inconcinne hic venit; cum in praecedente versu et eodem versus loco venerit, *non alio potius*. Repono,

Qui leges PROPRIAS *posuit*, CUM *iura retexit*.

Servius Sulpitius, vel quivis iurisconsultorum princeps, dum iura prius condita et incognita retegit, non minus facit, quam si proprias leges poneret, earum lator non interpres.

V. 217. SCORPIOS ARMATA VIOLENTA CUSPIDE CAUDA. Vide modo ista ὁμοιοτέλευτα, *armata*, *violenta*, *cauda*. Elegantior est Noster, et poëtici iuris peritior, quam ut talia effutiat. Quid quod *violenta* mox iterum habemus, versu 224. Ne diffidas emendationi quam daturus sum, veneratione librariorum; scias hic veteres universos habere *Scorpion*; Vossianum insuper *armati*. An ulla talibus reverentia debetur? Repone,

Scorpios ARMATAE METUENDUS *cuspide* CAUDAE.

Metuendus, ut Noster ii. 559 de scorpio;

Erigonen libramque fugit, metuendus *et ipse*.

Horatius, Carm. ii. xvii, 17.

Seu libra seu me scorpios *aspicit*
Formidolosus.

Ovid. Fast. iv, 163.

Dum loquor, *elatae* metuendus *acumine caudae*
Scorpios *in virides praecipitatur aquas*.

V. 218. QUI SUA CUM PHOEBI CURRUM PER SIDERA DUCIT. Libri universi, *Qua sua*. Hic Scaliger, *Qua sua*) *inepte*: *lege Qui sua*. Bona tua venia, ὦ θαυμάσιε, non inepte, sed eleganter et vere,

cuspide caudae,
QUA, *sua cum Phoebi currum per sidera ducit*,
Rimatur terras.

Qua caudae cuspide rimatur terras. Neque enim toto corpore, sed cuspide, tamquam vomere, terram vertere fingitur.

V. 220. IN BELLUM ARDENTES ANIMOS ET MARTIA CASTRA EFFICIT. *Martia castra efficit?* putide et inepte. Cum *efficit* dicit, ingenium et indolem hominum, non hominum ipsorum opera dicit. Repone,

In bellum ardentes animos et Martia CORDA
Efficit.

Animos et *corda*, ut infra 529.

Nec triste ingenium, *sed dulci tincta lepore*
Corda creat.

et v, 63.

Solertes animos finget, *curasque per omnes*
Indelassato properantia CORDA *vigore*.

et 135.

Hinc timidae mentes, *tremebundaque* corda *creantur*.

V. 221. ET MULTO GAUDENTEM SANGUINE CIVEM. Cur *civem* magis, quam regem, aut tyrannum? Quid quod *civis* relativum et τῶν πρός τι: si scorpios efficit *civem*, ipsius scorpii civis erit. Repone,

Efficit,

Nunc hominum, nunc bella gerunt violenta ferarum:
Nunc caput in mortem vendunt, et funus arenae:
Atque hostem sibi quisque parat, cum bella quiescunt.
Sunt quibus et simulacra placent, et ludus in armis;
Tantus amor pugnae, discuntque per otia bellum,
Et quodcumque nepae studium producitur astro.
At quîs semifero centauri in corpore sors est
Nascendi concessa, libet subiungere currus,
Ardentes et equos ad mollia ducere frena,

Et

Vulg. v. 228. pugnae EST. 229. PARI——ARTE. 230. QUIBUS IN BIFERO centauri corpore.

Efficit, et multo gaudentem sanguine SYLLAM.

Syllam: ut supra *Palamedem*, *Servium*, et infra *Hannibalem*, *Tiphyn*, *Bellerophonten*, *Eumaeum*, *Sybolen*, &c. *Syllam*; notum ex historia. Lucanus ii, 139.

Sylla *quoque immensis accessit cladibus ultor,*
Ille, quod exiguum restabat sanguinis *urbi*,
Hausit: dumque nimis iam putrida membra recidit,
Excessit medicina modum, *&c.*

Stat. Silv. iv, 6.

nec barbarus umquam
Hannibal, aut saevi *poterit vox horrida* Syllae.

V. 222. CUMQUE IPSA SUB ARMIS PAX AGITUR. Vetusti omnes, QUIN *ipsa*. Quòd cum Scaliger in Gemblacensi vidisset, non recepisse miror.

V. 225. NUNC CAPUT IN MORTEM VENDUNT, ET FUNUS ARENAE. Sic codices: sed acutissimus Nic. Heinsius ad Claudianum et Ovidium sic mavult,

Nunc caput ad Martem *vendunt, et* munus *arenae.*

Munus arenae satis bene; *Martem* non aeque. Retinemus utrumque, et *mortem* et *funus*. Horatius, Serm ii, vii, 58.

Quid refert, uri virgis ferroque necari
Auctoratus *eas.*

Ergo ad *mortem* se vendebant; et *funus arenae*, ut i, 883.

Extulit antiquas per funera pacis *Athenas.*

V. 228. TANTUS AMOR PUGNAE EST. *Est* a Gemblacensi abest. Sic Virgilius, Georg. ii, 301. *Tantus amor terrae:* et Georg. iii, 112. *Tantus amor laudum:* et Georg. iv, 205. *Tantus amor florum.* ubique sine verbo substantivo.

V. 229. ET QUODCUMQUE PARI STUDIUM PRODUCITUR ARTE. Atqui non studium arte, sed ars studio producitur. Repone,

Et quodcumque NEPAE *studium producitur* ASTRO.

Nepa idem est quod scorpios. Sic ii, 32, et alibi.

V. 230 AT QUIBUS IN BIFERO CENTAURI CORPORE SORS EST. Sic quidem librarii; sed quo iure dispiciamus. *Bifero corpore?* quale illud est corpus? *Semiferos* alii appellant centauros, Lucretius, Cicero. Virgilius, quis non? Si, ut sunt, semiferi sunt, quo sensu erunt *biferi?* Si *biferi*, tum toti sunt equini, et non centauri. *Biferum* est, quod bis in anno fructus ferat, ut Virgilius Georg. iv, 119. *biferique rosaria Paesti.* nullo alio sensu fertur, nec ferri potest. *Semibos*, *semideus*, *semihomo*, *semifer*, haec recte: *bibos*, *bideus* absurdissime. Repone,

At QUIS SEMIFERO *centauri* IN *corpore sors est.*

V.

Et totis armenta ſequi paſcentia campis,
Quadrupedum omne genus poſitis domitare magiſtris,
Exarmare tigres, rabiemque auferre leoni,
Cumque elephante loqui, tantamque aptare docendo
Artibus humanis varia ad ſpectacula molem.
Quippe ferae mixtum eſt hominis per ſidera corpus:
Impoſitumque manet: quocirca regnat in illas.
Quodque intenta gerit curvato ſpicula cornu;
Et nervos tribuit membris, et acumina cordi,
Et celeres motus, nec delaſſabile pectus.
Veſta tuos, capricorne, fovet penetralibus ignes:
Hinc artes ſtudiumque trahis. nam quicquid in uſus
Ignis eget, poſcitque novas ad munia flammas,
Sub te cenſendum eſt: ſcrutari caeca metalla,
Depoſitas et opes terrarum exquirere venis,
Materiamque manu certa duplicarier arte:

Quicquid

Vulg. v. 235. EXORARE. 236. LOQUENDO. 245. AGIT——MUNERA. 247. TERRAEQUE EXURERE VENAS.

V. 235. EXORARE TIGRES, RABIEMQUE AUFERRE LEONI. Codices omnes *exorare*; etiam Gemblacenſis, quem Scaliger falſo credidit *exunglare* praeferre. Lego EXARMARE; potius quam *et cicurare*. Lampridius, *Leones et leopardos exarmatos*. Calpurnius Eclog. v, de ſerpente,

et obtuſo iacet exarmata *veneno*.

V. 236 CUMQUE ELEPHANTE LOQUI, TANTAMQUE APTARE LOQUENDO. Non placet *loqui* et *loquendo*. Repone,

tantamque aptare DOCENDO.

V. 238. QUIPPE FERAE MIXTUM EST. Hi duo ſpurii videntur; certe infra auctoris elegantiam.

V. 245. NAM QUICQUID IN USUS IGNIS AGIT, POSCITQUE NOVAS AD MUNERA FLAMMAS. Ordo erit, *Nam quicquid ignis agit in uſus*. Sed melius veteres, *ignis eget*: eget ignis, ſive igne. Pro *munera*, Venetus et Lipſienſis *flumina*. Repone igitur,

nam quicquid in uſus
Ignis EGET, *poſcitque novas ad* MUNIA *flammas*.

Infra 276.

Quicquid et in proprios pelagus deſiderat uſus.

V. 246. SCRUTARI CAECA METALLA, DEPOSITAS ET OPES, TERRAEQUE EXURERE VENAS. Veteres libri, *terramque exurere venis*. Repone,

Depoſitas et opes TERRARUM EXQUIRERE VENIS.

V 248. MATERIAMQUE MANU CERTA DUPLICARIER ARTE. Scaliger hunc verſum exſibilat, ut ab illiterato alchymiſta intruſum. *Scrutari*, *exurere*, activa; *duplicari* paſſivum: *numquam*, ait, *haec auctor coniunxiſſet*; *ut neque* duplicarier *dixiſſet pro* duplicari. At Huetius, ſemper Scaligero iniquus, *duplicari* vim activam habere, et *duplicarier* forma

vetere

Quicquid et argento fabricetur, quicquid et auro:
Quòd ferrum calidi ſolvant atque aera camini,
Conſummentque foci Cererem, tua munera ſurgent.
Addis et in veſtes ſtudium, mercemque fugacem,
Frigore brumalem ſervans per ſaecula ſortem,
Qua retrahis ductas ſumma ad faſtigia noctes,
Naſcentemque foves revocatis lucibus annum.
Hinc et mobilitas rerum, mutataque ſaepe
Mens natat. at melior iuncta ſub priſte ſenecta eſt:
Pars prior at Veneri mixto cum crimine ſervit.
  Ille quoque, inflexa fontem qui proiicit urna,
Cognatas tribuit iuvenilis aquarius artes.
Cernere ſub terris undas, inducere terris,
Ipſaque converſis aſpergere fluctibus aſtra,
Littoribuſque novis per luxum inludere ponto,
Et varios fabricare lacus, et flumina ficta,

Et

Vulg. v. 251. CONSUMANTQUE. 253. SIDERA. 255. FACIS. 257. IUNCTO SUB PISCE. 263. LUDERE.

vetere recte dici contendit. Ego cum Scaligero ſentio: neque verſum agnoſco, niſi et ordine mutatum, et velut ex alchymiſtae furno ſic recoctum, ut pene alius videatur. Libri veteres univerſi *duplicari et arte*. An ſic placebit?

Quicquid et argento fabricetur, quicquid et auro
Materiamque rudem cara duplicaverit *arte*.

Ovidius, Met. ii, 5.

Materiam ſuperabat opus.

Noſter iii, 28.

Aureque atque ebori decus addere, cum rudis ipſa
Materies *niteat*. et v, 502.
Artifices auri *faciet, qui mille figuris*
Vertere opus poſſint, caraeque *acquirere dotem*
Materiae.

V. 251. CONSUMANTQUE FOCI CEREREM. Codices veterrimi, Gemblacenſis et Lipſienſis, *Conſumentque*. Unde liquido emendandum CONSUMMENTQUE. Conſummatio frumenti eſt paniſicium in furno. Vidit et Huetius.

V. 253. SERVANS PER SIDERA SORTEM. Iidem codices, *per* SAECULA. Quod hic reſtituendum.

V. 255. NASCENTEMQUE FACIS REVOCATIS LUCIBUS ANNUM. Gemblacenſis a manu prima *focis*. Unde legerim, *Naſcentemque* FOVES. Vide ſupra verſum 243.

V. 257. MELIOR IUNCTO SUB PISCE SENECTA EST. Tres veterrimi codices *iuncta*. Dedit auctor,

IUNCTA SUB PRISTE *ſenecta eſt*.

V. 263. PER LUXUM LUDERE PONTO. Veteres univerſi INLUDERE. Recte.

Et peregrinantes domibus suspendere rivos.
Mille sub hoc habitant artes, quas temperat unda.
Quae per aquas veniunt operum, pontesque sequuntur.
Quippe etiam mundi faciem, sedesque movebit
Sidereas, caelumque novum versabit in orbem.
Mite genus, dulcesque fluunt ab sidere partus:
Pectora nec sordent: faciles in damna feruntur:
Nec deest, nec superest census. sic profluit urna.
   Ultima quos gemini producunt sidera pisces,
His erit in pontum studium, vitamque profundo
Credent, et puppes, aut puppibus arma parabunt,
Quicquid et in proprios pelagus desiderat usus.
Innumerae veniunt artes. vix nomina rebus
Sufficiunt. tot sunt parvae quoque membra carinae.
Adde gubernandi studium. pervenit in astra,
Et pontum caelo coniunxit. noverit orbem
Fluminaque et portus mundi ventosque, necesse est.
Iamque huc atque illuc agilem convertere clavum,
Et frenare ratem, fluctusque effindere rectos;
Aut remos agitare, et lentas flectere tonsas:
Et placidum inductis everrere retibus æquor,
Littoribusque suis populos exponere captos;

Aut

Vulg. v. 270. DOCILESQUE. 278. QUOT.

V. 267. QUAE PER AQUAS VENIUNT, OPERUM, PONTESQUE SEQUUNTUR. Versus ineptus et spurius In codicibus scriptis habetur post versum 269.

V. 270. MITE GENUS, DOCILESQUE FLUUNT AB SIDERE PARTUS. Omnes scripti habent DULCESQUE. Quod cur mutaverint, nescio.

V. 278. TOT SUNT PARVAE QUOT MEMBRA CARINAE. Liquido emendandum est, *parvae* QUOQUE. Et sic scripti fere omnes.

V. 293. MATERIA PROPRIA. Ita codices universi: sed legendum NATURA. Ut intra versu 318.

natura *per astrum*
Stat tamen et proprias miscet per singula vires.

V.

Aut uncos celare cibis, aut carcere fraudem:
Navales etiam pugnas, pendentia bella
Attribuunt, pelagique infectos ſanguine fluctus.
Fecundum genus eſt natis, et amica voluptas,
Et celeres motus, mutataque cuncta per aevum.
Hos tribuunt mores, atque has naſcentibus artes
Bis ſex natura propria pollentia ſigna.
Sed nihil in ſemet totum valet. omnia vires
Cum certis ſociant ſignis ſub ſortibus aequis,
Et velut hoſpitio, mundi commercia iungunt,
Conceduntque ſuas partes retinentibus aſtris.
Quapropter Graiae dixere Decania gentes.
A numero nomen poſitum eſt, quod partibus aſtra
Condita tricenis triplici ſub ſorte feruntur,
Et tribuunt denas in ſe coëuntibus aſtris,
Inque vicem ternis habitantur ſingula ſignis.
Sic altis natura manet conſepta tenebris,
Et verum in caeco eſt, multaque ambagine rerum.
Nec brevis eſt uſus, nec amat compendia caelum.
Verum aliis alia oppoſita eſt et fallit imago,
Mentiturque ſuas vires, et munia celat:
Quae tibi non oculis, alta ſed mente fuganda eſt
Caligo:

Vulg. v. 293. MATERIA. 295. PARTIBUS. 298. QUAM PARTEM DECIMAM. 302. SIDERA. 307. MOMINA.

V. 295. SUB PARTIBUS AEQUIS. Legendum, *ſub* SORTIBUS *aequis* Ut infra ſaepius.

V. 298. QUAM PARTEM DECIMAM DIXERE DECANIA GENTES. Scripti vetuſtiores non *decimam* habent, ſed *decanae* et *degane*. Lege certiſſime,

QUAPROPTER GRAIAE *dixere decania gentes.*
A numero nomen poſitum eſt.

Ut Noſter i, 751. quapropter *lacteus orbis*
Dicitur, et nomen cauſa deſcendit ab ipſa.

V. 302. TERNIS HABITANTUR SIDERA SIGNIS. Apage Battologiam iſtam *aſtra, aſtris, ſidera.* Dedit auctor,
habitantur SINGULA *ſignis.*

V. 307. ET MOMINA CELAT. Libri ſcripti, *nomina.* Lege vel *numina*, vel *munia.*

 V.

Caligo; penitusque deus, non fronte notandus.
Nunc quae sint coniuncta quibus quove ordine reddam;
Ne lateant aliae vires aliena per astra.
Namque aries primam sortem sibi vindicat ipsi:
Altera sors tauro, geminis sors tertia cedit.
Sic inter trinos divisum ducitur astrum;
Totque dabit vires, dominos quotcumque recepit.
Diversa in tauro ratio est, nec sorte sub ulla
Censetur: cancro primam, mediamque leoni,
Extremam Erigonae tribuit. natura per astrum
Stat tamen, et proprias miscet per singula vires.
Libra decem partes geminorum prima capessit;
Scorpios adiunctas: centauri tertia sors est.
Nec quisquam numero discernitur: ordine cedit.
Cancer in adversum capricorni dirigit astrum,
Bis quinas primum partes dignatus in illo
Temporis articulo, sub quo censetur et ipse;
Quod facit aequales luces brumalibus umbris,
Cognatamque gerit diverso in cardine legem.
Alterius sortis perfundit aquarius ignes,
Quem subeunt pisces extremo sidere cancri.

At

Vulg. v. 312. PARTEM. 313. PARS. 314. IN TER DENAS. 316. PARTE sub ILLA. 321. ADIUNCTAM——PARS. 328. PARTIS.

V. 312. NAMQUE ARIES PRIMAM PARTEM SIBI VINDICAT IPS', ALTERA SORS TAURO, GEMINIS PARS TERTIA CEDIT. Pro *partem* et *pars*, emendandum est SORTEM et SORS. *Sors* hic valet decem *partes*. Ut supra versu 300.

quod partibus astra
Condita tricenis triplici sub sorte feruntur.

V. 314. SIC IN TER DENAS DIVISUM DUCITUR ASTRUM. Libri veteres *inter*, uno verbo; non *in ter*. Neque enim hoc nunc docemur, signum dividi in partes triginta: id tralatitium est. Corrige,

Sic INTER TRINOS;

hoc est, tres dominos; ut mox, versu sequente,

dominos quotcumque recepit.

V. 316. NEC PARTE SUB ILLA CENSETUR. Ita nullo sensu tam scripti quam editi. Legendum, *nec* SORTE SUB ULLA. Taurus primam sortem sive decem partes dat cancro,

At leo confortis meminit, fub lege trigoni,
Lanigerumque ducem recipit; taurumque quadrato
Coniunctum fibi: fub geminis fors tertia fertur:
Hos quoque coniungit per fenos linea flexus.
Praecipuum Erigone cancro concedit honorem,
Cui primam tribuit fortem. vicina relicta eft
Vicino, Nemeaee, tibi. fors ipfius ima eft,
Quae faftidito conceffa eft iure potiri.
Sed libra exemplo gaudet, pariterque regentem
Noctes atque dies diverfo in tempore fecum
Lanigerum fequitur. veris iuga temperat ille:
Haec autumnales componit lucibus horas.
Nulli concedit primam, traditque fequenti
Vicinam fortem. centauri tertia fumma eft.
Scorpios in prima capricornum forte locavit:
Alterius dominum fecit, cui nomen ab undis:
Extremas voluit partes fub pifcibus effe.
At qui contento minitatur fpicula nervo,
Lanigero primas tradit fub iure trigoni,
Et medias tauro partes, geminifque fupremas.
Nec manet ingratus capricornus crimine turpi,

Sed

Vulg. v. 332. PARS. 335. PARTEM. 336. PARS. 343. PARTEM. 344. PARTE. 345. QUI nomen fecit.

cancro, alteram leoni, tertiam virgini: ipfe nulla hic forte fruitur.

V. 321. SCORPIOS ADIUNCTAM: CENTAURI TERTIA PARS EST. Lege,

Scorpios ADIUNCTAS, *centauri tertia* SORS *eft*.

hoc eft, alias decem partes.

V. 328. ALTERIUS PARTIS. Iterum emendandum eft SORTIS. Sic et verfu 332. SORS *tertia*. et verfu 335. *Cui primam tribuit* SORTEM. et 336. SORS *ipfius ima*. et 343. *Vicinam* SORTEM. et 344. *in prima* SORTE. Nimirum *pars* eft tricefima pars figni: at *fors* in omnibus locis eft tertia pars figni, five partes ex triginta decem.

V. 345. ALTERIUS DOMINUM, QUI FECIT NOMEN AB UNDIS. Libri veteres magno numero *cui* non *qui*. Repone ex codice Voffiano,

Alterius dominum fecit, CUI *nomen ab undis*.

V.

Sed munus reddit cancro ; recipitque receptus ,
Principiumque ſui donat . coniuncta leonis
Regna ferunt , ſummas partes at virginis eſſe .
Fontibus aeternis gaudens urnaque fluenti
Iura ſui librae permittit prima regenda :
Haerenteſque decem partes nepa vindicat ipſi :
Summas centaurus retinet iuvenile per aſtrum .
Iam ſuperant gemini piſces , qui ſidera claudunt .
Lanigero primos tradunt in finibus uſus .
Perque decem medias partes tu , taure , receptus .
Quod ſupereſt , ipſi ſumunt : utque orbe feruntur
Extremo , ſic et fortis pars ultima cedit .
Haec ratio retegit latitantis robora mundi ,
In pluresque modos repetitaque munia caelum
Dividit , et melius ſociat , quo ſaepius , orbem .
Nec tua ſub titulis fallantur pectora notis :
Diſſimulant , non ſe oſtentant mortalibus aſtra .
Altius eſt acies animi mittenda ſagacis ;
Inque alio quaerenda manent , iunctiſque ſequentum
Viribus : et cuius ſigni quis ſorte creatur ,
Eius habet mores , atque illo naſcitur aſtro .

Talis

Vulg. v. 361. ATQUE. 364. NOMINA. 366. NE. 367. non OSTENDUNT. 369. ALTO——SEQUENDUM. 370. PARTE.

V. 361. ATQUE ORBE FERUNTUR EXTREMO. Certiſſime dedit auctor,

UTQUE *orbe feruntur.*

Alterum alteri reſpondet, *ut*, *ſic*.

V. 364. REPETITAQUE NOMINA CAELUM DIVIDIT. Gemblacenſis et alii habent, *repetit atque omina.* Lege,

repetitaque MUNIA *caelum Dividit.*

Dividit munia, ut Horatius Serm. ii, ii, 67.

dum munia didit.

Didit id ipſum eſt quod *dividit.*

V. 366. ORBEM, NE TUA. Mutata diſtinctione poſt *orbem*, reſcribendum eſt NEC, ut omnes codices manuſcripti.

V. 368. DISSIMULANT, NON OSTENDUNT. Gemblacenſis et alii veteres habent, *oſtentur.* Lego,

Diſſimulant, non SE OSTENTANT *mortalibus aſtra.*

V.

Talis per denas ſortes natura feretur.
Teſtis erit varius ſub eodem ſidere foetus,
Quodque in tam multis animantum millibus, uno
Quae veniunt ſigno, tot ſunt, quot corpora, mores;
Et genus externum referunt aliena per aſtra,
Confuſique fluunt partus hominum atque ferarum.
Scilicet in ſortes iunguntur condita plures,
Diverſaſque ferunt proprio ſub nomine leges.
Nec tantum lanas aries, nec taurus aratra,
Nec gemini muſas, nec merces cancer amabit,
Nec leo venator veniet, nec virgo magiſtra,
Menſuris aut libra potens, aut ſcorpios armis,
Centaurуſque feris, igni capricornus, et undis
Ipſe ſuis iuvenis, geminique per aequora piſces;
Mixta ſed in plures ſociantur ſidera vires.
Multum, inquis, tenuemque iubes me ferre laborem,
Rurſus et in magna mergis caligine mentem;
Cernere cum facili lucem ratione viderer.
Quod quaeris, deus eſt. conaris ſcandere caelum,
Fataque fatali genitus cognoſcere lege,
Et tranſire tuum pectus, mundoque potiri?

Pro-

Vulg. v. 378. PARTES. 395. SUNT.

V. 369. INQUE ALTO QUAERENDA MANENT, IUNCTISQUE SEQUENDUM VIRIBUS. Pro *alto* libri ſcripti ALIO. Recte; hoc eſt, *alio ſigno:* et inſuper, quod et alii iam viderunt, reponendum eſt,

iunctiſque SEQUENTÛM
Viribus.

ſequentium nempe ſignorum. Deinde, verſu ſequente, pro *parte* lege *ſorte*, ut ſupra.

V. 378. SCILICET IN PARTES. Etiam hic iiſdem de cauſis reſcribendum eſt SORTES.

V. 387. MULTUM, INQUIS, TENUEMQUE IUBES ME FERRE LABOREM. Huic verſui ſubnectendus eſt ille alter,

Rurſus et in magna mergis caligine mentem:

qui ex ſuo loco in alienum prorſus, poſt verſum nempe 396, detruſus ſenſum omnino ibi perturbat: hic vero ſatis commode venit.

V.

Pro pretio labor eſt, nec ſunt immunia tanta.
Nec mirere viae flexus, rerumque catenas.
Admitti potuiſſe ſat eſt. ſint cetera noſtra.
At niſi perfoſſis fugiet te montibus aurum,
Obſtabitque ſuis opibus ſuperaddita tellus.
Ut veniant gemmae; totus tranſibitur orbis.
Nec lapidum pretio pelagus cepiſſe pigebit.
Annua ſolliciti conſummant vota coloni:
Et quantae mercedis erunt fallacia rura?
Quaeremus lucrum navi, Martemque ſequemur
In praedas? pudeat tanto bona velle caduca:
Luxuriae quoque militia eſt, vigilatque culinis
Venter: et, ut pereant, ſuſpirant ſaepe nepotes.
Quid caelo dabimus? quantum eſt, quo veneat omne?
Impendendus homo eſt, deus eſſe ut poſſit in ipſo.
Hac tibi naſcentum mores ſunt lege notandi.
Nec ſatis eſt ſignis dominantia diſcere ſigna

Per

Vulg. v. 404. VIGIL, ATQUE RUINIS.

V. 395. SUNT CETERA NOSTRA. Omnes veteres SINT; et recte.

V. 398. UT VENIANT GEMMAE, TOTUS TRANSIBITUR ORBIS. Verſus κακῶς κόμμαλος.

V. 404. LUXURIAE QUOQUE MILITIA EST VIGIL, ATQUE RUINIS VENTER. Omnes ſcripti, *vigilatque* unico verbo. Corrige et diſtingue,

Luxuriae quoque militia eſt, VIGILATQUE CULINIS
Venter.

V. 413. ET STERILES UTROQUE TAMEN QUAS LARGIOR HUMOR QUASQUE MINOR IAM SUCCUS OBIT. Haec plane portenta ſunt. Duo praeſtantiſſimi codices, Gemblacenſis et Lipſienſis, pro iſtis *iam ſuccus obit* lacunam habent hoc modo, *Quaque minor . . . . namque.* Voſſianus: *Quaque minor ibi tonit . namque.* Si hariolandum eſt, faciamus periculum. Lego igitur,

Et ſteriles utroque MODO: QUIS *largior humor,*
QUISVE *minor* IUSTO NOCUIT.

V. 417. ET MARIS, ET NOTIS FUGIENTIA FLUMINA RIPIS. Pro *notis* quattuor optimi, Gemblacenſis, Lipſienſis, Venetus et Voſſianus habent *partis.* Quis non videat corrigendum eſſe,

Et maris, et PRONIS *fugientia flumina* RIVIS.

V. 419. SIC STERILIS TERRIS LAETIS INTERVENIT ANNUS. Pro *terris* codex

Lipſienſis

Per denos numeros, et quae ſint inſita cuique.
Sed proprias partes ipſas ſpectare memento,
Vel glacie rigidas, vel quas exuſſerit ignis,
Et ſteriles utroque modo, quîs largior humor,
Quîſve minor iuſto nocuit. namque omnia mixtis
Viribus, et vario conſurgunt ſidera textu.
Eſt aequale nihil. terrenos aſpice tractus,
Et maris, et pronis fugientia flumina rivis.
Crimen ubique frequens, et laudi noxia iuncta eſt.
Sic ſterilis laetis rubigo intervenit arvis,
Ac ſubito perimit parvos diſcrimine foetus:
Et modo portus erat pelagi, iam vaſta Charybdis,
Laudatique cadit poſt paulum gratia ponti:
Et nunc per ſcopulos, nunc campis labitur amnis;
Aut faciens iter, aut quaerens curritve reditve.
Sic etiam caeli partes variantur in aſtris.
Ut ſignum a ſigno, ſic a ſe diſcrepat ipſum;

Momentoque

Vulg. v. 413. TAMEN QUAS. 414 QUASQUE minor IAM SUCCUS OBIT. 417. NOTIS—RIPIS. 419. TERRIS laetis—ANNUS. 420. SUBITOS RUMPIT PARVO. 421. FACTA. 423. CAMPOS. 424. URITVE.

Lipſienſis *terra*, et pro *annus* veteres univerſi *arvis*. Si divinare licet, legerim,

Sic ſterilis laetis RUBIGO *intervenit* ARVIS.

V. 420 AC SUBITOS RUMPIT PARVO DISCRIMINE FOETUS. *Rumpit foetus*, quid ſit neſcio. Pro *ſubitos* vetuſti omnes *ſubito*. Repone,

Ac SUBITO PERIMIT PARVOS *diſcrimine foetus*.

V. 421. IAM FACTA CHARYBDIS. Melius codex Voſſianus; *iam* VASTA *Charybdis*. Sic Virgilius Aen. vii, 302.

Quid Syrtes aut Scylla mihi, quid vaſta Charybdis
Profuit?

V. 422. LAUDATIQUE CADIT POST PAULUM GRATIA PONTI. Librarius Monachus, dum ſemiſomnis haec ſcribit, in iocularem errorem incidit,

Laudatique cadit poſt paulum gratia χpi.

ſic plane Gemblacenſis: χpi plenis literis eſt CHRISTI. Neque aliter Lipſienſis; ſed ſuperne habet *ponti*. Venetus librarius, offenſus credo lectione tam ſceleſta, totum verſum omiſit. Voſſianus in ipſo textu, *ponti*.

V. 423. NUNC CAMPOS. Vetuſti quattuor melius, *nunc* CAMPIS *labitur amnis*. ut Horatius Carm. i. ii, 18.

vagus et ſiniſtra Labitur ripa.

V. 424. AUT FACIENS ITER, AUT QUAERENS URITVE REDITVE. Hunc

Ee verſum

Momentoque negat vires, auramque ſalubrem.
Quodque per has geritur partes, ſine fruge creatur;
Aut cadit, aut multis ſentit bona mixta querelis.
Hae mihi ſignandae proprio ſunt ordine partes.
Sed quis tot numeros totiens ſub lege referre,
Tot partes iterare queat, tot dicere ſummas,
Proque artis cauſis faciem mutare loquendi?
Incipimus ſi verba, piget; quod gratia deerit:
In vanumque labor cedit, quem deſpicit auris.
Sed mihi per carmen fatalia iura ferenti,
Et ſacros caeli monitus, ad iuſſa loquendum eſt:
Nec fingenda datur, tantum monſtranda figura.
Oſtendiſſe deum nimis eſt: dabit ipſe ſibimet
Pondera.

Vulg. v. 427. VICTUMQUE. 430. CARMINE. 433. PER PARTIS CAUSAS. 434. INCIDIMUS——SED. 437. MOTUS.

verſum Scaliger pro adulterino habet; Huetius ſic corrigit, *tranſitve reditve*. Ego ſic malim,

Aut faciens iter, aut quaerens CURRITVE *reditve*.

quod et Barthio in mentem venit.

V. 427. VICTUMQUE SALUBREM. Sic Gemblacenſis: ſed Voſſianus *uſumque*, Lipſienſis et Venetus *utrumque*. Repone,

Momentoque negat vires AURAMQUE *ſalubrem*.

Salubris aura, ſaluber aquilo, zephyrus paſſim. Noſter infra verſu 465. *ſalubri caret caelo*. Contra verſu 483. *metuendus aër*. et 499. *ſterilem aëra*. et ii, 357.

Aëraque infectum *noſtras demittit ad auras*.

V. 430. HAE MIHI SIGNANDAE PROPRIO SUNT CARMINE VIRES. Repone,

proprio ſunt ORDINE *vires*.

ut ii, 750.

Verum haec poſterius proprio *cuncta* ordine *reddam*. et 700.

Quot reddant motus proprio *venit* ordine *rerum*.

Vide Noſtrum ad iii, 35.

V. 433. PER PARTIS CAUSAS FACIEM MUTARE LOQUENDI. Gemblacenſis *partis*; Venetus, *partes*; Voſſianus, *patris*; Lipſienſis *patrit*, et ſuperne *partis*. Repono,

PROQUE ARTIS CAUSIS *faciem mutare loquendi?*

Pro neceſſitatibus, requiſitis artis.

V. 434. INCIDIMUS SI VERBA PIGET? SED GRATIA DEERIT. Gemblacenſis, *ſi*; Lipſienſis, *ſit*; Voſſianus, *ſic*. Haec unica in hoc verſu variatio eſt. Scaliger coniiciebat, *Incidi ſi verba piget*; *Incidi*, ait, *dolari*, *recudi*. Huetius ſic, *Incidim ſi verba piger*. *Incidim*, inquit, pro *incidam*, ut *edim* olim pro *edam*. *Si piger incidim verba*; *ſi contrahere et recidere velim verba*. Utrumque durum et nimis coactum. Repono,

INCIPIMUS *ſi verba, piget*; QUOD *gratia deerit*.

Queritur de ſequentis argumenti iei nitate, qua per verſus 60 damnandae in xii ſignis partes enumerandae veniunt. Miror equidem tam aridam ſterilemque partem non ab eo praeteritam eſſe: ſed maluit ſiccus et ligneus po a videri quam imperitus aſtrologus. Neceſſitate tamen ſe

Pondera. nec fas eſt verbis ſplendeſcere mundum:
Rebus erit maior. nec parva eſt gratia noſtri
Oris, ſi tantum poterit ſignare cavenda.
Accipe, damnandae quae ſint per ſidera partes.
  Lanigeri pars quarta nocet, nec ſexta ſalubris.
Septima par illi ac decima eſt, decimaeque ſecunda,
Quaeque duas duplicat ſummas ſeptemque novemque,
Unaque viginti numeris pars addita laedit,
Et quinta, et duram conſummans ſeptima partem.
  Tauri nona mala eſt, ſimilis quoque tertia pars eſt
Poſt decimam, nec non decimae pars ſeptima iuncta:
Biſque undena nocens, et bis duodena nocentes,
Quaeque decem treſque ingeminat, fraudatque duobus
Triginta

Vulg. v. 440. SUSPENDERE. 441. ENIM. 442. TAMEN HAEC——CANENDO. 445. PARS illi A decima decimaeque.

ſe excuſat: non licuit ei relinquere quod tractatum poſſe niteſcere deſperavit. Et tamen admiratione dignum eſt; quot modis in eadem re narranda variaverit faciem loquendi.

V. 437. ET SACROS CAELI MOTUS. *Sacri motus* non placent. Repono,

Et ſacros caeli MONITUS, *ad iuſſa loquendum eſt.*

Sic *monitus deorum, pecudum, avium, fulgurum.* Ovid Met. vii, 600.

Fibra quoque aegra notas veri monituſque *deorum*
Perdiderat.

V. 440. NEC FAS EST VERBIS SUSPENDERE MUNDUM. Quid ſodes illud eſt, *ſuſpendere mundum verbis?* Si roges; nihil reſpondeant viri magni, qui tamen hoc ſicco pede tranſilierunt. Ex nullo ſenſu elegantiſſimum repono;

nec fas eſt verbis SPLENDESCERE *mundum;*
Rebus ERIT *maior.*

Splendeſcere verbis, amplificari oratione. Hoc eſt, quod alibi dicit iii, 39.

Ornari res ipſa negat, *contenta doceri.*

Verborum ſplendor, et *verba ſplendida* paſſim. Cicero, initio Paradox. *Nihil tam horridum, tam incultum, quod non* ſplendeſcat oratione, *et tamquam excolatur.*

V. 441. REBUS ENIM MAIOR. Vetuſti quattuor, *Rebus* ERIT *maior.*

V. 442. SI TAMEN HAEC POTERIT SIGNARE CANENDO. Libri veteres, *ſi* tantum *poterit ſignare* canenda. Repone,

ſi TANTUM *poterit ſignare* CAVENDA.

Cavenda: quippe damnandas xii ſignorum partes iam dicere aggreditur. Sic v, 101.

His erat Heniochi ſurgentis forma cavenda.

ubi veteres *canenda, cananda.* iv, 481.

Si te fata ſinant, quartam ne ſelige *partem*
Centauri. et 575.
Ne vero ſit *te primos producere piſces.*

V. 445. SEPTIMA PARS ILLI A DECIMA DECIMAEQUE SECUNDA. Haec mendoſa ſunt; prius enim xvii partem narrant, quam xii. Pro *a decima* libri omnes *ac decima.* Repone,

Septima PAR *illi,* AC *decima* EST, *decimaeque ſecunda.*

hoc eſt, vii, x, xii.

Triginta numeros, et tum tricesima summa.
Pestifera in geminis pars prima, et tertia signis.
Septima non melior: ter quinae noxia par est.
Unaque bis denis brevior nocet, unaque maior:
Et similis noxae veniet vicesima quinta:
Cumque duae subeunt, vel cum se quattuor addunt.
Nec cancri prima immunis, nec tertia pars est,
Nec sexta: octava est similis: decimaque peracta
Prima rabit: nec ter quinae clementior usus.
Septima post decimam luctum, et vicesima, portat:
Et quinta accedens, et septima, nonaque summa.
Tu quoque contactu primo, Nemeaee, timendus:
Et quarta sub parte premis. bis quina salubri
Terque caret caelo: vicesima et altera laedit:
Et tribus appositis vitium est, totidemque secutis:
Ultima nec prima melior tricesima pars est.

Erigones

Vulg. v. 453. NUMERIS et TU. 460. OCTAVAE similis DECIMAEQUE PERACTAE. 461. RAPIT. 464. SUMMO. 465. QUINTA. 467. IUNCTIM totidemque.

V. 453. TRIGINTA NUMERIS ET TU. Libri veteres *numeros*: et Gemblacensis Venetusque, *et* tum; *et* tunc. Repone,

fraudatque duobus
Triginta NUMEROS, *et* TUM *tricesima summa*.

V. 460. NEC SEXTA, OCTAVAE SIMILIS, DECIMAEQUE PERACTAE PRIMA RAPIT. Libri veteres *peracta*. Repone,

Nec sexta: OCTAVA EST *similis*: DECIMAQUE PERACTA
Prima RABIT.

Decimâ peractâ prima, hoc est xi. ut mox 475. *Quartaque bis denis actis*, xxiv. *Rabit*, furit aestu, in cancro scilicet. Sic infra de canicula v. 208.

Et rabit *igne suo, geminatque incendia solis*.

et 224. *et lingua* rabit *latratque loquendo*.
ubi codices vetusti in utroque loco *rapit*.

V. 464. TU QUOQUE CONTACTU SUMMO. Repone ex libris omnibus PRIMO; hoc est, parte prima: *summo* esset parte ultima. Casu hoc in Scaligeri editiones irrepsit.

V. 465. BIS QUINTA SALUBRI. Immo QUINA, ut supra *bis undenis, bis denis*, et versu 461. *ter quinae*.

V. 467. ET TRIBUS APPOSITIS IUNCTIM TOTIDEMQUE SECUTIS. Vossianus *iunctum est*: Gemblacensis et Lipsiensis *victum est*. Repone,

Et tribus appositis VITIUM EST *totidemque secutis*.

V. 473. ET QUINTA IN CHELIS ET SEPTIMA INUTILIS ESTO. *Esto* a Scaligero venit: libri omnes *aestu*; et Venetus, *at quinta*. Repone ergo,

At

Erigones nec pars prima eſt, nec ſexta, nec una
Ad decimam, nec quarta, nec octava utilis umquam.
Proxima viginti numeris, et quarta timenda eſt;
Et quae ter decimam claudit ſors ultima partem.
At quinta in chelis, et ſeptima inutilis aeſtu.
Tertia et undecimae, decimaeque et ſeptima iuncta:
Quartaque bis denis actis, et ſeptima; et ambae
Quae numerum claudunt nona et triceſima partes.
Scorpios in prima reus eſt, cui tertia par eſt,
Ut ſexta, et decima eſt, et quae ter quina notatur:
Undecimam et geminans, et quae viceſima quinta eſt,
Octavoque manet numero, nonumque capeſſit.
Si te fata ſinant, quartam ne ſelige partem
Centauri, fuge et octavam: bis ſexque peractis,
Octo bis aut denis metuendus ducitur aër.
Cumque iterum duodena refert, aut terna decemque,

Aut

Vulg. v. 473. ET——ESTO. 474. SEPTIMA——TERTIA. 478. ET——decima et. 479. undecimam geminans. 481. DELIGE. 483. DICITUR.

AT *quinta in chelis et ſeptima inutilis* AESTU.
Aeſtu; ſcilicet una ex illis, quas (verſibus 412 et 499.) *ignis exuſſerit:* aliae vel frigore, vel humore aut ſiccitate peccant.

V. 474. SEPTIMAQUE UNDECIMAE, DECIMAEQUE ET TERTIA IUNCTA. Haec lectio numerat partem xviii ante xiii: Repone igitur, mutato ordine,
TERTIA *et undecimae, decimaeque et* SEPTIMA *iuncta.*
xiv ante xvii.

V. 478. ET SEXTA ET DECIMA, ET QUAE TER QUOQUE QUINA NOTATUR. Ab omnibus libris abeſt *quoque*; quod Scaliger induxit: non admodum concinne *quoque quina*. Malim hiatum in caeſura relinquere, quam ſic ſupplere. Lego,
UT *ſexta, et decima* EST, *et quae ter quina notatur.*

V. 479. UNDECIMAM GEMINANS. Melius *undecimam* ET *geminans.*

V. 481. QUARTAM NE DELIGE PARTEM. Lege ex tribus vetuſtis,
Si te fata ſinant, quartam ne SELIGE *partem.*
Voſſianus, ut ſolet, mendoſe, *vel elige*, pro *ne ſelige.*

V. 483. OCTO BIS AUT DENIS METUENDUS DICITUR AER. Repone,
metuendus DUCITUR *aër.*
ut infra verſu 499.
Hae partes ſterilem ducunt *et frigore et igni Aëra.*

V.

Aut ſeptena quater, vel cum ter dena figurat.
Nec pars optanda eſt capricorni ſeptima: nona
Conſentit, decimamque ſequens quam tertia ſignat:
Et tribus, aut una quae te, viceſima, fraudat:
Quaeve auget quinta, numero vel ſexta feretur.
Pars eſt prima nocens humentis ſemper aquari:
Damnanda et decimae ſuccedens prima peractae,
Tertiaque et quinta, et numero quae condita nono eſt:
Et poſt viginti prima, et viceſima quinta;
Cumque illa quartam accumulans viceſima nona.
Tertia per geminos et quinta et ſeptima piſces,
Undecima, et decimae metuenda eſt ſeptima iuncta,
Et quinta in quinos numeros revocata, duaſque
Accipiens ultra ſummas, metuenda feretur.
Hae partes ſterilem ducunt et frigore et igni

Aëra

Vulg. v. 486. NONAE. 490. PARSQUE MARINA NITENS FUNDENTIS. 491. EST. 496. ET.

V. 486. NONAE CONSENTIT. Immo *nona* conſentit *ſeptimae*. Lege ergo et diſtingue,

Nec pars optanda eſt capricorni ſeptima: NONA
Conſentit.

V. 489. VEL SEXTA FERETUR. Sic Gemblacenſis: at Venetus *ſexta refertur*. Lipſienſis vero et Voſſianus, *vel ſeptima fertur*. Quis in his nugis veram lectionem ſcire vel curet vel poſſit?

V. 490. PARS EST PRIMA. In ſcriptis editiſque deerat verſus aquarii nomen notans: et relicta erat cum aſteriſcis lacuna. Nos forte fortuna in illum incidimus, et reduximus in ſedem antiquam. Deerraverat poſt verſum libri ſecundi 232, ſed prodigioſe depravatus in omnibus ſcriptis,

Parſque marina nitens fundentis ſemper aquari.

Repone,

Pars EST PRIMA NOCENS HUMENTIS *ſemper aquari.*

Humentis, ut v, 444.

Sed regione means Cepheus humentis aquari.

Aptiſſime vero hic *humentis*; ut ſciamus huius partes damnandas non ſiccitate, ſed humore peccare. Vide verſus 413, et 500.

V. 491. DAMNANDA EST DECIMAE. Reperto verſu ſuperiore, apparet iam legendum eſſe, *Damnanda* ET *decimae*.

V. 496. METUENDA ET SEPTIMA IUNCTA. Libri omnes *metuenda* EST *ſeptima*.

V. 501. SI RAPIDUS MAVORS IGNES IACULATUR IN ILLUM, SATURNUS SUMET GLACIEM PHOEBUSQUE CALORES. τὸ ſumet, inquit Scaliger, *ſuſpectum. Quin et hi duo de planetis verſiculi, ut ingenue loquar, non ſunt Manilii. Sumet* quidem iure

ſuſpectum;

Aëra, vel ſicco, vel quod ſuperaverit humor:
Seu rapidos Mavors ignes iaculatur in illum,
Saturnuſve ſuam glaciem, Phoebuſve vapores.
  Nec te perceptis ſignorum cura relinquat
Partibus: in tempus quaedam mutantur, et ortu
Accipiunt proprias vires, ultraque remittunt.
Namque ubi ſe ſummis aries extollit ab undis,
Et cervice prior flexa, quam cornibus ibit;
Non contenta ſuo generabit pectora cenſu,
Et dabit in praedas animos, ſolvetque pudorem.
Tantum audere iuvat. ſic ipſe in cornua fertur,
Ut ruat aut vincat. non illos ſedibus iſdem
Mollia per placidam delectant otia vitam;
Sed iuvat ignotas ſemper tranſire per urbes,
Scrutarique novum pelagus, totius et eſſe

Orbis

Vulg. v 501. SI RAPIDUS. 502. Saturnus SUMET—PHOEBUSQUE CALORES. 510. TANTA. 511. ET RUIT ET MUTAT non ULLIS ſedibus IDEM. 512. PLACIDAS DELUDUNT——CURAS.

ſuſpectum; ſententiam enim ita conturbat, ut tota ſine ſenſu ſit. Intercedo tamen, quo minus pro ſpuriis e textu abiiciantur, quod a Fayo factum eſt. Libri veteres *Phoebuſve*, et Voſſianus *labores*. Repono,

SEU RAPIDOS *Mavors ignes iaculatur in illum*,
*Saturnuſ*VE SUAM *glaciem*, *Phoebuſ*VE VAPORES.

Dico hos auctoris eſſe, et illos liberali cauſa manu aſſero. Aer, inquit, in his partibus damnandis *vel igni vel frigore vel ſicco vel humore peccat: ſeu in illum* aera *Mars iaculetur ſuos ignes, ſeu Saturnus ſuam glaciem, ſeu Phoebus ſuos vapores*, qui et humidi et ſicci ſunt. Quippe vocabulum *vapor*, cum humorem ſignificat, tum ſaepius apud veteres calorem et ſiccitatem. Exemplis nihil opus eſt. Ergo ignis harum partium a Marte venit, frigus a Saturno, ſiccitas et humor a ſole.

V. 510. TANTA AUDERE IUVAT. Vetuſti quidem tres *Tanta*: ſed Voſſianus cum recentioribus *Tantum*. Omnino recte: *Tantum iuvat τὸ audere*: non vapide, *iuvat audere tanta*.

V. 511. SIC IPSE IN CORNUA FERTUR, ET RUIT ET MUTAT. Gemblacenſis cum Lipſienſi et Veneto, *Ut ruat et vincat*: Voſſianus, *ut vincat*. Repone,

ſic ipſe in cornua fertur,
UT RUAT, AUT VINCAT.

Ut aut vincatur, aut vincat: nihil eſt medium.

Ibidem. UT RUAT AUT VINCAT, NON ULLIS SEDIBUS IDEM. MOLLIA PER PLACIDAS DELUDUNT OTIA CURAS, SED IUVAT IGNOTAS. Tot verbis miſere corruptis cumulus acceſſit prava diſtinctio. *Aries*, aiunt, *mutat non ullis ſedibus idem*. Qualis ergo eſt, ſi non *idem*: an pro ariete hircus fit? *Deludunt otia*: quid hoc? eſt ἀφομιλήσασθαι *Graecorum*. Ergo *deludere otia*, eſt *coetus hominum*

Orbis in hoſpitio. teſtis ſibi laniger ipſe,
Cum vitreum findens tranavit pectore pontum;
Orbatumque ſua Phrixum per fata ſorore
Phaſidos ad ripas et Colchida tergore vexit.
  At quos prima creant naſcentis ſidera tauri,
Feminei incedunt. nec longe cauſa petenda eſt,
Si modo per cauſas naturam quaerere fas eſt.
Averſus venit in caelum, diveſque puellis,
Pleïadum parvo referens glomeramine ſidus.

Accedunt

Vulg. v. 515. TIBI. 516. AURATO VELLERE. 520. IACEANT. 523. GLOMERABILE.

minum fugere. Atqui nec verba hunc ſenſum efficiunt, nec ſenſus cum verſibus ſequentibus conſentit. Pro *idem* Voſſianus *iſdem:* mox Venetus *placidam.* Pro *deluaunt*, Gemblacenſis *deludant;* Voſſianus *delectant*, et pro varia lectione Lipſienſis. Denique Gemblacenſis, Venetus, et Lipſienſis, *curam.* Repone et diſtingue,

Ut ruat aut vincat. Non ILLOS *ſedibus* ISDEM
Mollia per PLACIDAM DELECTANT *otia* VITAM:
Sed iuvat ignotas, &c.

Sententia clara. Non iuvat in iiſdem ſedibus placidam vitam degere, ſed ſemper peregrinari et ſolum mutare. *Vita* et *cura* ob totidem utrimque ductus non raro in ſcriptis permutantur. Lucretius v, 1121, et alibi.

Ut fundamento ſtabili fortuna maneret,
Et placidam *poſſent opulenti degere* vitam.

V. 515. TESTIS TIBI LANIGER IPSE. Placet Gemblacenſis;

teſtis SIBI *laniger ipſe.*

V. 516. CUM VITREUM FINDENS AURATO VELLERE PONTUM, ORBATUMQUE, &c. Alteruter ex his ſine dubio mendoſus eſt: *Que* enim poſt *orbatum* redundat. Unde eſt, quod vetuſti quattuor habent, *auravit vellere.* Quaſi effluviis ſui velleris totum mare inauraverit. Sane *auro, auras* Priſciano memoratur, et onomaſtico veteri. Sed et verbum obſoletum, et hyperbola nimis audax. Neque quicquam ad ſententiam praeſentem confert, auratum necne fuerit vellus; cum de peregrinatione tantum non divitiis agatur. Repone,

Cum vitreum findens TRANAVIT PECTORE *pontum.*

Cum tranavit vitreum pontum, findens pectore. Noſter iv, 80. *Et pontum* tranare *poteſt.* et v, 43. *totumque volet* tranare *profundum.* *Findens pectore;* id enim faciunt natantes. Virgilius Aen. ix, 102.

qualis Nereïa Doto
Et Galatea ſecant *ſpumantem* pectore pontum.

Boni vero librarii nec arietem ſine vellere, nec vellus ſine auro memorari volebant.

V. 520. FEMINEI IACEANT. Mendoſa et abſurda lectio. Gemblacenſis ſic, *Feminea iace . . . nec:* Lipſienſis, *Feminea iaceat nec:* Venetus, *iacet nec:* Voſſianus, *Feminea inceat.* Repono,

Feminei INCEDUNT.

Inceat, incedt; ſic compendio ſcribere ſolent. *Incedunt* autem idem eſt quod *ſunt:* ſic Virgilius, Aen. i, 50.

Aſt ego quae divum incedo *regina.*

et Aen. v, 68.

Aut iaculo incedit *melior levibuſve ſagittis.*

Sed et proprie dictum *incedunt* de his cinaedis; ut v, 152.

Femineae veſtes; nec poſcunt tegmina plantis.

Sed

Accedunt et ruris opes ; propriaque iuvencum
Dote per inverſos exercent vomere campos.
  Sed geminos aequa cum profert unda tegitque
Parte, dabit ſtudia, et doctas producet ad artes.
Nec triſte ingenium, ſed dulci tincta lepore
Corda creat : vociſque bonis citharaeque ſonantis
Inſtruit, et dotem cantus cum pectine iungit.
  At niger obſcura cancer cum nube feretur,
Quae velut extinctus Phoebeis ignibus ignis
Deficit,

Vulg. v. 524. ACCEDENT. 525. EXORNAT. 530. DOTES ALTO—PECTORE. 532. EXUTUS.

Sed ſpeciem : fractique placent in mollia greſſus :
Naturae pudet.

V. 523. PLEIADUM PARVO REFERENS GLOMERABILE SIDUS. Deeſt τῷ *parvo* ſuum ſubſtantivum. Scribe cum acutiſſimo Fred. Gronovio,

Pleïadum parvo referens GLOMERAMINE *ſidus.* Vide ad i, 221.

V. 524. ACCEDENT ET RURIS OPES. Melius Gemblacenſis, ACCEDUNT.

V. 525. EXORNAT VOMERE CAMPOS. Quid, malum, vel quis *exornat* iuvencum ? ſaltem oportebat *exornant.* Sed lectio mendoſa eſt. Repone,

Accedunt et ruris opes ; propriaque iuvencum
Dote per inverſos EXERCENT *vomere campos.*

Exercent, qui ſub huius ſideris ortu naſcuntur, *iuvencum propria dote,* per campos vomere inverſos. *Exercent* ; ut Virgilius, Georg. i, 210.

Exercete, *viri,* tauros : *ſerite hordea campis.*

V. 530. ET DOTES ALTO CUM PECTORE IUNGIT. Quomodo *alto pectore?* hoc reliquis dotibus repugnat. Vidit hoc Scaliger, et locum non ſanum eſſe pronuntiat. Gemblacenſis, Venetus, Lipſienſis, *dotes ſaltus.* Unde Scaliger,

et dotes ſalium *cum pectore iungit.*

Salium, iocorum, facetiarum. Sed quid erit *pectore* nude poſitum ? Idem aliter tentat ;

et dotes laeto *cum pectore iungit.*

Sed hoc et a vetuſtis nimium aberrat, et prioribus nihil novi addit. Repono,

vociſque bonis citharaeque ſonantis
Inſtruit, et DOTEM CANTUS *cum* PECTINE *iungit.*

Bonis vocis et citharae ; ut Ovid. Met. x, 563.

Laude pedum, formaene bono *praeſtantior eſſet.*

et Art. Am. ii, 112.

Ingenii dotes *corporis adde* bonis.

Variat ſententiam, ut ubique in his ſolet ; et bis eandem rem cum incremento dicit ; quale illud Virgilii Aen. vi, 165.

Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.

Voci hic reſpondet *cantus, citharae pecten. Iungit* ; nam et voce et cithara ſimul canere ſolebant. *Dotem cantus,* ut Ovid. de Sirenibus, Met. v, 562.

Ne tamen ille canor mulcendas natus ad aures,
Tantaque dos oris *linguae deperderet uſum.*

Silius xi, 435.

Imprimis dulcem, Poeno laetante, per aures
Nunc voce *infundit Teuthras, nunc* pectine *cantum.*

Val. Flac. v, 100.

mixtoque ſonantem
Percutit ore lyram.

V. 532. QUAE VELUT EXUTUS PHOEBEIS IGNIBUS IGNIS. Sic tres vetuſti ; et Voſſianus *exſutus.* Repone,

Quae velut EXTINCTUS *Phoebeis ignibus ignis*
Deficit.

Deficit, et multa fufcat caligine fidus;
Lumina deficient partus, geminamque creatis
Mortem fata dabunt: fe quifque, et vivit, et effert.
  Sed cui per fummas avidus produxerit undas
Ora leo, et fcandat malis hifcentibus orbem;
Ille patri natifque reus, quas ceperit ipfe,
Non legabit opes, cenfumque immerget in ipfo:
Tanta fames animumque cibi tam dira cupido
Corripit, ut capiat femet, neque compleat umquam,
Inque epulas funus rediget pretiumque fepulcri.
  Erigone furgens, quae rexit fecula prifca
Iuftitia, rurfufque eadem labentia fugit;
Alta per imperium tribuit faftigia fummum:
Rectoremque dabit legum iurifque facrati,
Sancta pudicitia divorum templa colentem.
  Sed cum autumnales coeperunt furgere chelae,

Felix.

Vulg. v. 534. ORTOS. 535. UT vivit. 536. SI. 537. SCANDET. 542. REVOCET.

Fugit autem Scaligerum ratio; cum *exutus* adfcivit, et fic explicavit, *Ignis exutus Phoebeis ignibus, eft luna deficiens*, inquit, *privata folis lumine, quo illuftratur.* Hoc enim fine exemplo, ut *ignis*, abfolute pofitum, lunam notet; tum praefertim cum deficit; neque ignem aut lucem in fe habet. *Ignem* hic de foco accipe; qui solis radiis verberatus ita deficit, ut ftatim lumine privetur. Hoc quotidie experimur omnes. Ovid. Arte Am. ii, 440.

Ut levis abfumptis paulatim viribus ignis
  Ipfe latet, fummo canet in igne cinis.
Sed tamen extinctas *admoto fulfure flammas*
  Invenit, et lumen quod fuit ante redit.

Extinctus dicitur ignis, cum lucere defiit; etfi fub cinere adhuc vivat.

V. 534. LUMINA DEFICIENT ORTOS. Gemblacenfis *artus*, ceteri tres *arctus*. Lege PARTUS; ut paffim.

V. 535. SE QUISQUE; UT VIVIT, ET EFFERT. Libri omnes ET *vivit*. Sententia quidem conftat; caecum hominem effe vivum funus, fibi fuperftitem. Oedipus apud Senecam, Oed. 950, fe excaecaturus,

quaeratur via;
Qua nec fepultis mixtus, et vivis tamen
Exemptus erres.

V. 536. SI CUI PER SUMMAS. Immo SED *cui*; ut 519 *at quos*: et 526 *fed gemines*.

V. 537. ET SCANDET. Libri omnes SCANDAT, ut *produxerit*. *Scandet* in Scaligeri editionem incuria irrepfit.

V. 540. TANTA FAMES ANIMUMQUE CIBI TAM DIRA CUPIDO CORRIPIT, UT CAPIAT SEMET NEQUE COMPLEAT UMQUAM. *Tanta fames et tam dira cupido cibi:* hoc eft *fames famefque*. *Corripit*, loco τȣ̃ *corripiet*,

Felix aequato genitus ſub pondere librae ,
Iudex examen ſiſtet vitaeque neciſque ;
Imponetque iugum terris , legeſque rogabit .
Illum urbes et regna trement , nutuque regentur
Unius , et caeli poſt terras iura manebunt .
 Scorpios extremae cum tollit lumina caudae ,
Si quis erit ſtellis tum ſuffragantibus ortus ,
Urbibus augebit terras ; iunctiſque iuvencis
Moenia ſubcinctus curvo deſcribet aratro :
Aut ſternet poſitas urbes , inque arva reducet
Oppida , et in domibus maturas reddet ariſtas .
Tanta erit et virtus , et cum virtute poteſtas .
 Nec non arcitenens prima cum veſte reſurgit ,
Pectora clara dabit bello , magniſque triumphis
Conſpicuum patrias victorem ducet ad arces :
Altaque nunc ſtatuet , nunc idem moenia vertet .

Sed

Vulg. v. 550. EXTREMAE. 564. CONDITA.

ripiet, ut ante *legabit*, *immerget*. *Animumque* : illud *que* loco alieno eſt ; nec exemplo ullo excuſari poteſt. Quid vero eſt *capiet ſemet ?* Explicet hoc, qui audebit. Nimirum hi verſus irreptitii ſunt, et inficeti. Aliud voluit auctor ; non ut fame canina et bulimia ſuas opes abligurriat, ſed luxuria et profunda gula.

V. 542. INQUE EPULAS FUNUS REVOCET PRETIUMQUE SEPULCRI. Pro *revocet*, Gemblacenſis *retitet* ; ut et Lipſienſis ; qui pro varia lectione *revocet :* Voſſianus *revocat*. Repono,

Inque epulas funus REDIGET *pretiumque ſepulcri.*

Rediget in epulas pecuniam, quae funeris et ſepulcri impenſis erat ſervanda. Vide nos, ſi vacat, ad Horatii Epod. ii, 69.

V. 550. IUDEX EXTREMAE SISTET VITAEQUE NECISQUE. Quid quaeſo eſt *extremae vitae neciſque ?* Certe *extrema vita* idem eſt quod *nex*. Quid autem *ſiſtet*, abſolute? *Erit*, inquiunt, *ſtabit*. Immo repone,

Iudex EXAMEN *ſiſtet vitaeque neciſque.*

Siſtet, ponet, *examen*, trutinam, vitae et necis.

V. 554. LUMINA CAUDAE. Dixiſſe potuit *acumina* ; ut Ovidius, Faſt. iv, 163.

Scorpios elatae metuendus acumine caudae.

Cum tamen Hyginus dicat, *ſcorpion in acumine ipſo duas ſtellas habere*, non ſollicito illud *lumina*. Praeſertim cum mox in capricorno *acumine caudae* habeamus.

V. 564. NUNC CONDITA MOENIA VERTET. Rectius vetuſti quattuor,

Altaque nunc ſtatuet, nunc IDEM *moenia vertet.*

Certe et *alta* et *condita* pueri foret, non poëtae.

 V.

Sed nimium indulgens rebus fortuna secundis,
Invidet in facie, saevitque asperrima fronti.
Horrendus bello Trebiam, Cannasque, Lacumque
Ante fugam tali pensabat imagine ductor.
Ultimus in caudae capricornus acumine summo
Militiam ponto dictat, puppisque colendae
Dura ministeria, et vitae discrimen inertis.
Quod siquem sanctumque velis, castumque, probumque,
Hic tibi nascatur cum primus aquarius exit.
Ne vero sit te primos producere pisces.
Garrulitas odiosa datur, linguaeque venenum
Verba maligna novas mussantis semper ad aures.
Crimina per populum populi feret ore bilingui.
Nulla fides inerit natis, sed summa libido

Ardentem

Vulg. v. 568. VICTOR. 573. NASCETUR. 574. NEVE sit IN——ANIMUS PROCEDERE. 577. FERT ore MALIGNO.

V. 568. PENSABAT IMAGINE VICTOR. Hoc vero inusitatum, ut *victor* dicatur, qui *fugerit*. *Horrendus bello victor*, sic Scaliger accipit; quasi Hannibal ob fugam et adversam fortunam exemplo esset aliis, et ob id horrendus. Huc adactus est vir magnus; quia recepta lectio erat *victor*. Repone,

pensabat imagine DUCTOR.

Ductor horrendus bello, qui, quod boni ducis est, victoriis potitur; *victor horrendus bello*, qui partis victoriis crudeliter et inhumane utitur. *Ductor* et *victor* saepe a librariis immutata sunt. *Ductor* de Hannibale passim, Silius Italicus.

V. 573. HIC TIBI NASCETUR. Cum *siquem velis* dixerit; sequitur ut dicat *nascatur*.

V. 574. NEVE SIT IN PRIMOS ANIMUS PROCEDERE PISCES. Haec absurda sunt. *Neve*; hoc rite venit post aliud quid eiusdem generis, vel virtutis vel vitii. Atqui sub primo aquario nasci, optimum: sub primis piscibus, pessimum. Quid ergo hic facit *neve?* Quale vero illud, *ne sit animus procedere?* Qui sensus? quis possit procedere in pisces, si animus ita ferret. Gemblacensis veterrimus cum Veneto,

Neve sit et primis producere pisces.

Lipsiensis cum Vossiano,

Neve sit et primus animus procedere pisces.

Vides illud *animus* ab interpolatore profectum esse, quo versus pede mutilus fulciretur. Dabo tibi auctoris manum;

NE VERO *sit* TE *primos* PRODUCERE *pisces.*

Lectorem, ut passim alias, alloquitur; *Ne vero sit primos pisces producere te*; absit, ut tu sub primis piscibus nascaris. *Ne vero* recte versum inchoat: ut i, 292.

Nec vero *solidus stat.* et i, 194.
Nec vero *tibi natura admiranda videri.*

V. 577. CRIMINA PER POPULUM POPULI FERT ORE MALIGNO. Scaliger hunc pro spurio habuit: et ex priore quidem editione delevit; in alteram recepit tandem, sed

incuria

Ardentem medios animum iubet ire per ignes.
Scilicet in piſcem ſeſe Cytherea novavit,
Cum Babyloniacas ſubmerſa profugit in undas,
Anguipedem alatis humeris Typhona furentem,
Inſeruitque ſuos ſquamoſis piſcibus ignes.
Nec ſolus fuerit, geminis ſub piſcibus ortus:
Frater erit, dulciſve ſoror, materve duorum.
  Nunc age diverſis dominantia ſidera terris
Percipe. ſed ſumma eſt rerum referenda figura.
Quattuor in partes caeli deſcribitur orbis,
Naſcentem lapſumque diem medioſque calores
Teque, helice. totidem venti de partibus iſdem
Erumpunt, caecumque gerunt per inania bellum.
Aſper ab axe ruit Boreas; furit Eurus ab ortu;

Auſter

Vulg v. 579. LIBET. 591. SECUMQUE. 592. FUGIT.

incuria et feſtinatione corruptum; omnes enim libri *bilingui* habent, non *maligno:* iidem quoque *ferre* pro *fert*. Repone,

Crimina per populum populi SERET *ore* BILINGUI.

Seret, inquam, proprie hic dictum. Virgilius Aen. vii, 339.

Diſiice compoſitam pacem, ſere crimina *belli*.

Tacitus Annal. xii, 4. *Serere crimina in Silanum*. Crimina *populi per populum*, hoc eſt, omnium per omnes ſeret, communis accuſator et delator.

V. 578. NULLA FIDES INERIT NATIS, SED SUMMA LIBIDO. ARDENTEM MEDIOS ANIMUM LIBET IRE PER IGNES. *Libet animum ire*, prorſus barbarum. Lege, ſublata diſtinctione,

ſed ſumma libido
Ardentem medios animum IUBET *ire per ignes.*

V. 582. ANGUIPEDEM ALATIS HUMERIS TYPHONA FURENTEM. Libri veteres,

Anguipedem alatos humeros Typhona ferentem.

Sed ſpurius eſt, et ex verſu 802 ſumptus,

Cum fugeret Typhona Venus.

Sed *fugere Typhona* recte dicitur; at *profugere Typhona in undas*, prorſus barbare. Nec Typhon aut gigantes *alatis humeris* erant: fruſtra enim montes montibus impoſuiſſent, quo ad caelum uſque pertingerent; ſi recta illuc evolare potuiſſent.

V. 591. SECUMQUE GERUNT PER INANIA BELLUM. Repone,

CAECUMQUE *gerunt per inania bellum.*

Virgilius Aen. ix, 513.

nec curant caeco *contendere* Marte
Amplius audaces Rutuli.

V. 592. FUGIT EURUS AB ORTU. Quomodo *fugit* ab ortu, qui inde ſpirat? Repone,

Aſper ab axe ruit Boreas, FURIT *Eurus ab ortu.*

V.

Aufter amat medium solem, Zephyrufque profectum.
Hos inter binae mediis e partibus aurae
Exfpirant, fimiles mutato nomine flatus.
Ipfa natat tellus pelagi luftrata corona,
Cingentis medium liquidis amplexibus orbem:
Inque finus pontum recipit, qui vefpere ab atro
Admiffus, dextra Numidas Libyamque calentem
Adluit, et magnae quondam Carthaginis arces;
Litoraque in Syrtes revocans finuata vadofas,
Rurfum ufque ad Nilum directis fluctibus exit.
Laeva freti caedunt Hifpanas aequora gentes;
Teque in vicinis haerentem, Gallia, terris;
Italiaeque urbes, dextram finuantis in undam
Ufque canes ad, Scylla, tuos, avidamque Charybdin.
Hac

Vulg. v. 596. VACAT. 600. ABLUIT. 602. RURSUSQUE. 603. AEQUORE.

V. 594. HOS INTER BINAE MEDIIS E PARTIBUS AURAE. Bini venti inter fingulos quattuor cardinales: adeo ut in toto fint duodecim. Vide Senecam Nat. Quaeft. v, 16 et 17.

V. 596. IPSA VACAT TELLUS PELAGI LUSTRATA CORONA. Olim editum eft *Ipfa notat*; unde Scaliger in priore editione fecerat *natat*: in altera *vacat* fubftituit; Gemblacenfis ructoritate inductus. Atqui recte prius coniecerat NATAT; et fic plane Venetus, Lipfienfis, et Voffianus.

V. 600. ABLUIT. Immo cum Voffiano ALLUIT. Virgilius Aen. viii, 149.
Et mare *quod fupra, teneant, quodque* alluit *infra.*

V. 602. RURSUSQUE AD NILUM. Redundat illud *que*. Repone,
RURSUM USQUE *ad Nilum directis fluctibus exit.*

V. 603. LAEVA FRETI CAEDUNT HISPANAS AEQUORE GENTES. Immo cum Voffiano AEQUORA. *Aequora freti*, ut Lucretius, Virgilius aliique, *aequora ponti*.

V. 607. AC UBI SE PRIMUM PORTA MARE FUDIT AB ILLA, ENATAT IONIO. *Ab illa* in vetuftis omnibus defunt. Pro *ac* Voffianus *hac*. Repone,
HAC *ubi fe primum porta mare fudit*, APERTO
EMICAT *Ionio, laxafque vagatur in undas.*
ubi hac porta prorupit, *emicat* five oftendit fe, exultat in *aperto Ionio*. *Emicat* eo fenfu paffim Virgilius.

V. 609. ET PRIUS IN LAEVA SE FUNDENS. Veteres omnes, *in laevas effundens*. Repone,
Et prius in LAEVAM *fe* EFFUNDENS.

V. 610. ITALIAM, ATQUE ADRIAM, COMITATUR NOMINE PONTUM. Vetufti quattuor *ponto*. A Veneto et Voffiano abeft *atque*. Totum fic Voffianus,
Italiam Adria comutatus nomine ponto.

Unde

Hac ubi se primum porta mare fudit, aperto
Emicat Ionio, laxasque vagatur in undas.
Et prius in laevam se effundens circuit omnem
Italiam, Adriaco mutatum nomina ponto,
Eridanique bibit fluctus: dehinc aequore laevum
Illyricum, Epironque lavat, claramque Corinthon,
Et Peloponnesi patulas circumvolat oras.
Rursus et in laevum refluit, vastoque recessu
Thessaliae fines, et Achaica praeterit arva.
Hinc intra iuvenisque fretum mersaeque puellae
Truditur invitum, faucesque Propontidos artas
Euxino iungit ponto, et Maeotidos undis,
Quae tergo coniuncta manet, pontumque ministrat.
Inde, ubi in angustas revocatus navita fauces
Hellespontiacis

Vulg. v. 607. AC—AB ILLA. 609. LAEVA se FUNDENS. 610. ATQUE ADRIAM COMITATUR NOMINE PONTUM. 611. SECAT. 616. HIC PONTUS. 617. ARTAE. 618 MAEOTIS ET. 620. ITERUM SE.

Unde sponte exsurgit vera emendatio, quam Gronovius praeripuit, Observ. iii, 15.

Italiam, ADRIACO MUTATUM NOMINA PONTO.

V. 611. SECAT AEQUORE LAEVUM ILLYRIUM, EPIRUMQUE LAVAT, CLARAMQUE CORINTHUM. *Secat* sine nexu, sine coniunctione, non satis concinne. *Secat Illyrium, lavat Epirum*; iners verborum turba; cum unum sufficiat. Denique si *secat* Illyrium, intrat et medium dividit; quod falsum. Sagacissimus Gronovius, ad versum 609, *Et prius in laevam*, Cur, inquit, *Et prius*, cum nihil posterius infertur? Legit ergo, *Ut prius*. Sed alibi mendum latebat. Repone,

DEHINC *aequore laevum*
Illyricum Epironque lavat claramque Corinthon.

Epiron, Corinthon; quia versu 690, vetusti omnes habent *Epiros*. Sed pro *laevam Illyrium* vetusti omnes, *bellum Illyricum*. Accipimus *Illyricum*: sic enim Latini scriptores de regione ipsa.

V. 616. HIC PONTUS IUVENISQUE FRETUM MERSAEQUE PUELLAE TRUDITUR INVITUM. Quid hic *pontus* faciat, aut quo referatur, concipere non possum. Repono,

HINC INTRA *iuvenisque fretum mersaeque puellae.*

Hinc mare (a versu 607) invitum truditur intra fretûm Phrixi et Helles, sive Hellespontum.

V. 617. FAUCESQUE PROPONTIDOS ARTAE EUXINO IUNGIT PONTO. Pro *artae* libri veteres *apto*. Lego *fauces* ARTAS, ut mox *angustas*.

V. 618. MAEOTIS ET UNDIS. *Maeotis* casu genitivo. Hoc vero incredibile est; ut, cum versu priore dixerit, *Propontidôs*, non hoc dicat *Maeotidôs* sed *Maeotis*. Repone,

Euxino iungit ponto ET MAEOTIDOS *undis*.

Sane infra versu 680, iterum casu patrio venit *Maeotisque lacus*. Sed is versus spurius reperietur.

V. 620. INDE UBI IN ANGUSTAS ITERUM SE NAVITA FAUCES HELLESPONTIACIS

Hellefpontiacis iterum fe fluctibus effert,
Icarium Aegaeumque fecat, laevaque nitentes
Miratur campos Afiae, totidemque tropaea
Quot loca, et innumeras gentes, taurumque minantem
Fluctibus, et Cylicum populos, Syriamque peruftam,
Ingentique finu fugientes aequora terras;
Donec in Aegyptum redeunt curvata per undas
Litora, Niliacis iterum morientia ripis.
Haec medium terris circumdat linea pontum,
Atque his undarum tractum conftringit habenis.
Mille iacent mediae diffufa per aequora terrae.
Sardiniam in Lybico fignant veftigia plantae:

Trinacria

Vulg. v. 621. REVOCATUS. 623. POPULOS. 624. ARCUMQUE. 627. REDEANT.

TIACIS REVOCATUS FLUCTIBUS EFFERT. Quid portenti hoc eft, *effert fe in anguftas fauces?* Immo potius *infert.* Mitto alia, quae iure culpanda funt. Ter quaterque tentatus hic locus me fruftrabatur; tandem bona horae parte confumpta, nequiffimum mendum deprehendi. Repono, inverfo duorum verborum ordine,

Inde ubi in anguftas revocatus *navita fauces*
Hellefpontiacis iterum fe *fluctibus effert.*

Inde ubi mercator, qui Euxinum intraverat, *revocatus in* Propontidem, utpote domum rediturus, *iterum fe effert* ex Hellefponti faucibus, Icarium et Aegeum fecat. Librarius, memoriae fidens, et verfus modulo utrimque recto deceptus, verfus hos iugulavit.

V. 623. LAEVAQUE NITENTES MIRATUR POPULOS ASIAE. Cur *nitentes* populos? quis fic loquatur? an ob veftium nitorem? Sed cur *populos?* cum, verfu fequente, habeamus *gentes;* et tertio rurfus *populos?* Repone,

laevaque nitentes
Miratur CAMPOS *Afiae.*

Sic Virgilius Georg. i, 153.

interque nitentia culta
Infelix lolium et fteriles dominantur avenae.

et Aen. vi, 677.

ante tulit greffum, campofque nitentes
Defuper oftentat.

Campus et *populus* faepe confunduntur. Vide nos ad Horatium, Epift. i, vi, 59.

V. 624. ARCUMQUE MINANTEM FLUCTIBUS. Codex Voffianus *Aurum minantem.* Unde Voffius ipfe ad Catullum,

TAURUMQUE *minantem fluctibus.*

Rectiffime. Promontorium tauri montis pelago ibi impendet.

V. 627. DONEC IN AEGYPTUM REDEANT. Immo REDEUNT cum vetuftis quattuor.

V. 635. ET GENETRIX CRETE CIVEM SORTITA TONANTEM. AEGYPTI CYPROS PULSATUR FLUCTIBUS OMNIS. Quid hoc eft? *omnis Cypros,* an *omnis Aegypti?* Quidve illud *fluctibus Aegypti?* Repone,

Aegypti Cypros pulfatur fluctibus AMNIS.

Aegypti amnis, id eft, Nili; ex Homero, Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο. Vide Plinium aliofque. Cypros, inquit, oppofita eft Nili oftiis; et eius fluctibus pulfatur.

V.

Trinacria Italia tantum praecisa recessit:
Adversa Euboicos miratur Graecia montes,
Et genetrix Crete civem sortita tonantem:
Aegypti Cypros pulsatur fluctibus amnis.
Totque minora sola, et tamen emergentia ponto,
Praetereo; Aegaeas Cycladas, Delonque, Rhodonque,
Aulidaque, et Tenedon, vicinaque Corsica tristi
Litora Sardiniae, primumque intrantis in orbem
Oceani victricem Ebusum, et Balearica rura.
Innumeri surgunt scopuli, montesque per altum.
Nec tantum ex una pontus sibi parte reclusit
Obiicibus ruptis orbem (nam litora plura

Impulit

Vulg. v. 636. OMNIS. 637. SOLO tamen. 638. LITORA ET AEQUALES. 639. TERRAE. 640. PRIMAMQUE. 641. REGNA. 643. RECLUSIS. 644. FAUCIBUS ABRUPIT.

V. 637. TOTQUE MINORA SOLO TAMEN EMERGENTIA PONTO LITORA ET AEQUALES CYCLADAS DELONQUE RHODONQUE. *Deest*, inquit Scaliger, *versus in hanc sententiam*; *Quid loquar tot urbes? Insulas*, opinor, voluit. Et sane, aut haec mendosa sunt, aut deesse aliquid necesse est. Quid ergo est *litora minora solo?* An *litora* sunt *insulae?* Quid quod *litora* alterum abhinc versum inchoat? Repono,

Totque minora SOLA, ET *tamen emergentia ponto*,
PRAETEREO; AEGAEAS *Cycladas, Delonque, Rhodonque.*

Gemblacensis et Lipsiensis *sola*. *Praetereo tot sola minora, et tamen ponto emergentia*, ut insulae sint. Sic i, 165.

Emersere fretis montes, orbisque per undas
Exiliit. Ovid. Trist. i, xi, 8.
Cycladas Aegaeas *obstupuisse puto.*

V. 639. VICINAQUE CORSICA TERRAE LITORA SARDINIAE. *Terrae* dedit Scaliger: Terra, inquit, Sardinia, ut *terra Gallia, terra Italia.* An et poëtis sic loqui concessum est? Libri omnes *terris*; quod sic scribitur in membranis *tris*. Repone,

vicinaque Corsica TRISTI
Litora Sardiniae.

Tristis Sardinia, infamis scilicet ob insalubre et pestilens caelum. Respicit quoque auctor ad *Sardonium risum* proverbio notatum. Silius xii, 37, de eadem;

Sed tristis *caelo, et multa vitiata palude.*

V. 640. PRIMAMQUE INTRANTIS IN ORBEM OCEANI VICTRICEM EBUSUM. Vetusti omnes *primumque*. Recte. *Primum intrantis*; ut i, 256.

primumque *canentur*
Quae medium. et alibi.

V. 641. BALEARICA REGNA. Vetusti quattuor melius RURA. Ut infra versu 767. *Dorica rura.*

V. 643. NEC TANTUM EX UNA PONTUS SIBI PARTE RECLUSIS FAUCIBUS ABRUPIT ORBEM. Sic locus a Scaligero constitutus est; nam libri universi, *Reclusus faucibus abreptis orbem. Abrupit orbem*; nec sensui nec metro satisfacit. Repono,

Nec tantum ex una pontus sibi parte RECLUSIT
OBIICIBUS RUPTIS *orbem.*

Virgilius Georg. ii, 479.

Unde tremor terris: qua vi maria alta tumescant

Impulit oceano) potius ſed montibus altis
Eſt vetitus, totam ne mergeret aequore terram.
Namque inter borean ortumque aeſtate nitentem,
In Corum anguſto penetrabilis aequore fluctus
Pervenit, et patulis tum demum funditur arvis,
Caſpiaque Euxini pelage facit aemula ponti.
Altera ſub medium ſolem duo bella per undas
Intulit oceanus terris. nam Perſica fluctus
Arva tenet, titulum pelagi praedatus ab iſdem
Quae rigat ipſe locis, latoque infunditur ore.
Nec procul in molles Arabas, terramque ferentem
Delicias

Vulg. v. 645. PONTUS. 646. VINCERET. 648. LONGUM. 650. SIMILIS—AEQUORA. 654. ORBE.

Obiicibus ruptis, rurſuſque in ſe ipſa reſidant.

Non ex una tantum parte, freto Gaditano, aperuit ſibi orbem, ruptis obiicibus, ſed et freto Caſpio, Perſico, Arabico.

V. 645. NAM LITORA PLURA IMPULIT OCEANO PONTUS. SED MONTIBUS ALTIS EST VETITUS, TOTAM NE VINCERET AEQUORE TERRAM. *Pontus* a Scaligero eſt: *Sic legendum*, inquit, *et eſt elegans repetitio τε pontus.* Haeccine elegans? Haud vidi magis. Libri univerſi *potius.* Repone et diſtingue,

Nec tantum ex una pontus ſibi parte recluſit
Obiicibus ruptis orbem (nam litora plura
Impulit oceano) POTIUS *ſed montibus altis*
Eſt vetitus, totam ne MERGERET *aequore terram.*

Ne mireris, inquit, quod pontus ruptis obiicibus penetraverit in terras tribus quattuorve locis: hoc potius mirandum, quod non totam terram merſerit; merſurus utique, niſi montes alti obſtitiſſent.

V. 646. TOTAM NE VINCERET AEQUORE TERRAM. *Vinceret* aliquo modo ferri poteſt. Verum in auctore tam prodigioſe a librariis corrupto, non prodeſt timide agere vel ſuperſtitioſe. Quod melius eſt, id et verius exiſtimemus. Repone igitur,

totam ne MERGERET *aequore terram.*

Vide quantillum in ſcriptura veteri interſit, *uiceret, mgeret.* Noſter infra de oceano, verſu 832.

ſic quondam merſerat *urbes.*

V. 648. IN LONGUM ANGUSTO. Inter borean, inquit, et ortum ſolſtitialem ſive aeſtivum (ut enim ii, 826. *exortum* abſoluto *nitentem* appellat, ita hic per *aeſtate nitentem* deſignat ortum aeſtivum) fluctus pervenit *in longum.* Quid ſibi vult *in longum? Quo verſus* pervenit? Hoc dici oportebat. Unde vero ſcire auctor potuit, utrum *in longum* an *breve?* cum regiones iſtae ignotae eſſent; et falſum poſtea inventum ſit, Caſpium ab oceano procedere. Repono,

In CORUM *anguſto penetrabilis aequore fluctus*
Pervenit et patulis tum demum funditur arvis.

In Corum, hoc eſt verſus occidentem. Silius ix, 493.

Eurique et Boreae parent, Corique Notique:

Virgilius Georg. iii, 277.

Diffugiunt

Delicias variaeque novos radicis odores,
Leniter adfundit gemmantia litora pontus;
Et terrae mare nomen habet: media illa duobus.

MULTA * DESUNT.

Quondam Carthago regnum ſortita ſub armis,
Ignibus Alpinas cum contudit Hannibal arces,
Fecit et aeternum Trebiam, Cannaſque ſepulchris
Obruit, et Libyen Italas infudit in urbes.
Huic varias peſtes diverſaque monſtra ferarum
Conceſſit ſaeclis natura infeſta futuris.
Horrendos angues, habitataque membra veneno,
Et

Vulg. v. 660. ALBANAS. 661. AETERNAM. 662. LIBYAN. 664. BELLIS.

Diffugiunt (non, Eure, tuos neque solis ad ortus)
In Borean Caurumve.

V. 650. CASPIAQUE EUXINI SIMILIS FACIT AEQUORA PONTI. Multa hic peccantur. *Aequore* verſu abhinc ſecundo habuimus; neque auctor hic repetiſſet *aequora*. Quae deinde conſtructio? *Fluctus ſimilis Euxini ponti facit Caſpia aequora.* Hoc volebat interpolator, Facitque Caſpia aequora ſimilia ponto Euxino. Repone,
Caſpiaque Euxini PELAGE *facit* AEMULA *ponti*.
Pelage plurale neutrum, ut Virgil. *Frigida Tempe, Immania cete.* Lucretius, *pelageque ſevera*; Catullus, *truculentaque pelage.* Cum ſemel negligens librarius *aequora* ſcripſiſſet pro *aemula*; conſequens erat, ut barbarus aliquis *ſimilis* ſententiae donaret.

V 654. QUAE RIGAT IPSE LOCIS, LATOQUE INFUNDITUR ORBI. Doctiſſimus Huetius ſic mavult.
lato qua *infunditur orbi.*
ſed vetuſti omnes *orbe*: unde facilis correctio;
latoque infunditur ORE.
Lato ore, contra ac Caſpium quod *anguſto*. Virgilius Aen. ii, 482.
et ingentem lato *dedit* ore *feneſtram*.

V. 660. IGNIBUS ALBANAS CUM CONTUDIT HANNIBAL ARCES. Venetus et Lipſienſis *Albinas*. Voſſianus recte ALPINAS; ex hiſtoriae ordine, ante Trebiam et Cannas. Horatius Carm. iv, xiv, 12.
et arces
Alpibus impoſitas tremendis.

V. 661. FECIT ET AETERNAM TREBIAM. Immo *aeternum*; ut lucri faciamus ὁμοιοτέλευτον. *Trebia*, Τρεβίας, genere maſculino. Silius iv, 645.
Magnas, o Trebia, *et meritas mihi*, perfide, *poenas*
Exſolves, inquit; lacerum per Gallica rivis
Diſpergam rura.
Aeternum; ut idem xi, 140.
Ut Trebiae *ripas* aeterno *nomine famae*
Tradiderit.

V. 662. LIBYAN. Immo LIBYEN: quod et Huetius vidit.

V. 664. CONCESSIT BELLIS NATURA INFESTA FUTURIS. Quid illud eſt, *infeſta bellis futuris*? nullus, quantum video, ſubeſt ſenſus. Repone,
Conceſſit SAECLIS *natura infeſta futuris.*

V.

2

Et mortis paſtu viventia, crimina terrae,
Et vaſtos elephantas habet, ſaevoſque leones
In poenas fecunda ſuas parit horrida tellus;
Et portentoſos cercopum ludit in ortus,
Ac ſterili peior ſiccas inceſtat arenas,
Donec ad Aegypti ponat ſua iura colonos.
Inde Aſiae populi, diveſque per omnia tellus,
Auratique fluunt amnes, gemmiſque relucet
Pontus: odoratae ſpirant medicamina ſilvae.
India notitia maior, Parthiſque vel orbis
Alter, et in caelum ſurgentis culmina Tauri.

Totque

Vulg. v. 666. PARTUS. 670. INFESTAT. 675. PARTHIQUE. 676. MOENIA.

V. 666. ET MORTIS PARTUS, VIVENTIA CRIMINA TERRAE. Male hîc *partus*, cum *parit* mox ſequatur. Quid vero eſt *mortis partus?* cur *viventia* crimina? Libri omnes *partu*. Repone et diſtingue,

habitataque membra veneno,
Et mortis PASTU *viventia, crimina terrae.*

Viventia paſtu mortis, argute ut ubique ſolet; hoc eſt, viventia paſtu venenoſarum herbarum, quae aliis animalibus mortem inferrent. Virgilius Aen. ii, 471.

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina [paſtus.

Plin. Hiſt. viii, 41. *Teſtudo*, cunilae paſtu, *vires contra ſerpentes refovet, muſtelâ* rutae. Vide ſupra iii, 655, ubi *paſtumque* dedimus, cum libri omnes, ut hic, habuerint *partum*.

V. 667. ET VASTOS ELEPHANTAS HABET SAEVOSQUE LEONES. Verſus ſpurius. *Habet*, et mox *parit*, ignave et otioſe. Elephanti et leones etiam alibi naſcuntur.

V. 670. AC STERILI PEIOR SICCAS INFESTAT ARENAS. *Infeſtat*, inquit Huetius, *hoc eſt, infeſtas reddit*. Atqui *infeſtare* non illud eſt; ſed vexare, moleſtia, damno afficere: nec video, quo pacto arenae poſſint infeſtari. Repone,

Ac ſterili peior ſiccas INCESTAT *arenas.*

Inceſtat ſiccas arenas, influxu neſario fecundas reddit ideoque peior, quam ſi eſſet ſterilis. Virgilius Aen. x, 389.

Anchemolum thalamos auſum inceſtare novercae. [vercae.

V. 675. PARTHIQUE VEL ORBIS ALTER. Immo *Parthis*, ἢ Παρθίς, ut infra verſu 803.

Magna iacet tellus, magnis circumdata ripis,
Parthis, *et*, &c.

ubi iterum codices, *Parthi ſed*. Sic verſu 750. *Perſis*, et Virgilius *Perſidis*.

V. 676. IN CAELUM SURGENTIS MOENIA TAURI. Quaenam iſta *moenia?* Repono,

in caelum ſurgentis CULMINA *Tauri.*

Statius Silv. i, 1.

Quae ſuper ingeſti portaret culmina montis.

V. 677. DIVISAE NOMINE GENTES. *Diviſae nomine* vix quid ſit intelligo. Vetuſti quattuor *diviſo*. Repone,

Totque illum circa DIVERSO *nomine gentes.*

Diverſo nomine, id ipſum eſt, quod *diverſis nominibus*.

V. 678. AD TANAIM SCYTHICAS DIRIMENTEM FLUCTIBUS URBES. Quaenam illae ſunt *Scythicae urbes*; cum Scythae non urbibus, ſed agris et campis diverſi degerent? Voſſianus et alter *orbes*. Repone,

Ad Tanaim SCYTHICIS *dirimentem fluctibus* ORBES.

Orbes,

Totque illum circa diverſo nomine gentes
Ad Tanaim Scythicis dirimentem fluctibus orbes:
Maeotiſque lacus, Euxinique aſpera ponti
Aequora, et extremum Propontidos Helleſpontum
Hunc Aſiae metam poſuit natura potentis.
Quod ſupereſt Europa tenet, quae prima natantem
Fluctibus excepitque Iovem, taurumque reſolvit,
Ille puellari donavit nomine fluctus,
Et monumenta ſui titulo ſacravit amoris.
Princeps illa domus Troiani Graecia belli,
Maxima terra viris, et fecundiſſima doctis
Urbibus.

Vulg. v. 677. DIVISAE. 678. SCYTHICAS—URBES. 681. HIC.

Orbes, Aſiae ſcilicet et Europae; ut Virgilius Aen. vii, 223.

quibus actus uterque
Europae atque Aſiae fatis concurrerit orbis.

V. 679. MAEOTISQUE LACUS, EUXINIQUE ASPERA PONTI AEQUORA ET EXTREMUM PROPONTIDOS HELLESPONTUM. Poſteriorem ex his verſum eiecit ex textu Scaliger, ut adulterinum. Nempe hic *Propontis* primam producit; cum, ut ubique apud alios, ita et apud Noſtrum bis alibi corripiat. Recte. Huetius tamen, Scaligero ſemper iniquus, in textum revocat, hac correctione,

Aequoris extremumque *Propontidos Helleſpontum.*

Vide, invidia aut favor quam tranſverſos agat viros cetera egregios? Hac lectione, aut *ponti aequoris* iunctim habemus; aut *aequoris Propontidos*, coniunctione etiam *que* alieno loco poſita. Ego vero, non poſteriorem modo, ſed utrumque ſpurium puto; ut proximo verſiculo oſtendetur. Nec enim *Maeotis* caſu patrio, nec *Euxinique aſpera ponti* abſolute, ut Scaliger accipit, concoquere poſſum.

V. 680. HIC ASIAE METAM POSUIT NATURA POTENTIS. Gemblacenſis et Lipſienſis *hanc*. Iunge verſum abhinc tertium, et repone;

Ad Tanaim Scythicis dirimentem fluctibus orbes:
HUNC *Aſiae metam poſuit natura potentis.*

Hunc, nempe Tanaim. Dionyſius Periegetes;

Εὐρώπην Ἀσίης Τάναϊς διὰ μέσσον ὁρίζει.

Poſſis etiam legere *hanc*, eodem ſenſu. Tanaim Europae atque Aſiae terminum a veteribus pleriſque poni, quis neſcit? Etſi alii Maeotida et pontum ei addiderint, ut Mela i, 3.

V. 683. TAURUMQUE RESOLVIT. In codicibus ſequitur,

Pondere paſſa ſuo ſigni onerique iuvavit.

Iure, opinor, hunc verſiculum eiecit Scaliger: nam Voſſianus in imo margine habet, non in contextu. Interdicit iterum Huetius, et ſic reformat,

taurumque reſolvens
Quaerere *paſſa* ſibi eſt igniſque *oneriſque* iuvamen.

ſed medicina fit mortuo; et quot alii ſunt irreptitii, quos Scaliger intactos reliquit?

V. 684. ILLE PUELLARI DONAVIT NOMINE FLUCTUS, ET MONUMENTA SUI TITULO SACRAVIT AMORIS. PRINCEPS ILLA DOMUS TROIANI GRAECIA BELLI. Et hi quoque tres ſpurii ſunt; quod orationis ſeries, his ſemotis, ipſa per ſe oſtendet.

Quod ſupereſt Europa tenet, quae prima natantem
Fluctibus

Urbibus. in regnum florentes oris Athenae;
Sparta manu, Thebae divis, et rege vel uno
Theſſalia Epiroſque potens; vicinaque Cadmum
Illyris, et Thrace Martem ſortita colonum;
Et ſtupefacta ſuos inter Germania partus:
Gallia per cenſus; Hiſpania maxima belli;
Italia in ſumma, quam rerum maxima Roma
Impoſuit terris, caeloque adiungitur ipſa.
Hos erit in fines orbis pontuſque notandus,
Quem Deus in partes per ſingula dividit aſtra,
Ac ſua cuique dedit tutelae regna per orbem,
Et proprias gentes atque urbes addidit altas,
In quibus exercent praeſtantes ſidera vires.
Ac velut humana eſt ſignis deſcripta figura;
Et, quamquam communis eat tutela per omne
Corpus, et in proprium diviſis artubus exit:

Namque

Vulg. v. 690. RIPIS. 700. EFFERRENT. 702. UT TAMQUAM. 703. EXTET.

Fluctibus excepitque Iovem taurumque reſolvit,
Maxima terra viris, &c.

Si illa *maxima terra* Europa eſt, ut ipſa clamat ſententia; iam conſtat verſus interiectos ab aliena manu eſſe. Nam ne ad *Graeciam* hoc referas, vetant codices univerſi, qui illum ponunt poſt verſum 689.

et rege vel uno
Princeps illa domus Troiani gratia belli.

Gratia vetuſti codices, non *Graecia*. Pro *gra* (gratia) ab interpolatore datum puto *gla*, hoc eſt, *Troiani gloria belli*; ut de Achille dictum ſit. In prioribus verſibus, quid ſodes illud eſt *fluctus*? An *fluctus* totam Europam ſignificent? An *fluctus* aliqui *Europaei* dicti ſunt? Gemblacenſis pro *fluctus* habet *luctus*, et Voſſianus *litus*. Sed neque hoc iuvat. Litus enim Cretae erat: neque ea inſula umquam dicta eſt Europa. Pro *amoris* Gemblacenſis *honoris*. Mea nihil intereſt, qui pro ſpuriis hos habeo: tuetur, qui volet. Ovid. Met. viii, 153. *egreſſus ratibus* Curetida terram
Contigit.

Κουρῆτις, *Creta*. Vide Heinſium et Steph. in Κουρῆτη, et Heſych. in Κούρητες.

V. 690. VICINAQUE RIPIS ILLYRIS. Vicinam *Epiro* Illyrida, ſciunt omnes: ſed quis ſcit quibus *ripis* vicina ſit? aut cur non hic nominentur? Si hoc plane abſurdum eſt; et iam ſatis noſti, quam miſeris modis hic auctor a librariis tractatus ſit; ſavebis coniecturae, licet a recepta lectione nimium quantum abeunti. Repono *vicinaque* CADMUM
Illyris, et Thrace Martem ſortita colonum.

Illyris ſortita Cadmum colonum, et Thracia Martem. De Cadmo ex Boeotia in Illyricum profecto, et coloniam condente, notae ſunt veterum hiſtoriae. Nota ſeriem orationis,

Sparta

Namque aries capiti, taurus cervicibus haeret;
Brachia ſub geminis cenſentur, pectora cancro;
Te ſcapulae, Nemeaee, vocant, teque ilia, virgo;
Libra colit clunes; et ſcorpios inguine regnat;
At femina arcitenens, genua et capricornus amavit;
Cruraque defendit iuvenis, veſtigia piſces:
Sic alias aliud terras ſibi vindicat aſtrum.
  Idcirco in varias leges, variaſque figuras
Diſpoſitum genus eſt hominum; proprioque colore
Formantur gentes; ſociataque iura per artus
Materiamque parem privato foedere ſignant.
Flava per ingentes ſurgit Germania partus.
Gallia vicino minus eſt infecta rubore.
Aſperior ſolidos Hiſpania contrahit artus.
Martia Romanis urbis pater induit ora,
Gradivumque Venus miſcens bene temperat artus.

Perque

Vulg. v. 718. ORBIS. 719. SUUM.

Sparta *manu* inſignis; Thebae *divis*, Baccho, Herc le; Theſſalia *Achille*; Epirus *Pyrrho*; Illyricum *Cadmo*; Thracia *Marte*.

V. 694. ITALIA IN SUMMA. Sic Gemblacenſis et Voſſianus *ſumma*. Lipſienſis *in ſummam*; quod magis placet Huetio.

V. 700. IN QUIBUS EFFERRENT. Vetuſti quattuor *aſſererent*. Mavult Scaliger *exſererent*. Repone,

In quibus EXERCENT *praeſtantes ſidera vires.* Ita ii, 455.
In quis praecipuas toto de corpore vires
Exercent. et Virgilius Georg. iii, 229.
Ergo omni cura vires exercet.

V. 702. UT TAMQUAM COMMUNIS EAT. A Scaligero hoc eſt. * Repone cum libris omnibus,

ET, QUAMQUAM *communis eat tutela per omne*
Corpus, et in proprium diviſis artubus EXIT.

Ordo eſt, *Et tutela, quamquam eat communis per omne corpus, et* (etiam) *exit in proprium diviſis artubus. Exit* Lipſienſis, Venetus, et Voſſianus.

V. 704. NAMQUE ARIES CAPITI. Compara hos verſus cum ii, 456, &c. et miraberis poetae ingenium cum facilitate et copia.

V. 718. MARTIA ROMANIS ORBIS PATER INDUIT ORA. Quid eſt *orbis pater?* Gemblacenſis *urbes*, Lipſienſis et Voſſianus *urbis*. Repone,

Martia Romanis URBIS *pater induit ora.*

Urbis pater, Mars, Gradivus. Juvenalis, ii, 126. *o* pater urbis,
Unde nefas tantum Latiis paſtoribus? unde
Haec tetigit, Gradive, *tuos urtica nepotes?*

V. 719. GRADIVUMQUE SUUM MISCENS BENE TEMPERAT ARTUS. Suum, inquit

Perque coloratas ſubtilis Graecia gentes
Gymnaſium praeſert vultu, forteſque palaeſtras.
Et Syriam produnt torti per tempora crines.
Aethiopes maculant orbem tenebriſque figurant
Per fuſcas hominum gentes. minus India toſtas
Progenerat; mediumque facit moderata tenorem.
Iam proprio tellus gaudens Aegyptia Nilo
Lenius inriguis infuſcat corpora campis.
Phoebus arenoſis Afrorum pulvere terris
Exſiccat populos. et Mauritania nomen
Oris habet, titulumque ſuo fert ipſa colore.
Adde ſonos totidem vocum, totidem inſere linguas,
Et mores pro ſorte pares, rituſque locorum.
Adde genus proprium ſimili ſub ſemine frugum,

Et

Vulg. v. 724. PERFUSAS——TOSTIS. 726. PROPIOR tellusQUE NATANS. 728. POENUS.

inquit Scaliger, *recte*: *Gemblacenſis* genus, *male*. Sed vetuſti quoque reliqui *genus* habent. Repone,

Gradivumque VENUS *miſcens bene temperat artus.*

Romani a Marte et Venere ducunt originem; ab illo per Romulum, ab hac per Aeneam. Martial. v, 7. de Romanis,

Parce: ſumus Martis *turba, ſed et* Veneris.

Miſcens: ut Seneca Hippol. 659.

Eſt genitor in te totus: et torvae tamen
Pars aliqua matris miſcet *ex aequo decus.*

V. 724. PERFUSAS HOMINUM GENTES. Quaenam illae *perfuſae gentes?* Repone,

PER FUSCAS *hominum gentes.*

Aethiopes maculant orbem *per fuſcas gentes*; ut verſu 720. *Graecia gymnaſium praeſert per* coloratas gentes.

Ibidem. MINUS INDIA TOSTIS PROGENERAT. Vetuſti ſane quattuor, *toſtis*. *Elegantiſſime*, inquit Scaliger; *non toſtos progenerat, ſed minus toſtis.* Si hoc ex animo dixit, quid credas, aut cui credas? Repone cum recentioribus libris,

Per fuſcas hominum gentes: minus India TOSTAS
Progenerat,

minus toſtas gentes, quam fuſcae illae Aethiopum ſunt.

V. 726. IAM PROPIOR TELLUSQUE NATANS AEGYPTIA NILO. Haec corrupta ſunt. *Propior*: cui regioni propior? cur hoc tacetur? *Telluſque*: ne in puero quidem ferendum eſt *que* ultra ſuam ſedem traiectum; pro *Iamque propior tellus.* Voſſianus, *proprior*. Repone,

Iam PROPRIO *tellus* GAUDENS *Aegyptia Nilo.*

Iure quidem *gaudens* Nilo, qui Aegypto *proprius* eſt, nec ullam aliam regionem rigat. Noſter de aquario, iv, 354.

Fontibus aeternis gaudens *urnaque fluenti.*

V. 728. POENUS ARENOSIS AFRORUM PULVERE TERRIS EXSICCAT POPULOS. Portentum hoc eſt; *Poenus*, populus Carthaginienſis, *exſiccat populos Afrorum.* O dura ilia, quae hoc concoquere potuerunt. Repone,

PHOEBUS

Et Cererem varia redeuntem meſſe per urbes,
Nec paribus ſiliquas referentem viribus omnes:
Nec te, Bacche, pari donantem munere terras,
Atque alias aliis fundentem collibus uvas:
Cinnama nec totis paſſim naſcentia campis:
Diverſas pecudum facies, propriaſque ferarum,
Et duplici clauſos elephantas carcere terrae.
Quot partes orbis, totidem ſub partibus ora;
Ut certis deſcripta nitent regionibus aſtra,
Perfunduntque ſuo ſubiectas aethere gentes.
  Laniger in medio ſortitus ſidera mundo
Cancrum inter gelidumque caprum per tempora veris
Adſerit in vires pontum, quem vicerat ipſe,
Virgine delapſa cum fratrem ad litora vexit;

Vulg. v. 734. ORBEM. 741. ORBES. 742. ET. 743. AEQUORE. 745. CAURUM——gelidum TEPIDI.

PHOEBUS *arenoſis Afrorum pulvere terris Exſiccat populos.*

V. 734. REDEUNTEM MESSE PER ORBEM. Melius vetuſti quattuor URBES.

V. 741. QUOT PARTES ORBIS, TOTIDEM SUB PARTIBUS ORBES. Aenigma ſane hoc: quod nemo tamen explicare aggreſſus eſt. Ego, cum non ſim Oedipus, ſic potius repono,

Quot partes orbis, totidem ſub partibus ORA.

Quot partes orbis ſunt, totidem *ora, facies, colores* hominum. Sic commode haec cum ſuperioribus cohaerent.

V. 742. ET CERTIS DESCRIPTA. Immo UT *certis: ora hominum* variantur; *ut*, prout regiones certis aſtris ſubiectae ſunt.

V. 743. PERFUNDUNTQUE SUO SUBIECTAS AEQUORE GENTES. Doctiſſimus Huetius, *Quod* aequor, inquit, *Manilius*; *Firmicus* influxus *dixit, nos vernacule* influentias *dicimus.* Sane huc ducit ipſa ſententia; ſed verbum eo pertingere nequit. Quo enim exemplo, qua imagine vel metaphora, *aequor* erit *influxus?* Repone,

Perfunduntque ſuo ſubiectas AETHERE *gentes.*

Aethere vel *aëre.* Noſter ii, 357. de ſignis trigonis,

Aëraque infectum noſtras demittit ad auras.

V. 745. CAURUM INTER GELIDUM TEPIDI PER TEMPORA VERIS. Pro *cancrum* Scaliger dedit *caurum.* Mirifica ſane coniectura. *Inter caurum?* et quem ventum alium? Nullum. Senſit hoc Huetius; ideoque explicat *inter caurum*, flante cauro; quaſi cum dicimus *inter epulas, inter cenam, inter opus.* Atqui repugnat uſus et mos loquendi. Quid ſententia ipſa? negat arietem medium orbem non tenere, niſi ſi caurus flaverit. Illud *tepidi* ab interpolatore eſt. Gemblacenſis ſic,

Cancrum inter gelidumque per tempora veris,

Sic plane Lipſienſis et Voſſianus: niſi quod ille pro *veris* habet *verxis*, hic *verſis.* Repone,

Et minui deflevit onus, dorſumque levari.
Illum etiam venerata colit vicina Propontis,
Et Syriae gentes, et laxo Perſis amictu,
Veſtibus ipſa ſuis haerens, Niluſque tumeſcens
In cancrum, et tellus Aegypti iuſſa natare.
Taurus habet Scythiae montes, Aſiamque potentem,
Et molles Arabas, ſilvarum ditia regna.
Euxinus Scythicos pontus ſinuatus in arcus
Sub geminis te, Phoebe, colit poſt brachia fratris;
Ultimus et colit hos Ganges et decolor Indus.
Ardent Aethiopes cancro, cui plurimus ignis:
Hoc color ipſe docet. Phrygia, Nemeaee, potiris,
Idaeae matris famulus, regnoque feroci
Cappadocum,

Vulg. v. 757. EX SOLIDO TETRANS COLIT INDIA CANCRUM. 760. REGNIQUE FEROCIS.

CANCRUM *inter gelidum*QUE CAPRUM *per tempora veris.*
Pro capricorno, nota ſcribebatur ♑, qua capricornus ſignificatur. Hanc cum vel omitterent librarii, vel *capricornum*, non *caprum*, ſubſtituerent; verſus hoc reſpuebat; et idcirco lacuna relicta eſt. At capricornus etiam *caper* appellatus eſt, ut ii, 179.

Bina ut lanigero, chelis, cancroque, caproque. et 659.

Ver aries, cererem cancer, bacchumque miniſtrans

Libra, caper *brumam genitoſque ad frigora menſes.*

Et ſic Lucanus aliique.

V. 757. POST, BRACHIA FRATRIS ULTIMUS EX SOLIDO TETRANS. COLIT INDIA CANCRUM. Dabimus vetuſtorum codicum lectionem: poſt de coniecturis videbimus. Vetuſti quattuor ſic;

Ultimus et ſolidos Ganges et tranſcolit India cancer.

Ex his Scaliger ſuum illud excudit;

Ultimus ex ſolido tetrans. colit India cancrum.

Infelice ſane et a vero abhorrente coniectura. *Tetrans*, quis hoc in poëta ferat? *Ultimus tetrans ex ſolido*; hoc eſt, quarta pars ex integro ſigno. Quis hoc in aſtrologo? Cum cetera duodecim tota et integra regionibus ſuis aſſignet; cur geminos dividit in quadrantes? Illud quoque quale eſt, *colit India cancrum:* cum ſequente verſu de cancro loqui incipiat, *Ardent Aethiopes cancro?* In eodem luto haeret Huetius, ſic locum interpolans,

poſt brachia fratris
Ultimus ex ſolido Ganges. colit India cancrum.

Nihil, inquam, de cancro hic dici, ſequens verſus oſtendit. Sed mirifice cetera interpretatur; ex geminis unum fratrem Apollinem *Euxinus* colit, alterum (brachia Herculis) *Ganges*, ſive India orientalis; cancrum autem *India* (tu benigne adde) occidentalis. Quid de his dicemus? Et Scaliger et Huetius inter primarios poëtas merito ſuo nomen habent. Si tales verſus ipſi vellent ſcribere et in publicum dare; tum de his coniecturis ſibi plaudant: talia interim ne donent auctori, qualia ipſi aſpernentur. Iam dixi illud *cancer* nihil loci hic habere poſſe: venit huc, opinor, ex aſteriſco

in

Cappadocum, Armeniaeque iugis: Bithynia dives
Te colit, et Macetum tellus, quae vicerat orbem.
Virgine ſub caſta felix terraque marique
Eſt Rhodos, hoſpitium recturi principis orbem;
Tumque domus vere solis, cui tota ſacrata eſt,
Cum caperet lumen magni ſub Caeſare mundi:
Ioniae quoque ſunt urbes, et Dorica rura,
Arcades antiqui, celebrataque Caria fama.
Quod potius colat Italiam, ſi ſelegis, aſtrum
Quam quod cuncta regit, quod rerum pondera novit,
Deſignat ſummas, et iniquum ſeparat aequo,
Tempora quo pendent, coëunt quo noxque dieſque?
Heſperiam ſua libra tenet, qua condita Roma

Urbis

Vulg. v. 764. ES. 765. TUQUE——ES. 766. CAPERES. 769. REGAT.

in margine, qui pro nota cancri librarium fallebat. Reliqua in membranis ſic habent,

Ultimus et ſolidos Ganges et tranſcolit India.

Repono et diſtinguo,

Sub geminis te, Phoebe, colit poſt brachia fratris;
Ultimus et COLIT HOS *Ganges et* DECOLOR INDUS.

Ovid. Metam. iv, 21.

Decolor *extremo qua cingitur India Gange.*

Triſt. v, 3.

Perſidaque, et lato ſpatiantem flumine Gangen,
Et quaſcumque bibit decolor Indus *aquas.*

Seneca Hippol. 345.

tunc virgatas
India *tigres* decolor *horret.*

V. 760. IDAEAE MATRIS FAMULUS, REGNIQUE FEROCIS CAPPADOCUM, ARMENIAEQUE IUGIS BITHYNIA DIVES. Haec et verbis et diſtinctione laborant. *Leo* Cybeles quidem famulus eſt, ſed an Cappadocum et Armeniae famulus? Aſtra has regiones regunt, non eis famulantur. Quid autem eſt *dives iugis?* Ditior certe eſſet arvis et pratis. Lege et interpunge,

Idaeae matris famulus, REGNOQUE FEROCI
Cappadocum, Armeniaeque iugis.

Phrygia et regno Cappadocum et iugis Armeniae potiris.

V. 764. ES RHODOS, HOSPITIUM. Libri omnes EST *Rhodos.*

V. 765. TUQUE DOMUS VERE SOLIS. Inde editores *es*, et mox *caperes.* Sed repone,

TUMQUE *domus vere solis cui tota ſacrata* EST.

Tum vere domus solis, *cum* caperet Tiberium, lumen mundi ſub Caeſare Auguſto. Codices, quamquam *tuque* habeant, etiam hic tamen *eſt*, non *es.*

V. 766. CUM CAPERES LUMEN. Voſſianus habet CAPERET, quod et melius; ceteri *caperet.*

V. 769. QUOD POTIUS REGAT ITALIAM. Melius vetuſti omnes COLAT.

Urbis in imperio retinet diſcrimina rerum,
Lancibus et poſitis gentes tollitve premitve;
Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem.
Et propriis frenat pendentem nutibus orbem.
Inferius victae ſidus Carthaginis arces,
Et Libyam, Aegyptique latus, donataque rura
Tyrrhenas lacrimis radiatus ſcorpios arces
Eligit; Italiaeque tamen reſpectat ad undas;
Sardiniamque tenet, fuſaſque per aequora terras:

Non

Vulg. v. 774. ORBIS ET IMPERIUM. 775. POSITAS——TOLLITQUE PREMITQUE. 781. ERUIT.

V. 774. QUA CONDITA ROMA ORBIS ET IMPERIUM RETINET, DISCRIMINA RERUM LANCIBUS, ET POSITAS GENTES TOLLITQUE PREMITQUE. Haec vitioſe et leguntur et diſtinguontur. Gemblacenſis in priore verſu *imperia*, in altero *poſitis*. Repone,

qua condita Roma
URBIS IN IMPERIO *retinet diſcrimina rerum,*
Lancibus et POSITIS *gentes tolli*TVE *premit*[VE.

Urbis, non *orbis*; nam ſtatim habemus *orbem*. Imperium orbis, quo illa imperat, non quo imperatur.

V. 776. QUA GENITUS CUM FRATRE REMUS HANC CONDIDIT URBEM. Verſus ſpurius, et barbarus, et ineptiſſimus. Hoc ordine venit in codicibus univerſis: ſed Scaliger eum ſubiecit verſui nunc 775; et verſum nunc 777 antepoſuit verſui nunc 774. Tanta mutatio facta eſt, ut locus commodior tam lepido tenebrionis dono pararetur. Quid vero profecit? vi ipſius conſtructionis, non qua *libra* ſupplendum erit, ſed qua *Roma* genitus Remus hanc urbem (Romam) condidit. Belle vero dictum *hanc urbem:* ſed δεικτικῶς, inquit, *dictum: quippe ſcribebat auctor Romae.* Ita; ſi hic verſus fidem invenit; ſed negabit Flaccus, Epiſt. ii, ii, 65.

me Romaene poemata cenſes
Scribere poſſe inter tot curas totque labores?

Sed eſto, ut Romae ſcripſerit; non eo minus ob ineptiam vapulabit. Nec vero auctoris mos eſt, ut brevem ſyllabam *Remus* hanc in caeſura producat. Voſſianus ſic habet,

Qua genitus Caeſarique meus nunc *condidit* orbem.

Dignom certe patella operculom.

V. 780. TYRRHENAS LACRIMIS RADIATUS SCORPIOS ARCES. Quid hic facit *ſcorpios?* ab interpolatore venit, neſciente ſcilicet *inferius ſidus* verſu 778 ſatis deſignare ſcorpion. Cetera portenta ſunt, et iure a Scaligero pro ſpuriis reiecta. Siquid tamen tentandum ſit, hoc vide;

Et Cyrenaeas imis radicibus herbas
Eruit.

Silphion forte ſive laſerpitium intelligit; unde *laſerpitiferae Cyrenae* Catullo dictae. Sub auctoris enim temporibus Silphion illud Cyrenis extinctum eſt. Plinius Hiſt. xix, 15. *Multis iam annis in ea terra non invenitur.* Sed hoc ioco dictum accipe *Eruit* enim mendoſum eſt. Repone, ELIGIT, hoc eſt, vindicat ſibi, aſſerit.

V. 783. INSULA TRINACRIAE FLUITANTEM AD IURA SOROREM SUBSEQUITUR CRETEN, SUB EODEM CONDITA SIGNO: PROXIMAQUE ITALIAE ET TENUI DIVISA PROFUNDO ORA, PARES SEQUITUR LEGES, NEC SIDERE RUPTAS. Hi quattuor in ſcriptis editiſque ſequontur verſum qui nunc eſt 790. Nempe interpolator aliquis, cum hic legeret, *Sicilia ſubſequitur Creten*, acute providebat curabatque, ut etiam

ordine

Non ita Tinacriam; quae dantem iura ſororem
Subſequitur gaudens, ſub eodem condita ſigno;
Proximaque Italiae et tenui diviſa profundo
Ora, pares ſequitur leges, nec ſidere rupta eſt.
Gnoſia centauro tellus, circumdata ponto,
Paret, et in geminum Minois filius aſtrum
Ipſe venit geminus: celeres hinc Creta ſagittas
Aſſerit, intentoſque imitatur ſideris arcus.
Tu, capricorne, regis, quicquid ſub sole cadente
Expoſitum,

Vulg. v. 783. INSULA TINACRIAE FLUITANTEM AD. 784. CRETEN. 786. RUPTAS.

ordine verſuum Cretam ſubſequeretur. Inſpiciamus quid, ut nunc ſcribuntur et collocantur, narrent. *Siciliae*, aiunt, *ſoror eſt Creta*. Itane? tam longe remota, et tamen ſoror? Dicant, quî ſit vel germana vel cognata. *Minos*, inquit vir magnus, *tam Cretae quam Siciliae imperavit: et nota eſt Daedali a Creta in Siciliam fuga*. Atqui eodem iure et reliquis inſulis ſoror erit; nam auctoris aetate Romani omnibus imperabant. Quid vero eſt, *fluitantem ſororem?* an Creta, ut quondam Delos, erratica tum erat, et nabat in pelago? Quid *fluitantem ad iura?* Hoc ſenſu omni caſſum eſt, quod tamen pede tacito praetereunt. Sequentes vero verſiculi magis magiſque ſententiam conturbant. Quippe ſi proxima *Italiae* Sicilia *pares ſequitur leges*, ſub eodem quo Italia ſigno erit, nempe *libra:* at paulo ante ſub eodem quo Creta ſigno, nempe *centauro*, condita erat. Haec pugnantia et ἀσύστατα ſunt. Videamus, ſi quid opis hic afferre poſſit noſtra collocatio: ſed primo id indicandum, pro *Creten* Gemblacenſem habere *Cremen*, Venetum et Lipſienſem *Cretens*, Voſſianum *Crentens:* pro *ruptas* autem, omnes *rupta eſt*. De *ſcorpio* auctor iam dixerat;

Italiaeque tamen reſpectat ad undas,
Sardiniamque tenet, fuſaſque per aequora terras.

Sardiniam, inquit, tenet *centaurus*, et alias inſulas, Corſicam ſcilicet, Gaulos, Melitam, Coſuram aliaſque inter Africam et Tyrrhenum pelagus ſitas: tum ſubiungit, ut nunc reponimus,

NON ITA TINACRIAM; QUAE DANTEM *iura ſororem*
Subſequitur GAUDENS, *ſub eodem condita ſigno;*
Proximaque Italiae et tenui diviſa profundo
Ora, pares ſequitur leges, nec ſidere RUPTA EST.

Reliquas, inquit, propinquas inſulas centaurus tenet: at non Siciliam; utpote quae olim ab Italia vi fluctuum diſſociata ſequitur ſororem: et proxima Italiae ora pares leges ſequitur, nec *ſidere* ab ea *rupta eſt*, quamquam olim mari. *Dantem iura ſororem*, hoc eſt, Italiam orbis dominam; ut Virgilius paſſim,

Per populos dat iura.
Iura dabat *legeſque viris.*
patribus dat iura *vocatis.*
Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt.

Certe *inſula Trinacriae* ignave dictum. Cum ſupra verſu 631, *Tinacriam* ſimpliciter appellaſſet, quid opus erat hic *inſulam Trinacriae?* An quo ſaepius memoratur, eo eſt ignotior?

V. 789. CELERES HUIC CRETA SAGITTAS. Recte Gemblacenſis HINC.

V. 791. TU, CAPRICORNE, REGIS QUICQUID SUB SOLE CADENTE EXPOSITUM, GELIDAMQUE HELICEN QUOD TANGIT AB ILLO. Hi verſiculi, tamquam ſorices, ſuo ſe indicio prodiderunt. Abeant hinc, adulterini et ſpurii. Ut ſupra verſu 778, *Inferius libra ſidus* ſcorpion notavit; et tamen ſtolidus interpolator

Expositum, gelidamque helicen quod tangit ab illo.
Hispanas gentes, et quot fert Gallia dives,
Teque feris dignam tantum, Germania, matrem,
Asserit ambiguum sidus terraeque marisque,
Aestibus assiduis pontum terrasque tenentem.
Sed iuvenis nudos formatus mollior artus
Aegyptum tepidam Tyriasque recedit ad arces,
Et Cilicum gentes, vicinaque Caridos arva.
Piscibus Euphrates datus est, ubi pisce sub atro,
Cum fugeret Typhona, Venus subsedit in undis.
Magna iacet tellus, magnis circumdata ripis,
Parthis, et a Parthis domitae per saecula gentes,
Bactraque, et Hyrcani, Babylon, et Susa, Panosque,
Nominaque innumeris vix amplectenda figuris,
Et

Vulg v. 793 QUOD. 796. TERRAM PONTUMQUE. 798. AD LEPTIMQUE. 799. ET AQUARIUS. 800 PISCIS AMATOR.

interpolator versum addidit, quo scorpios suo nomine diceretur; sic et hic, cum *sidus ambiguum terraeque marique* capricornum satis designaret, hos duos addidit, ne capricornus suo nomine fraudaretur. Videamus vero sententiam: *Capricornus*, ait, *tenet quicquid sub occasu est, et quicquid helicen*, sive septentrionem *tangit*. Quomodo, quaeso, *septentrio* sub capricorno; cum prius fuerit *Scythia* sub tauro, et *Euxinus* sub geminis? Non Scythia et pontus a veteribus inter septentrionales regiones numerabantur?

V. 793. HISPANAS GENTES ET QUOD FERT GALLIA DIVES. *Quod* in membranis passim pro *quot*. Lege ergo,

Hispanas gentes, et QUOT *fert Gallia dives.*

Quot gentes. Ut in Hispania plures *gentes* ponit, ita in Gallia.

V. 796. AESTIBUS ASSIDUIS TERRAM PONTUMQUE TENENTEM. Lege ex libris veteribus,

Aestibus assiduis PONTUM TERRASQUE *tenentem.*

V. 798. AEGYPTUM AD, LEPTIMQUE, ARCES TYRIASQUE RECEDIT. Versus scaber et deformis. Et quomodo *Leptis* sub aquario, cum tota *Libya* sub scorpio sit versu 779? Gemblacensis totum versum sic exhibet,

Aegyptum lepidam Tyriasque recedit.

Ceteri tres sic,

Aegyptum a lepidam Tyria que recedit.

Repono,

Aegyptum TEPIDAM, Tyriasque recedit ad arces.

Vides causam, cur aquarius Aegyptum sibi seligat: quia ipse molli corpore et nudus est, illa autem tepida. Sed quae haec vanitas et inconstantia? supra, versu 752, Aegyptus sub ariete erat: mox versu 779, sub scorpio; nunc demum sub aquario.

V. 799. ET CILICUM GENTES, VICINA ET AQUARIUS ARVA. Ut supra versu 780, *scorpios*

Et Tigris, et rubri radiantia litora ponti.
Sic divisa manet tellus per sidera cuncta.
E quibus in proprias partes sunt iura trahenda:
Namque eadem, quae sunt signis, commercia servant.
Utque illa inter se coëunt, odiove repugnant;
Nunc adversa polo, nunc et coniuncta trigono;
Quaeve alia in varios affectus causa gubernat:
Sic terrae terris respondent, urbibus urbes,
Litora litoribus, regnis contraria regna.
Sic erit et sedes fugienda, petendave cuique;
Sic speranda fides, sic et metuenda pericla,
Ut genus in terram caelo descendit ab alto.
Percipe nunc etiam, quae sint ecliptica Graio
Nomine, quod certos quasi delassata per annos
Nonnumquam

Vulg. v. 810. ODIOQUE. 812. QUAEQUE—EFFECTUS. 815. PETENDAQUE. 819. QUAE.

scorpios ab interpolatore intrusus est, ita hic *aquarius:* quasi non

Sed iuvenis nudos formatus mollior artus

satis monstraverit aquarium. Aut dele hunc versum, aut sic repone,

*Et Cilicum gentes, vicina*QUE CARIDOS *arva.*

Caria, Caris, Καρίς: ut Persia Persis, Parthia Parthis, &c.

V. 800. PISCIBUS EUPHRATES DATUS ET, UBI PISCIS AMATOR, CUM FUGERET TYPHONA, VENUS SUBSEDIT IN UNDIS. Gemblacensis cum Lipsiensi *piscis uraptor. Quaerant*, inquit Scaliger, *studiosi.* Venetus *pisces emptor:* Vossianus *pisces uruptor.* Unde Vossius ad Catullum corrigit,

ubi PISCE SUB ATRO.

V. 804. BACTRAQUE ET HERIOS BABYLON ET SUSA PANOSQUE. Versus Scaligero spurius. Gemblacensis sic;

Bactraque aetherios Babylonem et sisipiniosque. Lipsiensis;

Bactraque aetherios Babylone et Susa pimosque. Vossianus;

Bactraque eternis Babylone et Susa apimosque.

An legendum,

Bactraque et HYRCANI, *Babylon et Susa?*

V. 810. ODIOQUE REPUGNAT. Immo ODIOVE.

V. 812. QUAEQUE ALIA IN VARIOS EFFECTUS CAUSA GUBERNAT. Veteres omnes *affectus.* Repone,

*Quae*VE *alia in varios* AFFECTUS *causa gubernat.*

Affectus, odium, amorem, &c. Sic ii, 476.

Quod deus, in leges mundum cum conderet omnem,
Affectus *quoque divisit variantibus astris.*

V. 815. FUGIENDA, PETENDAQUE CUIQUE. Immo *petenda*VE *cuique.*

V. 819. QUAE CERTOS. Recte vetusti omnes QUOD *certos.*

V.

Nonnumquam ceſſant ſterili torpentia motu.
Scilicet immenſo nihil eſt aequale ſub aevo,
Perpetuoſque tenet flores, unumque tenorem.
Mutantur ſed cuncta die, variantque per annos;
Et fecunda ſuis abſiſtunt frugibus arva,
Continuoſque negant partus, effoeta creando.
Rurſus quae fuerant ſteriles ad ſemina terrae,
Poſt nova ſufficiunt, nullo mandante, tributa.
Concutitur tellus validis compagibus haerens,
Subducitque ſolum pedibus. natat orbis in ipſo,
Et vomit oceanus pontum, ſitienſque reſorbet,
Nec ſeſe ipſe capit. ſic quondam merſerat urbes,
Humani generis cum ſolus conſtitit heres
Deucalion, ſcopuloque orbem poſſedit in uno.
Necnon cum patrias Phaëthon tentavit habenas,

Arſerunt

Vulg. v. 822. COLOREM. 823. DIU. 824. SUBSISTUNT.

V. 822. UNUMQUE COLOREM. Vetuſti quattuor TENOREM. Vide ad ii, 428.

V. 823. MUTANTUR SED CUNCTA DIU. Immo DIE cum acutiſſimo Gronovio: *die*, tempore, aevo.

V. 824. ET FECUNDA SUIS SUBSISTUNT FRUGIBUS ARVA. Subſiſtunt ſuis frugibus? Atqui auctor vult, arva fecunditatem priſtinam amittere. Corrigebat itaque Huetius, NEC *fecunda ſuis ſubſiſtunt*. Immo reponendum potius,

Et fecunda ſuis ABSISTUNT *frugibus arva*.

Abſiſtunt, deſinunt fruges dare.

V. 835. TIMUITQUE INCENDIA CAELUM, FUGERUNTQUE NOVAS ARDENTIA SIDERA FLAMMAS. An *timuit* tantummodo? immo perpeſſum eſt incendia: et mox verſu altero redit illud *timuit*? Noſter, i, 745, de eodem Phaëthonte ſic loquitur;

Et caelum exuſtum eſt: luit ipſe incendia mundus
Et vicina novis flagrarunt ſidera flammis.

Ex iſtis ſic hos reſtituo,

Arſerunt gentes: LUIT IPSUM *incendia caelum:*
FULSERUNTQUE NOVIS RADIANTIA *ſidera* FLAMMIS.

Fugerunt hic pro *fulſerunt*, ut contra, iv, 24. veteres aliquot *fulſiſſent* pro *fugiſſent*. *Radiantia*, non *ardentia*; quia praeceſſit *arſerunt*.

V. 838. IN TANTUM LONGO MUTANTUR TEMPORA CURSU. Scripti plerique et editi, *mutantur tempora cuncta*. Unde Scaliger dedit *curſu*. Verum haud de temporum mutatione hic agitur, ſed rerum. Recte Voſſianus,

In tantum longo mutantur TEMPORE CUNCTA.

V. 839. SIC TEMPORE CERTO. *Tempore* ſuperiore verſu habuimus. Repone igitur,

ſic

Arſerunt gentes, luit ipſum incendia caelum,
Fulſeruntque novis radiantia ſidera flammis,
Atque uno timuit condi natura ſepulchro.
In tantum longo mutantur tempore cuncta,
Atque iterum in ſemet redeunt. ſic foedere certo
Signa quoque amittunt vires, ſumuntque receptas.
Cauſa patet, quod, luna quibus defecit in aſtris,
Orba ſui fratris noctiſque immerſa tenebris,
Cum medius Phoebi radios intercipit orbis,
Nec trahit in ſe tum, quo fulget, Delia lumen;
Haec quoque ſigna ſuo pariter cum ſidere languent
Incurvata ſimul, ſolitoque exuta vigore,
Et velut elatam Phoeben in funere lugent.
Ipſe docet titulus cauſas: ecliptica ſigna
Dixere antiqui. pariter ſed bina laborant;

Nec

Vulg. v. 835. TIMUITQUE. 836. FUGERUNTque NOVAS ARDENTIA ſidera FLAMMIS. 838. TEMPORA CURSU. 839. TEMPORE. 843. MEDIOS. 846. EXCEPTA. 848. IPSA—CAUSAE QUAE. 849. SUBBINA.

ſic FOEDERE *certo*
Signa quoque amittunt vires, ſumuntque receptas. ut ii, 478.
Iunxit amicitias horum ſub foedere certo.

V. 843. CUM MEDIOS PHOEBI RADIOS INTERCIPIT ORBIS. Immo MEDIUS. Cum orbis terrae, medius inter solem et lunam, radios solis intercipit.

V. 844. NEC TRAHIT IN SE TUM, QUO FULGET, DELIA, LUMEN. Verſus iners et ſupervacuus: nihil addit ſententiae; conſtructionem autem turbat. *In ſe tum* a Scaligero eſt; vetuſti *ad caecum, ad cetum*; et plerique *Delia luna*.

V. 846. INCURVATA SIMUL SOLITOQUE EXCEPTA VIGORE. Quid eſt *excepta vigore*? Vetuſti omnes *exempta*. Repone,
Incurvata ſimul ſolitoque EXUTA *vigore*.
Sic *exutus bonis, fortunis, praediis*, &c. id eſt, privatus, ſpoliatus.

V. 848. IPSA, DOCET TITULUS CAUSAE, QUAE ECLIPTICA SIGNA DIXERE ANTIQUI. Haec ſcabra et invenuſta ſunt. Gemblacenſis et Lipſienſis;
Ipſa docet titulos cauſae quae ecliptica ſigna.
Voſſianus;
Ipſe docet titulos cauſae egliptica ſigna.
Repone,
IPSE *docet titulus* CAUSAS: *ecliptica ſigna*
Dixere antiqui.
Sic ii, 695.
Dodecatemoria, in titulo ſignantia cauſas.

V. 849. PARITER SUBBINA LABORANT. Priſcae editiones *ſubbina*: et retinuit Scaliger. Barbarum tamen eſt; et ſine exemplo. Vetuſti quattuor recte;
pariter SED BINA *laborant.*

V.

Nec vicina loco, ſed quae contraria fulgent:
Sicut luna ſuo tunc tantum deficit orbe,
Cum Phoebum adverſis currentem non videt aſtris.
Nec tamen aequali langueſcunt tempore cuncta:
Sed modo in affectus totus producitur annus,
Nunc brevius laſſata manent, nunc longius aſtra,
Exceduntque ſuo Phoebeia tempora caſu.
Atque ubi perfectum eſt ſpatium quod cuique dicatur,
Impleruntque ſuos certa ſtatione labores
Bina per adverſum caelum fulgentia ſigna;
Tum vicina labant ipſis haerentia ſigna,
Quae prius in terras veniunt, terraſque relinquunt:
Sidereo non ut pugnet contrarius orbis;
Sed, qua mundus agit curſus, inclinat et ipſe,
Amiſſaſque negat vires; nec munera tanta,
Nec ſimiles reddit noxas. locus omnia vertit.

Sed

Vulg. v. 854. NAMQUE modo INFECTUS. 860. SIGNIS.

V. 851. TUNC TANTUM DEFICIT ORBE. Et hi duo ſpurii videntur: infra auctoris genium ſunt; nihil dicunt, niſi quod melius ſit dictum antea: et fruſtra orationis ſeriem interrumpunt.

V. 854. NAMQUE MODO INFECTUS TOTUS PRODUCITUR. Sic veteres editiones: ſed veteres membranae aliud habent,

SED *modo* IN AFFECTUS *totus producitur annus.*

Cui vulgatam interpolationem praetuliſſe Scaligerum, ſane miror.

V. 860. IPSIS HAERENTIA SIGNIS. Immo SIGNA, *Quae prius in terras veniunt*; hoc eſt, quae illis proxima ad occaſum ſita ſunt.

V. 869. CONDIT ENIM QUICQUID VASTO NATURA RECESSU. Nullus orationis exitus eſt: *Quicquid condit natura, fugitque viſus noſtros*; quid tum poſtea? mutila, ut vides, ſententia eſt. Vetuſti omnes *quod* vel *quid* pro *quicquid*. Gemblacenſis lacunam habet inter *enim* et *quid*. Repone,

Condit enim SE, INQUIT, *vaſto natura receſſu.*

Inquid, pro *inquit*, ut *quod* pro *quot* paſſim in membranis. *Inquit*, ponit aliquem contra loqui, deſperantem ſe haec poſſe perſpicere; cui ſtatim reſpondet, *Quid iuvat in ſemet*, &c. Ita ſupra verſu 387.

Multum, inquis, *tenuemque iubes me ferre laborem.*

V. 876. PERSPICIMUS CAELUM: CUR NON ET MUNERA CAELI? QUANTA AT PARS SUPEREST RATIONEM DISCERE NOCTIS, INQUE IPSOS PENITUS MUNDI DESCENDERE CENSUS? Verſum medium, qui

Sed quid tam tenui prodeſt ratione nitentem
Scrutari mundum, ſi mens ſua cuique repugnat,
Spemque timor tollit, prohibetque a limine caeli?
Condit enim ſe, inquit, vaſto natura receſſu,
Mortaleſque fugit viſus, et pectora noſtra:
Nec prodeſſe poteſt, quod fatis cuncta reguntur,
Cum fatum nulla poſſit ratione videri.
Quid iuvat in ſemet ſua per convicia ferri?
Et fraudare bonis, quae nec deus invidet ipſe?
Quoſque dedit natura, oculos deponere mentis?
Perſpicimus caelum: cur non eſt munere caeli
Quanta at pars ſupereſt rationem diſcere noctis?
Inque ipſos penitus mundi deſcendere cenſus;
Seminibuſque ſuis tantam componere molem;
Et partum caeli ſua per nutritia ferre;
Extremumque ſequi pontum, terraeque ſubire
Pendentis

Vulg. v. 869. QUICQUID. 876. ET MUNERA? 880. PRETIUM CAELO. 881. PORTUM.

qui in libris poſt verſum 882 venit, huc excitavit Scaliger; eam, opinor, ob cauſam, quia nihil erat, quo referri poſſet illud *deſcendere*. Atqui verſus irreptitius et inſulſus eſt, et neutri loco convenit. Difficile vero et magni faciendum, *noctis rationem diſcere*; quam vel in primo libro auctor docuerat. Hoc ſublato, ſic ceteros repone,

Perſpicimus caelum: cur non EST MUNERE *caeli*
Inque ipſos penitus mundi deſcendere cenſus?

Cur non eſt, non licet, *penitus*, &c. *Inque*, cum binae ſequantur coniunctiones, eſt *etiam in ipſos cenſus*. *Munere caeli*, caeli ipſius ope et beneficio. Sic ii, 115.

Quis caelum poſſet, niſi caeli munere *noſſe?*

V. 880. ET PRETIUM CAELO SUA PER NUTRICIA FERRE. *Caelo* a Scaligero eſt, quod explicat *vices*, *pretium*, θρεπτήρια, *caelo retribuere*. Rectius Gronovius Obſerv. i, 11, ex codice Veneto,

Et partem caeli *ſua per nutricia ferre.*

Partem caeli, hominem ſcilicet, *per ea ferre, quibus maxime nutritur et alitur*. Satis bene; niſi melius quid in parato eſſet,

Et PARTUM CAELI *ſua per nutricia ferre.*

Partum caeli habent Gemblacenſis, Lipſienſis, et Voſſianus. *Hominem*, qui *partus caeli* eſt et inde primum huc demiſſus, *ferre per ſua nutricia*, per loca caeleſtia ubi initio factus, formatus, nutritus eſt.

V. 881. EXTREMUMQUE SEQUI PORTUM. Quemnam vero *portum?* Repone PONTUM; hoc eſt, oceanum, horizontem; ut probant ſequentia, *terrae pendentis tractus*. *Pendentis*, ſub horizonte iam iturae.

Pendentis tractus, et toto vivere in orbe?
Iam nusquam natura latet: pervisimus omne,
Et capto potimur mundo, nostrumque parentem
Stirps sua perspicimus, genitique accedimus astris.
An dubium est habitare deum sub pectore nostro?
In caelumque redire animas, caeloque venire?
Utque est ex omni constructus corpore mundus,
Aëris, atque ignis summi, terraeque, marisque;
Spiritus et toto rapido quae iussa gubernans:
Sic esse et nobis terrenae corpora sortis,

Aetheriasque

Vulg. v. 883. PERVIDIMUS OMNEM. 887. PARS sua CONSPICIMUS. 888. SIT. 891. IN nobis.

V. 883. IAM NUSQUAM NATURA LATET: PERVIDIMUS OMNEM. Repone,

Jam nusquam natura latet: PERVISIMUS OMNE.

Omne τὸ Πᾶν, ut supra.
Pervisimus, praesenti tempore, ut sequentia, *potimur*, *perspicimus*, *accedimus*. Ita mox 927.

Parvula sic totum pervisit *pupula caelum.*

V. 887. PARS SUA CONSPICIMUS. Vetusti omnes *perspicimus*. Repone,

nostrumque parentem
STIRPS *sua* PERSPICIMUS.

Sane cum *parentem* dixerit, *stirps* convenit, non *pars*. Sic i, 765 de Sarpedone Iovis filio,

.stirpemque *Tonantis*
Rectorem Lyciae.

V. 888. UTQUE SIT EX OMNI. Immo *Utque* EST *ex omni.*

V. 889. AERIS ATQUE IGNIS SUMMI. Libri omnes *Aetheris:* sed *Aëris* placet. Sic i, 137, et alibi,

Aut neque terra *patrem novit, nec* flamma, *nec* aër,
Aut humor. et 249,
Aëris *atque* ignis, terrae pelagique *iacentis.*

Frustra hic cavillatur doctissimus Huetius.

V. 890. SPIRITUS ET TOTO RAPIDO QUAE IUSSA GUBERNANS. Versus spurius et barbarus. Libri vetusti,

Spiritum et toto rapido quae iussa gubernant.

Abeat nebulo, cum *toto suo rapido*. *Quae iussa gubernant*; et mox altero abhinc versu, *Qui cuncta gubernat.*

V 891. SIC ESSE IN NOBIS. Immo repone, *Sic esse* ET *nobis.*

V. 892. SANGUINEASQUE ANIMAS ANIMO, QUI CUNCTA GUBERNAT, DISPENSATQUE HOMINEM. Vide comparationem et antithesin; ut mundus partim gravibus constat aqua et terra, partim subtilibus aëre et igni; ita et hominibus sunt corpora *terrenae* sortis, animi vero *caelestis* sortis. Ad hanc sententiam locuturus erat auctor; si per interpolatores stetisset. Quid enim est *sanguineas animas animo?* Illud *animas* haud dubie mendosum pronuntiat Scaliger: sed quid reponendum sit, lubricum esse statuere. Tentat tamen, *sanguineasque* minas *animo: minasque* explicat ὁμοκλάς, sive voces, clamores, hortamina, quibus iumenta ad incessum tardiora instigantur. Nollem ego sic verborum apices captare, ut sententiam prorsus amitterem. Numquam credam *sanguineas animas* opponi *sorti terrenae*. Quaerendum aliquid subtilius, purius, caelestius. Repono,

AETHERIASQUE AURAS *animo, qui cuncta gubernat.*

Dogma

Aetheriasque auras animo, qui cuncta gubernat,
Dispensatque hominem? quid mirum, noscere mundum
Si possunt homines, quibus est et mundus in ipsis;
Exemplumque dei quisque est in imagine parva?
An quoquam genitos, nisi caelo, credere fas est
Esse homines? proiecta iacent animalia muta
In terra, vel mersa vadis, vel in aëre pendent;
Et, quia consilium non est, et lingua remissa;
Omnibus una quies, venter somnusque per artus.
Unus in inspectus rerum, viresque loquendi,
Ingeniumque

Vulg. v. 892. SANGUINEASQUE ANIMAS. 897. CUNCTA. 900. SENSUSQUE. 901. ET.

Dogma Stoicorum et auctoris est, animas esse igneas, sive aetherias. Virgilium imitatur, ut solet: Aen. i, 551.

Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Aetheria, *nec adbuc crudelibus occubat umbris.*

Georg. iv, 220.

His quidam signis, atque haec exempla secuti;
Esse apibus partem divinae mentis et haustus
Aetherios *dixere.*

et Aen. vi, 745.

Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Aetherium *sensum atque* auraï *simplicis* ignem.

Ovid. Fast. i, 473 de vate Carmenta,

Quae simul aetherios animo *conceperat* ignes.

V. 897. PROIECTA IACENT ANIMALIA CUNCTA IN TERRA. Non *cuncta*: nam inter cuncta et homo ipse est. Repone,

proiecta iacent animalia MUTA.

Ita ii, 99.

Denique si pecudes et muta animalia *terris.*

Seneca ad Marciam, c vii. *Aspice* mutorum animalium *quam concitata sint desideria, et tamen quam brevia.* Recte vero hic *muta*, cui mox opponuntur *vires loquendi.*

V. 900. VENTER SENSUSQUE PER ARTUS. *Sensus* male convenit cum *quiete*, cum sensus sopiuntur. Repone,

Omnibus una quies, venter SOMNUSQUE *per artus.*

ut Sallustius Cat. ii. *Sed multi mortales, dediti* ventri atque somno. Tacitus, Germ. xv. *Per otium transigunt, dediti* somno ciboque. *Somnus per artus*, ut Virgilius Aen. viii, 405.

dulcemque petivit
Coniugis infusus gremio per membra soporem.

Deinde versum priorem posteriori subiice, hoc modo,

Et, quia consilium non est, et lingua remissa;
Omnibus una quies, venter somnusque per artus.

V. 901. UNUS ET INSPECTUS RERUM, VIRESQUE LOQUENDI INGENIUMQUE CAPAX VARIAS EDUCIT IN ARTES. Mirifice haec interpretatur Scaliger, *Unus inspectus rerum*, ἀπὸ κοινοῦ non est brutis. *Ingenium capax educit*, hoc est per ellipsin *Ingenium*, quod *educit.* Contemnere potuisset Scioppios, Titios, et Petavios; si omnia sic dixisset. A Vossiano abest *et*; *Unus inspectus*: sed veteres universi habent, *variasque educitur artes.* Repone,

Unus IN *inspectus rerum, viresque loquendi,*
Ingeniumque capax, variasque EDUCITUR *artes.*

Ex omnibus animalibus, *unus*, homo, partus, *educitur in inspectus rerum*, &c. Ovid. Met. viii, 533.

Nec

Ingeniumque capax, variaſque educitur artes.
Hic partus qui cuncta regit, ſeceſſit in urbes,
Edomuit terram ad fruges, animalia cepit,
Impoſuitque viam ponto, ſtetit unus in arcem
Erectus capitis, victorque ad ſidera mittit
Sidereos oculos, propiuſque aſpectat olympum,
Inquiritque Iovem: nec ſola fronte deorum
Contentus manet, at caeca ſcrutatur in alvo,
Cognatumque ſequens corpus ſe quaerit in aſtris:
Huic in fata fidem petimus, quam ſaepe volucres
Accipiunt, trepidaeque boum ſub pectore fibrae.
An minus eſt ſacris rationem ducere ſignis,

Quam

Vulg. v. 902. varias EDUCIT IN. 903. ARTUS QUICUMQUE——ORBEM. 904. ET DOMUIT. 909. ET CAELUM——ALTO. 911. HINC IN TANTA. 912. SUO.

Non mihi ſi centum deus ora ſonantia linguis,
Ingeniumque capax, *totumque Helicona dediſſet.*

Ubi perperam praeſtantiſſimus Heinſius ex paucis ſcriptis reponit *linguae*.

V. 903. HIC ARTUS QUICUMQUE REGIT, SECESSIT IN ORBEM. *Artus* a Scaligero eſt. *Hic*, ſubauditur ſpiritus, *quicumque artus regit*; ex Virgiliano illo ſcilicet, Aen. iv, 336, *dum ſpiritus hos reget artus.* Atqui *ſpiritus*, ſi hic intelligitur, non ſubaudiri, ſed exprimi debuit: et quid erit, *ſpiritus ſeceſſit in orbem?* an in orbem capitis? Libri omnes *partus*; pro *quicumque*, recentiores duo et editiones primae *qui cuncta*. Denique pro *orbem*, Gemblacenſis *orbe*; Lipſienſis et Voſſianus *orbes*. Repone,

Hic PARTUS, QUI CUNCTA *regit, ſeceſſit in* URBES.

Hic partus, caeli ſcilicet, ut ſupra 880.

Et partum caeli *ſua per nutricia ferre.*

Homo, inquit, cunctorum dominus, *ſeceſſit in urbes*; civilem et ſocialem vitam excoluit; non in ſilvis et deſertis ferinam egit. Iam nihil opus eſt, ut cum Huetio hunc verſum prioribus duobus anteponamus.

V. 904. ET DOMUIT TERRAM AD FRUGES. Repone ex Gemblacenſi et Voſſiano,

EDOMUIT *terram ad fruges, animalia cepit.*

Si *et domuit* dixiſſet, addidiſſet utique *et animalia cepit*. Statius Theb. iii, 562.

ſilvas amor unus humumque
Edomuiſſe *manu*.

V. 909. ET CAELUM SCRUTATUR IN ALTO. Repone,

nec ſola fronte deorum
Contentus manet, AT CAECA *ſcrutatur in* ALVO.

At lege, non *et*; *alvo* autem libri univerſi; *alto* a Scaligero venit. Opponuntur hic *frons* exterior, *alvus* interior. Sic i, 17.

Scire iuvat magni penitus praecordia mundi.

et iii, 61.

Quae quaſi per mediam mundi praecordia *partem.*

Caeca ſcrutari in alvo. ut iv, 246.

ſcrutari caeca metalla.

Virgilius Aen. ix, 152.

Ne timeant: nec equi caeca *condemur* in alvo.

V. 911. HINC IN TANTA FIDEM PETIMUS.

Quam pecudum mortes, aviumque attendere cantus?
Atque ideo faciem caeli non invidet orbi
Ipſe deus; vultuſque ſuos corpuſque recludit
Semper volvendo, ſeque ipſe inculcat et offert;
Ut bene cognoſci poſſit, pateatque videndus,
Qualis eat, doceatque ſuas attendere leges.
Ipſe vocat noſtros animos ad ſidera mundus:
Nec patitur, quia non condit, ſua iura latere.
Quis putet eſſe nefas noſci, quod cernere fas eſt?
Nec contemne tuas quaſi parvo in corpore vires:
Quod valet, immenſum eſt. ſic auri pondera parva
Exſuperant pretio numeroſos aeris acervos.

Sic

Vulg. v. 915. ATQUI ADEO. 917. IPSUM. 918. DOCEATQUE VIDENDO. 922. PUTAT. 923. NE. 924. QUO——PARVI.

MUS. Gemblacenſis cum recentioribus aliquot *huic*. Repone,

HUIC *in* FATA *fidem petimus*.

Huic, homini, partui caeli, petimus fidem in fata; ut ei fata praedicenti fides habeatur.

V. 912. TREPIDAEQUE SUO SUB PECTORE FIBRAE. *Suo* pectore eſſet *volucrum*, at in redditione verſu 914, fibrae pecudum, volucrum vero cantus. Repone,

trepidaeque BOUM *sub pectore fibrae.*

Ovid. Met. xv, 136, de bove victima,

Protinus ereptas viventi pectore fibras
Inſpiciunt; menteſque deum ſcrutantur in illis.

V. 915. ATQUI ADEO FACIEM. Recte libri univerſi ATQUE IDEO. Ordo et ſeries, *Atque* ideo *non invidet faciem*, ut *poſſit bene cognoſci*.

V. 917. SEQUE IPSUM INCULCAT ET OFFERT. Immo *ſeque* IPSE.

V. 918. UT BENE COGNOSCI POSSIT, DOCEATQUE VIDENDO QUALIS EAT. Vetuſti quattuor *videndis*. Unde repono,

PATEATQUE VIDENDUS
Qualis eat. ſic i, 50.

Inque deum deus ipſe tulit, patuitque miniſtris.

Certe *doceat* haud dubie mendoſum eſt; ſi modo ſequente verſu iteratur *doceat*: ſed ibi Voſſianus habet *cogat*.

V. 922. QUIS PUTAT ESSE NEFAS. Immo *Quis* PUTET *eſſe nefas*.

V. 923. NE CONTEMNE TUAS, QUASI PARVO IN CORPORE VIRES: QUO VALET IMMENSUM EST. *Corpus* valet immenſum? immo imbecillum, mortale, nec magni aeſtimandum. Repone,

NEC *contemne tuas quaſi parvo in corpore vires:*
QUOD *valet, immenſum eſt.*

Nec et *quod* Gemblacenſis et Lipſienſis. Ceterum *quo valet* dedit Scaliger; cum vetuſti habeant *quod valet*. *Sic*, inquit, *Plinius*; *Valet aureo nummo.* At Varro de Ling. Lat. iv, ex Scaligeri quoque editione, *Denarii quod* denos *aeris* valebant; *quinarii*, *quod* quinos. Verum hoc loco *quod valet*, caſus eſt nominativi. Id quod valet, animus ſcilicet, immenſum eſt.

V. 924. SIC AURI PONDERA PARVI Immo PARVA.

Sic adamas, punctum lapidis, pretioſior auro eſt.
Parvula ſic totum perviſit pupula caelum.
Quoque vident oculi, minimum eſt, cum maxima cer-
Sic animi ſedes tenui ſub corde locata [nant.
Per totum anguſto regnat de limite corpus.
Materiae ne quaere modum; ſed perſpice vires,
Quas ratio, non pondus habet. ratio omnia vincit.
Ne dubites homini divinos credere viſus:
Iam facit ipſe deos, mittitque ad ſidera numen,
Maius et Auguſto creſcit ſub principe caelum.

M. MANILII

ASTRONOMICÔN

LIBER QUINTUS.

HIC alius finiſſet iter; ſigniſque relatis,
Quîs adverſa meant ſtellarum numina quinque,
Quadriiugis et Phoebus equis, et Delia bigis,
Non ultra ſtruxiſſet opus, caeloque rediret.
Ac per deſcenſum medios decurreret ignes
Saturni, iovis, et martis, soliſque ſub illis:
Poſt venerem et Maia natum, te, luna, vagantem.
Me ſuperare viam mundus iubet omnia circum
Sidera vectatum, et toto decurrere caelo;

Cum

Vulg. v. 1. RELICTIS. 2. LUMINA. 8. PROPERARE——MUNDI LUBET. 9. vectatum toto.

V. 1. SIGNISQUE RELICTIS. Gemblacenſis *relictis*; ceteri omnes RELATIS. Hoc placet. Signis zodiaci *relatis*, et enarratis. Sic i, 602.

Inter ſe adverſi, qui cunctos ante relatos
Seque ſecant.

V. 2. STELLARUM LUMINA QUINQUE. Vetuſti omnes NUMINA. Recte: Saturnus, Iuppiter, Mars, Venus, Mercurius. Melius hic *numina*, cum mox ſol et luna quadrigis et bigis, non ut lumina, ſed ut numina vehantur.

V. 5. AC PER DESCENSUM. Hi tres adulterini ſunt et barbari. Ab eodem tenebrione venerunt, a quo quattuor his ſimillimi, libro i, verſu 803.

V. 8. ME PROPERARE VIAM MUNDI LIBET. *Libet me*, aut barbarum, aut obſoletum. Veteres omnes *mundus libet*: unde recte recentiores *mundus iubet*. *Properare* vero non convenit: cum enim culpet quod *alius iter finiſſet*; ſequitur, ut ipſe *ultra* iret, non ut *propere*. Repono,

Me SUPERARE *viam* MUNDUS IUBET.

Virgilius Georg. iii, 141.

Non ſaltu ſuperare viam *ſit paſſus.*

V. 9. SIDERA VECTATUM TOTO DECURRERE CAELO. Coniunctio deeſt, quae hiantia cola connectat.

Me ſuperare viam mundus iubet, omnia circum
Sidera vectatum; ET *toto decurrere caelo.*

V.

Cum ſemel aethereos iuſſus conſcendere currus
Summum contigerim ſua per faſtigia culmen.
Hinc vocat orion magni pars maxima caeli,
Et ratis heroum quae nunc quoque navigat aſtris,
Fluminaque errantes late ſinuantia flexus,
Et biſerum cetum ſquamis, atque ore tremendo,
Heſperidumque vigil cuſtos et divitis horti,
Et canis in totum portans incendia mundum,
Araque divorum cui votum ſolvit olympus.
Illinc per geminas anguis qui labitur arctos,
Heniochuſque memor currus, plauſtrique bootes,
Atque Ariadneae caeleſtia dona coronae,
Victor et inviſae Perſeus cum falce Meduſae,
Andromedamque negans genitor cum coniuge Cepheus,
Inque alas ſtellatus equus, celerique ſagittae
Delphinus certans, et Iuppiter alite tectus,
Ceteraque in toto paſſim labentia caelo.
Quae mihi per proprias vires ſunt cuncta canenda;

Quid

Vulg. v. 16. AURI. 24. QUAQUE VOLAT.

V. 15 ET BIFERUM CETUM SQUAMIS ATQUE ORE TREMENDO. Verſus barbarus et ſp.rius. *Biſerum cetum. Cetum* pro *cetus. Biſerum* pro *ſemiſerum*; cum cetus quoque non ſit *ſemiſer*. Vide iv, 230.

V. 16. HESPERIDUMQUE VIGIL CUSTOS ET DIVITIS AURI. *Divitis auri*; ut Tibullus i, 10. *nullo te* divitis auri
Pondere. Sed hic repone,
Heſperidumque vigil cuſtos et divitis HORTI.
Seneca Herc. Fur. ii, 238.
Poſt haec adortus nemoris opulenti *domos*
Aurifera vigilis ſpolia ſerpentis tulit.
Sed nota, Noſtrum de auſtrali ſerpente hoc dicere, quod reliqui mythologi de boreali dicunt.

V. 24. QUAQUE VOLAT STELLATUS EQUUS. Quid inter tot nominativos, qui ab uno vocabulo *vocat* verſu 12 reguntur, inſulſe venit *Qua volat*? Quid? quod *ſtellatus*, abſolute poſitum, ignavum eſt epitheton. Repone,
INQUE ALAS *ſtellatus equus.*
ut i, 348, de cygno;
Nunc quoque diductas volitat ſtellatus in alas.

V. 29. ET QUO DE BIS SEX ASTRIS PARS QUEMQUE REDUCAT. Haec corrupta ſunt. Venetus, *Et quota e bis ſex*; Voſſianus, *Et quod adde bis ſex*. Repone,
Et QUOTA *de bis ſex aſtris pars* QUODQUE *reducat.*
Quota pars de xii ſignis zodiaci reducat quodque aſtrum ex illis quae extra zodiacum ſunt.

Hoc

Quid valeant ortu, quid cum merguntur in undas,
Et quota de bis ſex aſtris pars quodque reducat.
Has ſtellis proprias vires et tempora rerum
Conſtituit magni quondam fabricator olympi.
Vir gregis et ponti victor, cui parte relicta
Nomen onuſque dedit, nec pelle immunis ab ipſa;
Colchidos et magicas artes qui viſere Iolcon
Medeae iuſſit, movitque venena per orbem;
Nunc quoque vicinam puppim, ceu naviget, argo
A dextri lateris ducit regione per aſtra.
Sed tum prima ſuos puppis conſurgit in ignes,
Quattuor in partes cum corniger extulit ora:
Illâ quiſquis erit terris oriente creatus,
Rector erit puppis, clavoque immobilis haerens
Mutabit pelago terras, ventiſque ſequetur
Fortunam, totumque volet tranare profundum
Claſſibus, atque alios Minyas, aliumque videre
Phaſin, et in cautes Tiphyn ſuperare trementem.

Tolle

Vulg. v. 29. QUO—QUEMQUE. 34. VERTERE IOLCO. 35. MEDEAM. 38. CUM. 40. ILLO. 44. MENSES.

Hoc agit toto hoc quinto libro. Sic mox quartus gradus arietis reducit navem Argo.

V. 30. HAS STELLIS PROPRIAS VIRES. Verſus ſpurii, qui orationem turbant, et nullum hic locum habent.

V. 34. COLCHIDIS ET MAGICAS ARTES QUI VERTERE IOLCO MEDEAM IUSSIT. *Iolco* a Scaligero eſt: libri omnes inepte *Colchon*. Sed vertere artes *Iolco* quis ferat, aut vel intelligat? Etiam ipſe Scaliger pro ſpuriis hos duos habet. Iuvat Voſſianus, qui pro *vertere* habet *viſere*. Repone,

Colchidos et magicas artes qui VISERE IOLCON
MEDEAE *iuſſit, movitque venena per orbem.*

Qui iuſſit artes magicas Colchidos Medeae viſere Iolcon; atque inde per totum orbem, Corinthum, Athenas, &c. movit venena.

V. 38. SED CUM PRIMA SUOS. Immo TUM. *Tum* conſurgit, *cum* corniger ora extulit.

V. 40. ILLO QUISQUIS ERIT. Immo ILLA. Argo ſcilicet oriente, non ariete.

V. 44. ATQUE ALIOS MENSES, ALIUMQUE VIDERE PHASIN, ET IN CAUTES TIPHYN SUPERARE TREMENTEM. Gemblacenſis mendoſe *triremem*; Venetus *tumentem*; Lipſienſis et Voſſianus *trementem*. Recte. Sed quid illud eſt, *alios menſes videre?* Cur hoc diſſimulant? Tolerabilius eſſet *alios soles*,

alium

Tolle iſtos ortus hominum ſub ſidere tali;
Suſtuleris bellum Troiae, claſſemque ſolutam
Sanguine et appulſam terris: non invehet undis
Perſida, nec pelagus Xerxes facietque tegetque:
Vera Syracuſis Salamis non merget Athenas:
Punica nec toto fluitabunt aequore tranſtra:
Actiacoſve ſinus inter ſuſpenſus utrimque
Orbis, et in ponto caeli fortuna natabit.
His ducibus caeco diſcurrunt aequore claſſes,
Et coit ipſa ſibi tellus, totuſque per uſus
Diverſos

Vulg. v. 46. PARTUS. 49. SIPARA——FERIETQUE. 50. MERGIT. 51. ROSTRA. 52. Actiacoſque. 54. DUCUNTUR IN.

alium annum; ut Valer. Flac. iv, 324, ubi Scytha ſic alloquitur Graecum:

tu qui faciles hominumque putaſti
Has, Argive, domos; alium *miſer aſpicis* annum.

Sed repone,

atque alios MINYAS, *aliumque videre Phaſin.*

Minyas, Μινύας Argonautas dictos, et pueri norunt.

V. 46. TOLLE ISTOS PARTUS. Lege cum Gemdlacenſi ORTUS: ceteri *portus*.

V. 49. NON INVEHET UNDIS SIPARA. Cum libri, quos norat, omnes haberent *ſidera*, felici, ut ait, emendatione Scaliger reponit *Sipara*. Sed ſine exemplo erat, *Sipara* vel *Suppara* velorum pro totis claſſibus poni. Litem ſuſtulit codex Voſſianus, qui hic habet *per ſidera*; unde facili et certa coniectura Voſſius ad Catullum, *non invehet undis* PERSIDA.

Perſida, et compendioſe *Per ſida* apice tantum differunt. Ceterum argute auctor *Perſida invehet*, quaſi totam gentem: ut iv, 662, de Hannibale;

et Libyen *Italas infudit in urbes.*

et Silius iii, 563.

Alpibus impoſuit Libyen, *finemque minatur Imperio.*

Ibidem. NEC PELAGUS XERXES FERIETQUE TEGETQUE. Libri univerſi FACIETque, quod recte ibidem defendit Voſſius. Catullus de coma Berenices;

Cum Medi peperere novum mare; *cumque iuventus*
Per medium claſſi barbara navit Athon.

V. 50. VERA SYRACUSIS SALAMIS NON MERGIT ATHENAS. Pro *mergit* Voſſianus *mergat*; ceteri vetuſti MERGET. Recte; ut *invehet*, *faciet*, *fluitabunt*, &c. Quod autem loco dicto citat ex ſuo codice Voſſius, *certa Syracuſis*, id non ita eſt. Codex enim habet *utra*, mendoſe pro *vera*. Sic Lucanus iii, 183.

Treſque petunt veram *credi* Salamina *carinae*.

Seneca Troad. 844.

Numquid Aiacis Salamina veram.

et Horat. Carm. i, vii, 29.

Ambiguam *tellure nova* Salamina *futuram*.

Haec iam nota ſunt. *Salamis vera* eſt inſula prope Athenas, Aiacis; altera, urbs in Cypro, Teucri. Sententia haec eſt: Gloria et ſuperbia ob Salaminiam de Perſis victoriam, non merget Athenas Syracuſis; dum ultra vires Siciliam aggrediuntur. Silius xiv, 285, de re eadem;

tercentum ante ora triremes
Unum naufragium, merſaſque *impune profundo*
Clade pharetrigeri ſubnixas regis Athenas.

V.

Diversos rerum ventis arcessitur orbis.
Sed decima lateris surgens de parte sinistri
Maximus orion, magnumque amplexus olympum;
(Quo fulgente super terras caelumque trahente,
Ementita diem nigras nox contrahit alas)
Solertes animos, velocia corpora finget,
Atque agilem officio mentem, curasque per omnes
Indelassato properantia corda vigore.
Instar erit populi, totaque habitabit in urbe
Limina pervolitans, unumque per omnia verbum

Mane

Vulg. v. 57. SUMMA. 58. magnum COMPLEXUS.

V. 51. PUNICA NEC TOTO FLUITABUNT AEQUORE ROSTRA. Cladem Poenorum navalem notat. Quomodo ergo *fluitantia rostra*. Certe *rostra*, aerata, aqua graviora, non fluitarent mari, sed siderent. Poteris ex Lucretio, cum naufragium describit, ita reponere;

Punica nec toto fluitabunt aequore aplustra:

sic enim ille ii, 552.

Sed quasi naufragiis multis magnisque coortis,
Disiectare solet magnum mare transtra, guberna,
Antennas, proram, malos, tonsasque natantes,
Per terrarum omnes oras fluitantia aplustra
Ut videantur.

et Cicero in Arateis:

Navibus amissis, fluitantia *quaerere* aplustra.

Sed nota, inter partes navium fluitantes *transtra* poni: et sic Virgilius in Tarchontis nave naufraga, Aen. x, 306

Solvitur atque viros mediis exponit in undis;
Fragmina remorum quos et fluitantia transtra
Impediunt; retrahitque pedes simul unda relabens.

Repone igitur,

Punica nec toto fluitabunt aequore TRANSTRA.

Nam Virgilium passim et fere solum imitari solet Noster. Silius utrumque simul memorat, x, 325.

iamque per undas
Et transtra *et mali laceroque aplustria velo.*
Ac miseri fluitant revomentes aequora nautae.

V. 52. ACTIACOSQUE SINUS INTER SUSPENSUS UTRIMQUE ORBIS. Immo *Actiacos*VE *sinus.*

V. 54. HIS DUCIBUS CAECO DUCUNTUR IN AEQUORE CLASSES. *His ducibus ducuntur?* Hoccine placet? Immo repone,

His ducibus caeco DISCURRUNT *aequore classes.*

Virgilius, Aen. v, 862.

Currit *iter tutum non secius* aequore classis.

V. 57. SED SUMMA LATERIS SURGENS DE PARTE SINISTRI. Pro *summa lateris* in Veneto lacuna est; signum mendi conclamati: in Vossiano *deus mala terris*. Unde repone,

Sed DECIMA *lateris surgens de parte sinistri.*

Sequitur enim post iv partes in versu 39, mox versu 67 pars xv, et versu 102 xx, et versu 118 xxvii, et versu 128 ultima. Atqui *summa* pars id ipsum est quod *ultima*. Firmicus etiam *decima*, notante Scaligero. Inter iv et xv recte venit *decima*.

V. 58. MAXIMUS ORION, MAGNUM COMPLEXUS OLYMPUM. Vetusti quattuor recte,

*Maximus orion, magnum*QUE AMPLEXUS *olympum.*

V.

Mane ſalutandi portans communis amicus.
Sed cum ſe terris aries ter quinque peractis
Partibus extollit, primum iuga tollit ab undis
Heniochus, clivoque rotas convellit ab imo,
Qua gelidus boreas aquilonibus inſtat acutis.
Ille dabit proprium ſtudium, caeloque retentans,
Quas prius in terris agitator amaverat, artes:
Stare levi curru, moderantem quattuor ora
Spumigeris frenata lupis, et flectere equorum
Praevalidas vires, ac torto ſtringere gyro:
Aut, cum laxato fregerunt cardine clauſtra,
Exagitare feros, pronumque anteire volantes,
Vixque rotis levibus ſummum contingere campum,

Vincentem

Vulg. v. 71. RETENTAS. 76. FUGERUNT.

V. 71. CAELOQUE RETENTAS. Vetuſti et alii plerique,

Ille dabit proprium ſtudium, caeloque RETENTANS,
Quas prius in terris agitator amaverat, artes.

Naſo Triſt. v, 2.

At puto ſi demens ſtudium *fatale* retentem.

Mirum mihi eſt, virum magnum *retentas* de ſuo dediſſe; cum in prius editis reperiſſet *retentans. Heniochus et in caelo retentans artes.* ut de Argo, v, 13.

quae nunc quoque navigat aſtris.

V. 76. AUT CUM LAXATO FUGERUNT CARDINE CLAUSTRA. *Fugerunt clauſtra.* Inepte. Repone,

Aut. cum laxato FREGERUNT *cardine clauſtra.*

ut Virgilius Aen. vii, 621.

et cardine *verſo*
Belli ferratos rupit *Saturnia* poſtes.

Lucretius i, 71.

confringere *ut arta*
Naturae primus portarum clauſtra *cupiret.*

V. 81. OBSTANTEMQUE MORA TOTUM PERLUDERE CAMPUM. *Praecludere* libri omnes: quo ſpreto, tantum virum *perludere* ſubſtituiſſe, quis non miretur? Omnia, quae praecedunt, plane poſtulant *praecludere.* Cum auriga *prima agmina teneret*; artis erat, *currus in obliquum agere*, et obſtantem ſequentibus, ita praecludere circum, ut currus vel ſuis velociores praeterire non poſſent. Silius xvi, 406. de auriga loquens;

Donec confiſus primaevae flore iuventae,
Obliquum *Durius converſis pronus habenis*
Oppoſuit currum, *atque everſum propulit axem*
Atlantis ſenio invalidi.

V. 84. SPEMQUE SUB EXTREMO DUBIAM SUSPENDERE CASU. Non ſatis commode *caſu*, cum de *arte* agatur. Repone,

Spemque ſub extremo dubiam ſuſpendere CALCE.

Calx eſt *meta*, finis curriculi. Lucretius vi, 91.

Tu mihi ſupremae praeſcripta ad candida calcis
Currenti ſpatium praemonſtra, callida muſa.

Alii, ut Varro, maſculino genere, *candidum ad calcem.*

V.

Vincentem pedibus ventos: vel prima tenentem
Agmina in obliquum currus agitare malignos,
Obſtantemque mora totum praecludere circum:
Vel medium turbae, nunc dextros ire per orbes
Fidentem campo; nunc meta currere acuta,
Spemque ſub extremo dubiam ſuſpendere calce.
Necnon alterno deſultor ſidere dorſo
Quadrupedum, et ſtabiles poterit defigere plantas;
Perque volabit equos, ludens per terga volantum:
Aut ſolo vectatus equo, nunc arma movebit;
Nunc ciet in longo per curſus praelia circo:
Quicquid de tali ſtudio formatur, habebit.
Hinc mihi Salmoneus (qui caelum imitatus in urbe
Pontibus

Vulg. v. 81. PERLUDERE. 84. CASU. 87. PER QUOS VADIT equos, LUDET. 89. LICET—PRAEMIA. 91. IMITATUR in ORBE.

V. 86. ET STABILES POTERIT DEFIGERE PLANTAS PER QUOS VADIT EQUOS, LUDET PER TERGA VOLANTUM. Haec et corrupta ſunt et prave interpuncta. Vetuſti tres, *Per quos labit equos.* Repone,

et ſtabiles poterit defigere plantas;
PERQUE VOLABIT *equos*, LUDENS *per terga volantum.*

Per quos labit et *perq; volabit*, una tantum litera differunt: Voſſianus vero *Per quo labit*; quod ne una quidem.

V. 88. AUT SOLO VECTATUS EQUO. NUNC ARMA MOVEBIT, NUNC LICET IN LONGO PER CURSUS PRAEMIA CIRCO, QUICQUID DE TALI STUDIO FORMATUR, HABEBIT. Sic evolvunt orationem; *Nunc* (deſultor) *habebit praemia per curſus, licet in longo circo.* Me vero iudice, *nulla praemia habebit*, qui primus tam inſulſam lectionem commentus eſt. Repone,

Aut ſolo vectatus equo, nunc arma movebit;
Nunc CIET *in longo per curſus* PRAELIA *circo:*
Quicquid de tali ſtudio formatur, habebit.

Hoc eſt, *Heniochus* aſtrum ſurgens, *habebit*, dabit, creabit, quicquid ad aurigandi ſtudium pertinet. Illa vero, *Nunc arma movebit, nunc ciet praelia*, de ludis Circenſibus accipe; qualis Troiae ludus, Virgil. Aen. v, 580.

Olli diſcurrere pares, atque agmina terni
Diductis ſolvere choris; rurſuſque vocati
Convertere vias, infeſtaque tela tulere.
Inde alios ineunt curſus alioſque recurſus
Adverſis ſpatiis, alternoſque orbibus orbes
Impediunt, pugnaeque cient ſimulacra ſub armis.

Omnia hic fuſe habes, quae apud Noſtrum breviter.

V. 91. *Hinc mihi Salmoneus, qui caelum imitatur in orbe*
Pontibus impoſitis, miſſiſque per aera quadrigis
Expreſſiſſe ſonum mundi ſibi viſus, et ipſum
Admoviſſe Iovem terris de fulmine fingit,
Senſit et immenſos ignes, ſuper ipſe ſecutus
Morte Iovem didicit, generatus poſſit haberi.

Haec ſimul exſcribenda erant; ut ex ſerie orationis de emendatione iudicetur. Voſſianus verſu primo *imitatus in urbe*: in ceteris ſcripti conſentiunt. Repone,

Hinc

Pontibus impositis, missisque per aera quadrigis
Expressisse sonum mundi sibi visus, et ipsum
Admovisse Iovem terris; male fulmina fingi
Sensit, et immissos ignes super ipse secutus
Morte Iovem didicit) generatus possit haberi.
Hoc genitum credas de sidere Bellerophonten
Imposuisse viam mundo per signa volantem:
Cui caelum campus fuerat; terraeque fretumque
Sub pedibus: non ulla tulit vestigia cursor.
His erit heniochi surgens tibi forma notanda.
Cumque decem partes aries duplicaverit ortu,
Incipient hoedi tremulum producere mentum,
Hirtaque tum demum terris promittere terga,

Qua

Vulg. v. 94. DE FULMINE FINGIT. 95. IMMENSOS. 100. CAMPUS. 101. HAEC ——CAVENDA. 102. ORTUS.

Hinc mihi Salmoneus (qui caelum IMITATATUS IN URBE
Pontibus impositis, missisque per aera quadrigis
Expressisse sonum mundi sibi visus, et ipsum
Admovisse Iovem terris; MALE FULMINA FINGI
Sensit, et IMMISSOS *ignes super ipse secutus,*
Morte Iovem didicit) generatus possit haberi.

Immissos ignes, ut et Gronovius observ. iii. 15; ubi et totam hunc de Salmoneo locum expendit. Sic infra versu 501. de aquila,

Immissosque *refert* ignes, *et fulmina reddit.*

Ovid. Fast. ii, 495.

Hinc tonat: hinc missis *abrumpitur* ignibus *aether.* et iii, 287.
Non alias mihi *cecidere frequentius* ignes.

V. 100. NON ULLA TULIT VESTIGIA CAMPUS. *Campus* male hic repetitur, cum in praecedente versu fuerit. Vossianus *cursus*; ceteri tres *cursu*. Repone,

non ulla tulit vestigia CURSOR.

Cursor nulla vestigia campo sive stadio imprimit. Cicero Tuscul. ii. 22. *In stadio cursores exclamant quam maxime possunt.*

V. 101. HAEC ERIT HENIOCHI SURGENS TIBI FORMA CAVENDA. *His erit* codices vetusti. Pro *cavenda* Gemblacensis *cananda*, Lipsiensis *conanda*, Vossianus *covanda*. Repone,

His *erit Heniochi surgens tibi forma* NOTANDA.

V. 102. CUMQUE DECEM PARTES ARIES DUPLICAVERIT ORTUS. Immo ORTU.

V. 105. NEC CREDE. Vossianus cum recentioribus, NE *crede*; quod melius.

V. 106. STRICTOS NE CREDE CATONES AUT BRUTUM ATQUE PAREM TORQUATUM ET HORATIA FACTA. Haec a libris veteribus nimium quantum abscedunt. Illi sic habent,

signi, strictos in coda Catonis,
Abruptamque patri Torquatum et Horatia facta.

Vossianus tamen. *strictosque in ceda*, et *abruptamque*. Repone,

ne crede severae
Frontis opus signo, STRICTAS IN COLLA SECURES,

ABREPTUMQUE.

Qua dexter boreas ſpirat. ne crede ſeverae
Frontis opus ſigno, ſtrictas in colla ſecures,
Abreptumque patri Torquatum, et Horatia facta.
Maius onus ſigno eſt; hoedis nec tanta petulcis
Conveniunt. levibus gaudent, laſcivaque ſignant
Pectora: et in curſus alacres, agilemque vigorem
Deſudant. vario ducunt in amore iuventam.
In vulnus numquam virtus, ſed ſaepe libido
Impellit; turpiſque emitur vel morte voluptas.
Et minimum cecidiſſe malum eſt, ſed crimine victum.
Necnon et cultus pecorum naſcentibus addunt,
Paſtoremque ſuum generant, cui fiſtula collo
Haereat, et voces alterna per oſcula ducat.

Sed

Vulg. v. 105. NEC. 106. STRICTOS NEC CREDE CATONES. 107. AUT BRUTUM ATQUE PAREM. 110. LUSUS AGILES.

ABREPTUMQUE PATRI *Torquatum et Horatia facta.*

Securis, ſemper libri pro *ſecures*: at non *Catonis* pro *Catones*. *Strictas ſecures* proprie; ut *ſtrictos enſes, gladios, mucrones, cultros*. Noſter infra verſu 626.

Accenſoſque rogos, et tinctas *caede* ſecures.

Claudianus in Prob. et Olyb. Cons. verſu 232.

ſtrictaſque *procul radiare* ſecures.

et in Rufinum i, 249.

iuvenum rorantia colla
Ante patrum vultus ſtricta *cecidere* ſecuri.

Silius ii, 622.

Hic raptam librans dilectae in colla ſecurim
Coniugis.

Abruptum autem pro *abreptum*. Sic iii, 355. libri omnes dederunt, *Menſibus eruptis* pro *ereptis*. *Abreptum patri* ad caedem: ut Terent. And. iv, 47.

Hanc iam oportet in cruciatum *hinc* abripi.

Virgilius Aen. vi, 825.

Quin Decios, Druſoſque procul, ſaevumque ſecuri
Aſpice Torquatum.

Nota hic non *ſeveram frontem*, ſed *ſeverae frontis opus*. *Opus* igitur patris Torquati, filius cervice abciſa; opus Horatii, ſoror pectore perfoſſo. At ſi *Catones* legas, non opus frontis habebis, ſed ipſam tantum frontem. *Horatia facta*; ut Propertius iii, 2, de Ennio,

Et cecinit Curios fratres et Horatia pila.

V. 110. ET IN LUSUS AGILES AGILEMQUE VIGOREM DESUDANT. *Agiles* et mox *agilem* non ſicci ſolum et ieiuni poëtae eſt, ſed inepti et ignavi. Repone,

et in CURSUS ALACRES *agilemque* [*vigorem.*
Deſudant.

Sic infra verſu 442, ſub Delfino,

dabit natura vigorem
Atque alacres curſus, *campoque volantia membra.*

Luſus etiam ſedendo aguntur, nec in eos *deſudare* opus eſt.

V. 114. ET MINIMUM CECIDISSE MALUM, SED CRIMINE VICTUM. Verſus irreptitius et inſulſus. Pro *ſed* vetuſti omnes *quia*.

Sed cum bis denas augebit ſeptima partes
Lanigeri, ſurgent hyades: quo tempore natis
Nulla quies placet; in nullo ſunt otia fructu:
Sed populum turbamque petunt, rerumque tumultus.
Seditio clamorque iuvat; Gracchoſque tenentes
Roſtra volunt, montemque ſacrum, raroſque Quirites:
Pacis bella probant; furtimque alimenta miniſtrant.
Immundoſve greges agitant per ſordida rura:
Et fidum Laërtiadae genuere syboten.
Hos generant hyades mores ſurgentibus aſtris.
Ultima lanigeri cum pars excluditur orbi,
Quae totum oſtendit terris, atque eruit undis;
Olenie ſervans praegreſſos tollitur hoedos,

E

Vulg. v. 119. SURGUNT. 124. CURAEQUE. 125. IMMUNDOSQUE.

V. 119. SURGUNT HYADES. Immo SURGENT legendum eſt cum Gemblacenſi et Lipſienſi.

V. 124. PACIS BELLA PROBANT, CURAEQUE ALIMENTA MINISTRANT. Corrupit ſententiam Scaliger diſtinctione prava, *raros pacis Quirites.* Immo *raros* abſolute; quia in montem ſacrum ex urbe ſeceſſerant. *Pacis bella*, ut i, 883, *Pacis funera*: illic ſeditiones, hic peſtilentia. Sed non placet illud *curae*. Repone,

Pacis bella probant, FURTIMQUE *alimenta miniſtrant.*

Amant ſeditiones, et clam, furtim, eas alunt.

V. 125. IMMUNDOSQUE GREGES. Immo potius IMMUNDOSVE.

V. 126. ET FIDUM LAERTIADAE GENUERE SYBOTEN. Emendatio haec Scaligeri eſt, tam certa, quam facilis: iactantiam ſuam hic ei condonamus. Libri veteres,

Et fidunt nerciadu genuere syboeten.

Voſſianus adhuc deterius, *uernadu.*

V. 131. E GELIDO STELLATA POLO, QUAE DEXTERA PARS EST. Libri *Et gelido*, unde Scaliger *E gelido.* Sed verſus ineptus eſt et irreptitius.

V. 133. ILLA TONANTI FUNDAMENTA DEDIT. Quis hic ferat *fundamenta*, quaſi de arce, non de puero loqueretur. Repone,

illa Tonanti
NUTRIMENTA *dedit.* Sic i, 373.
Nobilis et mundi nutrito *rege capella.*

Unde et *nutrix Iovis* mythologis dicitur. Virgilius Aen. i, 179.

Suſcepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit.

V. 136. SUSPENSA TREPIDIS, LEVIBUSQUE OBNOXIA CAUSIS. *Trepidis* et *levibus* ſecum pugnant. *Trepidae* enim res ſunt *periculoſae.* Horat. Carm. iii, ii, 3.

et Parthos feroces
Vexet eques metuendus haſta;
Vitamque ſub divo et trepidis *agat*
In rebus.

Vetuſti tres, *ſuſpenſas trepidus*; Voſſianus *ſuſpenſas trepitus.* Unde liquido corrigendum,

Suſpenſa IN STREPITUS, *levibuſque obnoxia cauſis.*

Id

E gelido ſtellata polo quae dextera pars eſt,
Officio magni mater Iovis. illa Tonanti
Nutrimenta dedit, pectuſque implevit hiantis
Lacte ſuo, dedit et dignas ad fulmina vires.
Hinc timidae mentes, tremebundaque corda creantur,
Suſpenſa in ſtrepitus, levibuſque obnoxia cauſis.
His tamen ingenita eſt viſendi ignota cupido,
Ut nova per montes quaerunt arbuſta capellae,
Semper et ulterius paſcentes tendere gaudent.
  Taurus, in averſos praeceps cum tollitur artus,
Sexta parte ſui certantes luce ſorores
Pleïadas ducit: quibus aſpirantibus, almam
In lucem eduntur Bacchi Veneriſque ſequaces:

Perque

Vulg. v. 135. FUNDAMENTA. 136. TREPIDIS. 137. ETIAM INGENITUR. 138. monteſQUE RUUNT. 140. UT——ORTUS. 141. LUCIS AD ORAS.

Id timido peculiare eſt, ſtrepitu terreri: unde Virgilius Georg. iii, 79.

Nec vanos horret ſtrepitus.

Claudianus in iv Honorii, verſu 280.

qui talia curat, inanes
Horrebit ſtrepitus, *nulla non anxius hora.*

V. 137. HIS ETIAM INGENITUR. *Ingenitur* a Scaligero eſt, nimis antiquum et caſcum. Gemblacenſis *ingenium*, Lipſienſis *ingeniem*, Voſſianus *ingenies*, Venetus *His tamen ingentem.* Repone,

His TAMEN INGENITA EST *viſendi ignota cupido.*

Recte *tamen*, non *etiam*. *Quamquam* timidi et meticuloſi ſunt, *tamen* (quod mirum) viſere cupiunt regiones ignotas.

V. 138. UT NOVA PER, MONTESQUE, RUUNT ARBUSTA CAPELLAE. Abeat hinc odioſa et abſurda collocatio, quam ſic evolvunt, *Ut capellae ruunt per nova arbuſta monteſque.* Recte coniecerat Scaliger,

Ut nova per montes QUAERUNT *arbuſta capellae.*

Sed nihil, inquit, *mutandum*. Quae haec inconſtantia? Quam timidus hic et ſuperſtitioſus, qui alias quid inauſum relinquit?

V. 140. TAURUS IN AVERSOS PRAECEPS UT TOLLITUR ORTUS. Libri ceteri, *praecepſque attollitur*, Voſſianus *praeceps compellitur*. Quid vero eſt *averſos ortus?* Repone,

Taurus in averſos praeceps CUM *tollitur* ARTUS.

Averſos artus, clunes ſcilicet; ut ii, 199.

aſpice taurum
Clunibus, *et geminos pedibus, teſtudine cancrum*
Surgere. Vide ad ii, 153.

V. 141. SEXTA PARTE SUI CERTANTES LUCIS AD ORAS PLEIADES DUCIT. Quid eſt *certantes ad oras lucis?* Venetus *lucis odoras*, Gemblacenſis et Lipſienſis *lucis odores*. Repone cum Voſſiano,

Sexta parte ſui certantes LUCE SORORES
Pleiadas ducit.

Pleïadas ſorores, certantes luce et forma. Sic i, 304.

Septem illam ſtellae certantes lumine *ſignant.*

Perque dapes, menſamque ſuper petulantia corda;
Et ſale mordaci dulces quaerentia riſus.
Illis cura ſui cultus, frontiſque decorae
Semper erit: tortos in fluctum ponere crines,
Aut vinclis revocare comas, et vertice denſo
Fingere, et appoſitis caput emutare capillis,
Pumicibuſque cavis horrentia membra polire,
Atque odiſſe virum, ſterileſque optare lacertos.
Femineae veſtes; nec in uſum tegmina plantis,
Sed ſpeciem; fractique placent ad mollia greſſus.
Naturae pudet, atque habitat ſub pectore caeca
Ambitio, et morbum virtutis nomine iactant.
Semper amare parum eſt: cupient et amare videri.
  Iam vero geminis fraterna ferentibus aſtra
In caelum, ſummoque natantibus aequore ponti,

Septima

Vulg. v. 144. MENSAQUE. 152. INSUNT. 153. SPECIES FICTIQUE. 154. CAECO.

V. 144. MENSAQUE SUPER. Libri omnes *menſaſque ſuper:* ſi ſingularis numerus placeat MENSAM repone, non *menſa*.

V. 152. FEMINEAE VESTES: NEC INSUNT TEGMINA PLANTIS, SED SPECIES; FICTIQUE PLACENT AD MOLLIA GRESSUS. Locus mendoſus. Scaliger coniiciebat, *necnon ſunt*; Huetius *nec deſunt*. Utraque coniectura eodem recidit; utraque a ſententia aberrat. Quid enim? an vitio vertendum, *tegmina plantis eſſe?* an tum nudis pedibus erant viri; ſoli cinaedi calceis utebantur? Repone, et diſtingue,

Femineae veſtes; nec IN USUM *tegmina plantis,*
Sed SPECIEM; FRACTIQUE *placent in mollia greſſus.*

Pro *ſpecies*, vetuſti quattuor *ſpecie*. *Tegmina ſunt plantis non in uſum, ſed ſpeciem.* Ita ii, 822.

Effectu minor in ſpeciem, *ſed maior* in uſum.

Porro *fracti* lege, non *ficti*. Petronius:

Scorta placent, fractique *enervi corpore* greſſus.

D. Hieronymus: *Qui* gradum *mollius incedendo* frangunt. Vide Heinſium ad Claud. in Eutrop. i, 262; et nos ad Horat. Carm. iii, vi, 22.

V. 154. HABITAT SUB PECTORE CAECO AMBITIO. Immo CAECA.

V. 160. VIX ALAS NATURA NEGAT VOLUCRESQUE MEATUS. Libri omnes *volucriſque*. Repone,

Vix alas natura negat VOLUCRUMQUE *meatus.*

Meatus proprie ſunt ſiderum, piſcium, avium. Plin. Hiſt. xi, 140. *Piſcium* meatus *gubernaculi modo regunt caudae*. Idem, x, 54. *Aves ſolae vario* meatu *feruntur*.

V. 163. ILLE CITO MONITU RIGIDOS. Vetuſti tres *cito moritur*, Voſſianus *cito motu*: ut et Scaliger coniecerat. Recte. Virgilius de Darete et Entello, Aen. v, 430.

Ille

Septima pars leporem tollit: quo ſidere natis
Vix alas natura negat volucrumque meatus;
Tantus erit per membra vigor referentia ventos.
Ille prius victor ſtadio, quam miſſus, abibit:
Ille cito motu rigidos eludere caeſtus;
Nunc exire levis miſſas, nunc mittere palmas:
Ille pilam celeri fugientem reddere planta,
Et pedibus penſare manus, et ludere folle,
Mobilibuſque citos ictus glomerare lacertis:
Ille potens turba perfundere membra pilarum,
Per totumque vagas corpus diſponere palmas,
Ut teneat tantos orbes, ſibique ipſe reludat,
Et velut edoctos iubeat volitare per ipſum.
Invigilant curis: ſomnos induſtria vincit:
Otia per varios exercent dulcia luſus.

Nunc

Vulg. v. 160. VOLUCRESQUE. 163. MONITU. 166. SALTU. 168. TURBAM. 172. INVIGILAT SOMNIS CURAS. 173. EXERCET.

Ille pedum melior motu, *fretuſque iuventa;*
Hic membris et mole valens.

Statius Theb. vi, 791. in re ſimili;

motu *Spartanus acuto*
Mille cavet lapſas circum cava tempora mortes.

V. 166. ET LUDERE SALTU, MOBILIBUSQUE CITOS ICTUS GLOMERARE LACERTIS. In priore editione Scaliger verſum 167 ſubiunxerat verſui 164: idem poſtea praecepit Huetius. In ſecunda Scaliger tacuit. Recte. *Cito* enim *motu*, et uno tantum verſu interveniente *citos ictus*, non ſatis venuſte. Moverat viros egregios illud *ſaltu*; quod ad alium prorſus luſum pertinet. Sed veteres libri *ludere ſulto*, non *ſaltu*: Voſſianus vero *ſulco*. Repone,

et ludere FOLLE,
Mobilibuſque citos ictus glomerare lacertis.

Follis ſaepe Martiali memoratus, ut xiv, 45.

Ite procul, iuvenes, mitis mihi convenit aetas:
Folle *decet pueros* ludere, *folle ſenes.*

V. 168. ILLE POTENS TURBAM PERFUNDERE MEMBRA PILARUM. Quid eſt *turbam perfundere membra?* Sic ſcilicet reſolvunt, *Fundere turbam per membra.* Puderet auctorem talis auxilii. Repone ex vetuſtis omnibus,

Ille potens TURBA *perfundere membra pilarum.*
Perfundere membra turba pilarum.

V. 172. INVIGILAT SOMNIS: CURAS INDUSTRIA VINCIT. *Invigilat ſomnis*, inquit Huetius, *quia lepores apertis oculis dormire ſolent.* Ergone *invigilat ſomnis* idem erit quod *vigilat in ſomnis?* Quis hoc ferat? Quid porro eſt *induſtria vincit curas?* Auget certe, non vincit. Repone, mutato verborum ordine;

INVIGILANT CURIS: SOMNOS *induſtria vincit:*
Otia per varios EXERCENT *dulcia luſus.*

Invigilant, exercent, nati ſcilicet hoc ſidere, verſu 159. *Invigilant curis*, ut Silius x, 330.

Sed

Nunc cancro vicina canam, cui parte ſiniſtra
Conſurgunt iugulae: quibus aſpirantibus orti
Te, Meleagre, colunt flammis abſentibus uſtum,
Reddentemque tuae poſt mortem mutua matri;
Cuius et ante necem paulatim vita ſepulta eſt:
Atque Atlanteos conatum ferre labores:

.Et

Vulg. v. 176. HABITANTIBUS. 177. PER——MUNERA. 179. ATALANTEOS.

Sed mens invigilat curis, *noctiſque quietem*
Ferre nequit. Stimulat dona inter tanta deorum.
* *Hortatur nondum portas intraſſe Quirini.*
ubi obiter in doctiſſimi Drakenborchii gratiam locum conclamatum ſic emendo,
ſtimulat dona inter tanta deorum
Corda pudor, *nondum portas intraſſe Quirini.*
Vincit autem *ſomnos*, hoc eſt, pellit; ut Ovid. Metam. i, 685.
Ille tamen pugnat molles evincere ſomnos.
Et ea ratio eſt, cur otia ſua non ſomno et ignavia tranſigunt, ſed per dulces luſus exercent. Quia lepus patentibus oculis dormire creditur, ideo vigilantes, induſtrios, et in otio etiam exercitos creat.

V. 176. TE, MELEAGRE, COLUNT FLAMMIS HABITANTIBUS USTUM. Quomodo *habitantibus flammis?* an ut i, 132.
flammaeque *micantes*
Quae mundi fecere oculos, habitantque *per omne*
Corpus, et in caelo vibrantia fulmina fingunt.
hoc ſenſu Meleager flammas ſibi ingenitas, inſtar Caci, haberet: nec ab iis *uſtus*, ſed tutus eſſet? Probat tamen Huetius *habitantibus*, Reineſius ſubſtituit *latitantibus*. Uterque fruſtra. Codex Voſſianus, *flammis habentibus*. Unde certa fit Gronovii coniectura Obſerv. ii, 11.
Te, Meleagre, colunt flammis ABSENTIBUS *uſtum.*
quam ille ex Ovidii Metam. viii, 515, deducit,
Inſcius atque abſens *flamma Meleagros in illa*
Uritur.
Clarius petiiſſe potuit ex eiuſdem Ibide, verſu 603.
Natus ut Althaeae flammis abſentibus *arſit.*
aut Faſt. v, 305.
Reſpice Theſtiaden: flammis abſentibus *arſit.* Remed. verſu 721.
Theſtias abſentem *ſuccendit ſtipite natum.*
vel ex Propertii iii, xxi, 31.
Nec cuiquam abſentes *arſerunt in caput* ignes,
Exitium nato matre movente ſuo.

V. 177. REDDENTEMQUE TUAE PER MORTEM MUNERA MATRI. *Reddentem munera*, hoc eſt, aiunt, *vitam, animam:* ſcilicet ex illis Ovidii Met. viii, 502, ubi mater deliberans ſic ſecum loquitur,
vixiſti munere *noſtro*
Nunc merito moriere tuo: cape praemia facti:
Biſque datam, primum partu, mox ſtipite rapto,
Redde animam.
Quaeramus aliud melius. Ingenioſe Reineſius *mutua* pro *munera:* tu adde *poſt* pro *per*, et repone,
Reddentemque tuae POST *mortem* MUTUA *matri.*
Reddentem mutua, reddentem vices, tuae matri poſt tuam mortem. Quippe illa, fera poenitentia, vel ut quidam narrant, maerore contabuit, vel ut alii et Naſo ibidem, gladio ſe tranſegit; Met. viii, 530.
Nam de matre manus, diri ſibi conſcia facti,
Exegit poenas, acto per viſcera ferro.

V. 178. CUIUS ET ANTE NECEM PAULATIM VITA SEPULTA EST. Etiam hunc verſum miris modis ſollicitant. Gronovius de matre accipit, et ſic interpolat,

Cuius

Et Calydonea bellantem rupe puellam,
Vincentemque viros; et, quam potuiſſe videre
Virgine maius erat, ſtringentem vulnere primo:
Quaque erat Actaeon ſilvis imitandus, et ante
Quam canibus nova praeda fuit. ducuntur et ipſi
Retibus, et claudunt vaſtos formidine montes,
Mendaceſque

Vulg. v. 181. VIDERI. 182. STERNENTEM. 183. QUAMQUE. 185. CAMPOS——MORTIS.

Cuius et ante necem cum gnato *vita ſepulta eſt.*

Reineſius itidem de matre, et ſubſtituit,

Illius *ante necem paulatim vita* ſecuta *eſt.*

Nos de Meleagro ipſo interpretamur; nec ex verbis quicquam movemus. Vita paulatim extincta eſt, etiam ante mortem: cum ceteri heroes ſemel ſimulque morerentur. Ovidius ibidem de fatali torre, et Meleagro, Met. viii, 524.

ſimul eſt extinctus uterque,
Inque leves abiit paulatim *ſpiritus auras.*

Vita ſepulta eſt, ut Lucretius iii, 1060.

Tu vero dubitabis et indignabere obire,
Mortua cui vita eſt *prope iam vivo atque denti.*

V. 179. ATQUE ATALANTEOS CONATUM FERRE LABORES. Verſiculum hunc, qui in omnibus membranis hunc locum ſortitus eſt, removit Scaliger ſupra verſum 177: idque iure, ſi *Atalanteos* hic admittatur: nuſquam enim alias collocari poteſt. Sed videamus, quo tibicine ſulciatur ea lectio. Quinam, quaeſo, ſunt iſti *Atalantei labores?* Venatus, et nihil aliud. Anne hi tanti ſunt, ut eos *conatus ferre* dicatur heroum poſt Herculem princeps? Gemblacenſis *Athlanteos*, Lipſienſis *Adlanteos*. Repone,

Atque ATLANTEOS *conatum ferre labores.*

De Hercule accipe, qui Atlante feſſo caelum humeris ſuſtinuit, dum ille paulum reſpiraret. Nam et Hercules venator; nec monſtra ſolum, ſed feras in menſam domuit. Claudianus iv Honorii, verſu 530.

Scis quo more Cydon, qua dirigat arte ſagittas
Armenius, refugo quae ſit fiducia Partho.
Sic Amphioniae pulcher ſudore paleſtrae
Alcides pharetras Dircaeaque tela ſolebat
Praetentare feris; *olim domitura gigantas,*
Et pacem latura polo: ſemperque cruentus
Ibat, et Alcmenae praedam referebat *ovanti.*

V. 181. ET QUAM POTUISSE VIDERI VIRGINE MAIUS ERAT, STERNENTEM VULNERE PRIMO. Haec mendoſa ſunt, in quibus haeſit aqua viro magno. Voſſianus *videre*; quod et vidit Gronovii perſpicacia. Repone,

et, quam potuiſſe VIDERE
Virgine maius erat, STRINGENTEM *vulnere primo.*

Quam feram, belluam (vel ſi mavis *quem* aprum, vel *quod* monſtrum) etiam videre et contueri, ſupra virginis animos erat. Sic infra, verſu 611, de ceto bellua;

Tunc quoque terribilis, nec virginis ore videnda.

Ceterum ex hiſtoria *ſtringentem* lege non *ſternentem.* Ovidius Met. viii, 380.

celerem Tegeaea ſagittam
Impoſuit nervo, ſinuatoque expulit arcu.
Fixa ſub aure feri ſummum deſtringit *arundo*
Corpus, et exiguo rubefecit ſanguine ſetas.

V. 183. QUAMQUE ERAT ACTAEON. Gronovius *Quaque erit*; et diſtinctiones mutat. Repone,

QUAQUE *erat Actaeon ſilvis imitandus.*

Sententia totius loci eſt, Colunt Meleagrum, Herculem, Atalantam; quin et Actaeonem, quatenus erat imitandus; antequam ſcilicet in cervum transformatus ſuis ipſe canibus praeda fuit.

V. 185. ET CLAUDUNT CAMPOS FORMIDINE MORTIS. Merito illud *mortis* diſplicuit

Mendacesque parant foveas, laqueosque tenaces,
Currentesque feras pedicarum compede nectunt,
Aut canibus ferrove necant, praedasque reportant.
Sunt quibus in pontum studium est, cepisse natantum
Diversas facies, et caeco mersa profundo
Sternere littoreis monstrorum corpora arenis,
Horrendasque fretis in bella lacessere phocas,
Et colare vagos inductis retibus amnes,
Ac per nulla sequi dubias vestigia praedas.
Luxuriae quia terra parum, fastidiet orbem
Venter, et ipse gulam Nereus ex aequore pascet.
At Procyon oriens, cum iam vicesima cancri
Septimaque ex undis pars sese èmergit in astra,
Venatus non ille quidem, verum arma creatis
Venandi tribuit: catulos nutrire sagaces,
Et genus a proavis, mores numerare per urbes;

Retiaque,

Vulg. v. 189 PONTO——FERARUM. 192. HORRENDUM——PONTUM. 194. DUBITANT. 201. ARTES.

plicuit Huetio; qui *pennae* vel simile quid malebat. Sed Venetus habet *mentes*, Lipsiensis et Vossianus *montes*. Repone,

et claudunt vastos *formidine* MONTES.

Formidine, metu, terrore absolute pro linea et rubra penna.

V. 189. SUNT QUIBUS IN PONTO STUDIUM EST. Immo repone,

Sunt quibus in PONTUM *studium est.*

ut iv, 252.

Addis et in vestes studium *mercemque fugacem.*

et iv, 274.

His erit in pontum studium.

Ibidem. CEPISSE FERARUM DIVERSAS FACIES. Quis eredat, aut saltem quis ferat, *ferarum* de piscibus dici? Repone,

cepisse NATANTUM
Diversas facies.

Virgilius Georg. iii, 541.

Iam maris immensi prolem et genus omne natantum
Litore in extremo, ceu naufraga corpora, pontus
Proluit.

V. 192. HORRENDUMQUE FRETIS IN BELLA LACESSERE PONTUM. *Pontum*, mundum, caelum, sidera ubique ingerunt hi librarii. Quid vero est *pontum horrendum fretis?* Quale illud, *studium est in pontum, lacessere pontum?* Mirificae elegantiae. Repono,

HORRENDASQUE *fretis in bella lacessere* PHOCAS.

Phocas ipsis fretis horrendas. Virgilius de Proteo, Georg. iv, 394.

Quippe ita Neptuno visum est, immania cuius
Armenta et turpes pascit sub gurgite phocas.

Noster infra, versu 661.

Et

Retiaque, et valida venabula cuſpide fixa,
Lentaque contextis formare haſtilia nodis;
Et quodcumque ſolet venandi poſcere cura
In proprios fabricare dabit venalia quaeſtus.
  Cum vero in vaſtos ſurget Nemeaeus hiatus;
Exoriturque canis, latratque canicula flammas,
Et rabit igne ſuo, geminatque incendia solis:
Qua ſubdente facem terris, radioſque movente,
Dimicat in cineres orbis, fatumque ſupremum
Sortitur, languetque ſuis Neptunus in undis,
Et viridis nemori ſanguis decedit, et herbis.
Cuncta peregrinos orbes animalia quaerunt:
Atque eget alterius mundus. natura ſuiſmet
Aegrotat morbis, nimios obſeſſa per aeſtus,
Inque rogo vivit. tantus per ſidera fervor
Funditur, aque uno ſe accendunt lumine cuncta.

Haec

Vulg. v. 206. SURGIT. 207. FLAMMANS. 217. ATQUE uno CEU SINT IN.

Et velut in laxo ſecuras aequore phocas
Carceribus claudunt raris.

V. 194. AC PER NULLA SEQUI DUBITANT VESTIGIA PRAEDAS. *Ac dubitant ſequi?* Ergo non ſequuntur, quod falſum. Acute igitur Gronovius, *nec dubitant.* Sed aliter ipſe auctor. Repone,

Ac per nulla ſequi DUBIAS *veſtigia praedas.*

Dubia praeda, cui opponitur *certa, facilis, parata*, &c. Moſchus Idyll. v, 10.

κ᾽ ἰχθῦς ἁ πλάνος ἄγρα.

V. 201. MORES NUMERARE PER ARTES. *Artes* et *mores* idem ſignificant. Vetuſti quattuor,

Et genus a proavis, mores numerare per URBES.

Quod recte aſſerit atque explicat Gronovius Obſerv. ii, 11: *Per urbes*, per patrias; ſitne Lacon, Moloſſus, Umber, &c.

V. 203. LENTAQUE CONTEXTIS FORMARE HASTILIA NODIS. Pro *contextis*, quod libri omnes habent, Huetius *confectis*: Ianus quoque Ulitius ad Gratium vel *confectis* vel *correctis*. Silius xiv, 320.

Trabs ſabre teres atque eraſis *undique* nodis,
Navali ſimilis malo.

V. 206. CUM VERO IN VASTOS SURGIT NEMEAEUS HIATUS. Immo SURGET, ut vetuſti omnes

V. 207. EXORITURQUE CANIS LATRATQUE CANICULA FLAMMANS. Lege FLAMMAS. Illud *que canis* etiam mendoſe fertur. Solam hic caniculam memorat, ut patet ex verſu 218.

Haec ubi ſe ponto. Sic i, 405.
Subſequitur rapido contenta canicula curſu.

Canis et *canicula* idem ſunt.

V. 217. TANTUS PER SIDERA FERVOR FUNDITUR, ATQUE UNO CEU SINT IN

LUMINE

Haec ubi ſe ponto per pronas extulit oras,
Naſcentem ſi quem pelagi perſtrinxerit unda,
Effrenos animos, violentaque pectora finget,
Irarumque dabit fluctus, odiumque, metumque
Totius vulgi. praecurrunt verba loquentes:
Ante os eſt animus: nec magnis concita cauſis
Corda micant, et lingua rabit, latratque loquendo:
Morſibus et crebris dentes in voce relinquit.
Ardeſcit vino vitium, vireſque miniſtrat
Bacchus, et in flammam ſaevas exſuſcitat iras.
Nec ſilvas rupeſve timent, ungueſve leonis,
Aut ſpumantis apri dentes, aut cornua tauri:
Effunduntque ſuas conceſſo in robore flammas.

Nec

Vulg. v. 220. FINGIT. 222. LOQUENTIS. 226. VITIO. 227. FLAMMA. 228. rupeſQUE TIMET VASTOSQUE LEONES. 229. ATQUE ARMA FERARUM. 230. EFFUNDITQUE.

LUMINE CUNCTA. *Atque ceu ſint* inepte et putide. Libri veteres,

atque uno ceu ſunt in flumine cuncta.

Repono,

AQUE *uno* SE ACCENDUNT *lumine cuncta.*

Omnia ſidera ab unius caniculae aeſtu accenduntur. Ennius,

Quaſi lumen de ſuo lumine accendat *facit.*

V. 219. NASCENTEM SI QUEM PELAGI PERSTRINXERIT UNDA. Gemblacenſis *reſtinxerit*, ceteri *reſtrinxerit*. Voſſianus pro *ſi quem*, habet *quam nec*. An legendum,

Toſta ſiti, quam nec *pelagi* reſtinxerit *unda.*

Ovid. Faſt. iv, 940.

Eſt canis (Icarium dicunt) quo ſidere moto
Toſta ſitit *tellus, praecipiturque ſeges.*

Tibullus i, iv, 36.

Et canis arenti torreat *arva* ſiti.

V. 220. VIOLENTAQUE PECTORA FINGIT. Gemblacenſis FINGET, ut mox *dabit.*

V. 222. PRAECURRUNT VERBA: LOQUENTIS ANTE OS EST ANIMUS. Lege et diſtingue,

praecurrunt verba LOQUENTES:
Ante os eſt animus.

Loquentes (caſu recto) praecurrunt verba, et animus eſt ante os. Adeo properant, ut articulate diſtincteque loqui nequeant.

V. 226. ARDESCIT VITIO VITIUM. Immo *ardeſcit* VINO *vitium:* quod ſequentia oſtendunt, *vireſque miniſtrat Bacchus.* Ovid. Heroid. xvi, 229.

Saepe mero *volui flammam compeſcere: at illa*
Crevit: et ebrietas ignis in igne fuit.

et Metam. xii, 220.

Nam tibi, saevorum saeviſſime centaurorum,
Euryte, quam vino *pectus, tam virgine viſa*
Ardet; *et ebrietas geminata libidine regnat.*

Contra, Horatius Carm. iii, xxi, 11.

Narratur et priſci Catonis,
Saepe mero incaluiſſe virtus.

V. 227. ET IN FLAMMA SAEVAS EXSUSCITAT IRAS. Lege cum Voſſiano, *in* FLAMMAM. Sic Virgilius, *ſuſcitat in arma, in praelia.*

V. 228. NEC SILVAS RUPESQUE TIMET VASTOSQUE LEONES. Libri omnes *timent*; ſub canicula nati ſcilicet. Alioqui erit,

Nec tales mirere artes ſub ſidere tali:
Cernis, ut ipſum etiam ſidus venetur in aſtris?
Praegreſſum quaerit leporem comprendere curſu.
Ultima pars magni cum tollitur orbe leonis,
Crater auratis ſurgit caelatus ab aſtris.
Inde trahit quicumque genus moreſque, ſequetur
Irriguos rivis campos, amneſque, lacuſque:
Et te, Bacche, tuas nubentem iunget ad ulmos,
Diſponetve iugis, imitatus fronde choreas;
Robore vel proprio fidentem in brachia ducet,
Teque tibi credet: Semeleve a matre reſectum
Adiunget palis, ſegetemque interſeret uvis:
Quaeque alia innumeri cultus eſt forma per orbem,

Pro

Vulg. v. 237. RURIS. 239. DISPONETQUE——IMITATAS. 241. SEMPER QUIN. 242. CALAMIS.

erit, *Bacchus non timet*. Lege igitur,
*Nec ſilvas rupeſ*VE TIMENT.

Ibidem. VASTOSQUE LEONES AUT SPUMANTIS APRI DENTES ATQUE ARMA FERARUM. Poſt leones et apri dentes, quam putidum eſt addere, *arma ferarum*. Non leo et aper *ferae* ſunt? Non dentes ſunt *arma?* Si auctori magis quam librariis faves, crede illum ſic dediſſe;

Nec ſilvas rupeſve timent, UNGUESVE LEONIS, [TAURI.
Aut ſpumantis apri dentes, AUT CORNUA

Non magis haec a literarum ductibus abſcedunt, quam infinita hic alia.

V. 230. EFFUNDITQUE. Etiam hic vetuſti omnes EFFUNDUNTQUE, ut ſupra *timent*. Et Voſſianus *conceſſo in corpore*.

V. 233. PRAEGRESSUM. Poſt hunc fortaſſe inſerendus eſt, qui libro primo verſu 442, alienum locum occuparat, [nenti.

Intentans morſum ſimilis iam iamque te-

Sic enim Avienus ex Arato de lepore;

Urgetur curſu rutili canis: ille per aethram
Effugit inſtantem: premit autem Sirius ore.

V. 237. IRRIGUOS RURIS CAMPOS. Immo,

Irriguos RIVIS *campos, amneſque, lacuſque.*

Horatius Carm. i, vii, 13.

Tiburni lucus, et uda
Mobilibus pomaria rivis.

V. 239. DISPONETQUE IUGIS IMITATAS FRONDE CHOREAS. Gemblacenſis et Voſſianus *imitatus*; hic etiam *diſponetve*. Repone,

*Diſponet*VE *iugis*, IMITATUS *fronde choreas.*

Diſponet Bacchum, vitem, iugis; non diſponet choreas.

V. 241. TEQUE TIBI CREDET SEMPER QUIN MATRE RESECTUM. Pro *quin* libri omnes *qui*. Illud vero *ſemper* putide et ignave, quin et falſo dicitur. Repono,

Teque tibi credet: SEMELEVE A *matre reſectum* *Adiunget* PALIS.

Reſectum a matre Semele, ut olim e Semeles utero. Ovid. Metam. iii, 310.

Imperfectus adhuc infans genetricis ab alvo
Eripitur. *Palis*, ut Tibullus i, viii, 33.
Hic docuit teneram palis adiungere *vitem.*

V.

Pro regione colet. nec parce vina recepta
Hauriet e cratere, et fructibus ipse fruetur,
Gaudebitque mero, mergetque in pocula mentem.
Nec solum terrae spem credet in annua vota:
Annonae quoque vectigal, mercesque sequetur,
Praecipue quas humor alit; nec deserit unda.
Tales effinget crater humoris amator.
Iam subit Erigone: quae cum tibi quinque feretur
Partibus ereptis ponto, tollentur ab undis
Clara Ariadneae quondam monumenta coronae,
Et molles tribuent artes. hinc dona puellae

Namque

Vulg. v. 245. EMISCENS. 251. TER.

V. 245. NEC PARCE VINA RECEPTA HAURIET EMISCENS. Libri omnes mendose, *Hauriet e miseris.* Unde olim Turnebus coniectavit, *Hauriet e mystris.* Quippe μύστρον, Latinis inauditum, Graecis est cochleare. Ergo cochlearibus bibebant vinum? indigna tanto viro sententia. Qua repudiata, Scaliger suam protulit, *Hauriet emiscens.* Sed neque usquam lectum est *emiscere*; neque *emiscet* vinum, qui *mero gaudet*, hoc est, non mixto. Repono,

nec parce vina recepta
Hauriet E CRATERE, *et fructibus ipse fruetur.*

Ex *cratere* dederunt *miseris*, et primo *misere*, librarii omnium ignarissimi. Sic versu 235 pro *crater auratis* dederant *ceteraque auratis*; et versu 250, pro *crater humoris*, *craterum mortis* vel *moris*. Recte vero *Hauriet e cratere*, cum sub cratere natus sit. Ex crateribus vinum bibebant. Virgilius passim: Aen. iii, 525.

Tum pater Anchises magnum cratera *corona*
Induit, implevitque mero.

et Aen. ix, 165.

Indulgent vino, et vertunt crateras *ahenos.*

Ovid Met. viii, 679.

Interea quoties haustum cratera *repleri*
Sponte suâ, per seque vident succrescere vina.

Nec te moveant *crátere* cum ictu in prima syllaba; sic enim et Virgilius, Aen. v, 536.

Cratera impressum signis.

V. 251. QUAE CUM TER QUINQUE FERETUR PARTIBUS. Quomodo hic *ter quinque*, cum mox versu 270 *decimam* partem signet, et semper recto partium ordine procedat? Repone,

quae cum TIBI *quinque feretur.*

Firmicus viii, 11. hic *quintam* partem agnoscit, ut illic *decimam*. Sensit hoc et Scaliger; qui coniiciebat, *quae quando quinque*: satis invenuste ob literam *q* toties verba inchoantem.

V. 258. ET TYRIAS IMITATA PAPAVERA LUCES. *Tyrias luces* ineptum et κακόζηλον. Repone,

et TYRIOS *imitata papavera* FUCOS.

Sic passim poëtae: sed alias saepe librarii dederunt *succos*, hic *luces*. Ovid. Metam. vi, 222.

Tyrioque *rubentia* fuco
Terga premunt.

Claud. in Rufin. i, 208.

rapiunt Tyrios *ibi vellera* fucos;

ubi vide accuratissimum Nic. Heinsium. Iterum Met. ix, 340.

Tyrios imitata colores.
In spem baccarum florebat aquatica lotos.

V.

Namque nitent; illinc oriens est ipsa puella.
Ille colet nitidis gemmantem floribus hortum,
Pallentes violas, et purpureos hyacinthos,
Liliaque, et Tyrios imitata papavera fucos,
Vernantisque rosae rubicundo sanguine florem.
Caeruleumque oleis. viridemve in palmite collem
Conferet, et veris depinget prata figuris:
Aut varios nectet flores, fertisque locabit;
Effingetque suum sidus: quin mutua pressos
Incoquet, eque Arabum silvis miscebit odores;
Et Medos unguenta dabit referentia flatus,

Ut

Vulg. v. 258. TYRIAS——LUCES. 260. Caeruleum FOLIIS VIRIDI QUIN GRAMINE. 263. SIMILES IN. 264. ATQUE——MULCEBIT. 265. MEDICOS.

V. 260. CAERULEUM FOLIIS VIRIDI QUIN GRAMINE COLLEM CONSERET. *Quin* a Scaligero est, vetusti omnes *viridemve in gramine:* Vossianus etiam *Caeruleumque foliis.* Repone,

*Caeruleum*QUE OLEIS VIRIDEMVE IN PALMITE *collem*
Conferet.

Ut vitis viridis, ita olea caerulea et glauca. Ovidius Art. Am. ii, 518.

Caerula *quot baccas Pallados arbor habet.*

Lucret. v, 1371.

Prata, lacus, rivos, segetes vinetaque *laeta*
Collibus et campis ut haberent: atque olearum
Caerula *distinguens inter plaga currere posset*
Per tumulos et convalles camposque profusa.

Palmite collem, ut Statius Silv. iv, ii, 36.

sic vitifero sub palmite *nudos*
Umbravit colles *et sobria rura Lyaeus.*

V. 263 EFFINGETQUE SUUM SIMILES: IN MUTUA PRESSOS INCOQUET. Variant hic codices vetusti. Gemblacensis ut editum. Venetus et Lipsiensis,

Effingetque suos similesque in mutua pressos.

Vossianus,

Effingetque suum sidus similesque in mutua pressos.

Unde certa nascitur emendatio. Repono enim,

Aut varios nectet flores, sertisque locabit,
Effingetque suum SIDUS: QUIN *mutua pressos Incoquet.*

Effinget ex floribus coronam, sub quo sidere natus est: erit Σἰεφανοπλόκος. Apparet, *sidus* in *similes* mutatum esse; et in Vossiano utramque lectionem retentam. *Quin mutua pressos,* flores scilicet. *Mutua* autem pro *mutuo,* ut Virgilius Aen. ix, 124

cunctatur et amnis Rauca *sonans;*

hoc est, rauce: et vetus proverbium *mutua muli.* Ceterum, si magnorum virorum erratis indulgebis, vide Gronovium Observ. i, 11. et Salmasium Epist. cxi.

V. 264. ATQUE ARABUM SILVIS MULCEBIT ODORES. Reinesius sic refingit,

EQUE *Arabum silvis* MISCEBIT *odores.*

Seneca Herc. Fur. 910.

Arabesque odoris quicquid arboribus legunt.

V. 265. ET MEDICOS UNGUENTA DABIT REFERENTIA FLATUS. Quinam sunt illi *medici flatus?* In materia medica sunt omne genus odorum: ergo nulli certi flatus dici possunt medici. Quod si ulli essent, vix credo unguentorum compositionem ingrediebantur, quae non medicinae, sed voluptatis gratia veniebant. Vetusti quatuor, non *medicos* sed *Medos.* Repone,

Et

Ut ſit adulterio ſuccorum gratia maior :
Munditiae cultuſque placent, arteſque decorae,
Et lenocinium vitae, praeſenſque voluptas.
Virginis hoc anni poſcunt, floreſque coronae.
At cum, per decimam conſurgens horrida partem,
Spica feret prae ſe vallantes corpus ariſtas,
Arvorum ingenerat ſtudium ruriſque colendi;
Seminaque in foenus ſulcatis credere terris;
Uſuramque ſequi maiorem ſorte, receptis
Frugibus innumeris; atque horrea quaerere meſſi:
(Quod ſolum decuit mortales noſſe metallum:
Nulla fames, non ulla forent ieiunia terris.)

Dives

Vulg. v. 267. ADSUNT. 271. SQUALLENTIS——ARISTAE.

Et MEDOS *unguenta dabunt referentia flatus.*
Medicum malum intelligit, odoris gratiſſimi. *Medos* adiective, ut Horatius Carm. i, xxvii, 5.

Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantum diſcrepat.

Ceterum ut Noſter *eque Arabum ſilvis*; ita Virgilius, poſtquam *felix* illud Mediae malum deſcripſerat, Georg. ii, 136.

Sed neque Medorum ſilvae, *ditiſſima terra.*

V. 267. MUNDITIAE CULTUSQUE ADSUNT. Illud *adſunt* ab omnibus vetuſtis abeſt. Suppleverunt verſum recentiores: ſed non ſatis commode *adeſt praeſens voluptas.* Quare ſic potius ſuppl bis,

Munditiae cultuſque PLACENT *arteſque decorae.*

ut ſupra, v. 153.

fractique placent *ad mollia greſſus.*

V. 271. AT CUM PER DECIMAM CONSURGENS HORRIDA PARTEM SPICA, FERET PRAE SE SQUALLENTIS CORPUS ARISTAE. Haec lectio Scaligeri eſt: qui et ſic quoque coniectat, *ſquallentes corpus ariſtas: ſquallentes corpus* appoſitive. Salmaſius vero ad Solinum ita refingit;

At cum per decimam conſurgens torrida *partem*
Spica feret prae ſe ſquallentes corbis *ariſtas.*

Videamus iam, quid libri veteres ferant. Gemblacenſis, Lipſienſis, et Venetus,

Spica feret praeſens valentis corpus ariſtas.

Voſſianus,

praeſens vallantis corpus ariſtas.

Repone,

At cum per decimam conſurgens horrida partem
Spica feret prae ſe VALLANTES *corpus* ARISTAS.

Spica *horrida*, hiſpida, hirſuta; ut Virgilius, *horrida barba*; *horridior ruſco*; *horrentes rubi*. *Ariſtas vallantes corpus* ſpicae; cingentes, munientes. Cicero de Nat. Deorum, *Munitaeque ſunt palpebrae tamquam* vallo *pilorum.* Idem de Senectute, c. xv. *Fundit frugem ſpici ordine ſtructam, et contra avium minorum morſus munitur* vallo ariſtarum. Ubi *ſpici* a ſpicum idem quod *ſpicae*.

V. 278. DIVES ERAT CENSUS SATURATIS GENTIBUS ORBIS. *Orbi* libri veteres: ut ordo ſit, *Dives erat cenſus orbi, gentibus ſaturatis.* Sed verſus irreptitius eſt; et a ſententia loci alienus. *Dives erat*, inquiunt, pro *eſſet*.

Dives erat cenſus ſaturatis gentibus orbis,
Et ſi forte labor ruris tardaverit artes,
Quis ſine nulla Ceres, non ullus ſeminis uſus,
Subdere fracturo ſilici frumenta, ſuperque
Ducere pendentes orbes, et mergere farra,
Ac torrere focis, hominumque alimenta parare,
Atque unum genus in multas variare figuras.
Et quia diſpoſitis habitatur ſpica per artem
Frugibus, et ſtructo ſimilis componitur ordo,
Seminibuſque ſuis cellas atque horrea praebet;
Sculpentem faciet ſanctis laquearia templis,
Condentemque novum caelum per tecta tonanti.

Haec

Vulg. v. 281. FRACTUROS SILICIS. 285. APTATUR. 286. EXSTRUCTU SIMILI. 289. TONANTIS.

eſſet. Ut Virgilius de malo Medica, Georg. ii, 132.

Et, ſi non alium late iactaret odorem,
Laurus erat.

Recte quidem Maro; ſed Noſter, cum ſemel dixiſſet *forent*, non recte ſubiunxiſſet *erat*.

V. 281. SUBDERE FRACTUROS SILICIS FRUMENTA. Gemblacenſis et Lipſienſis, *facturos luci*; Voſſianus, *facturos liti*. Repone,

Subdere FRACTURO SILICI *frumenta*.

Fracturo ſilici, ut Virgilius Georg. i, 267.

Nunc torrete igni fruges, nunc frangite ſaxo.

et Aen. i, 182.

frugeſque receptas
Et torrere parant flammis, et frangere ſaxo.

V. 285. ET QUIA DISPOSITIS APTATUR SPICA PER ARTEM FRUGIBUS, EXSTRUCTU SIMILI COMPONITUR ORDO, SEMINIBUSQUE SUIS CELLAS ATQUE HORREA PRAEBET. Pro *aptatur*, quod recentiorum codicum eſt, Venetus *habetur*; Gemblacenſis et Lipſienſis *habeatur*; Voſſianus et pro varia lectione Lipſienſis *habitatur*. Porro pro *exſtructu ſimili* Gemblacenſis *exſtructos ſimilis*, Lipſienſis et Voſſianus *deſtructos ſimilis*. Repone,

Et quia diſpoſitis HABITATUR *ſpica per artem*
Frugibus, ET STRUCTO SIMILIS *componitur ordo*,
Seminibuſque ſuis cellas atque horrea praebet.

Quia ſpica, inquit, *habitatur frugibus*, ſive granis, quas in glumis aut folliculis, tamquam *in cellis atque horreis* conditas tenet; eaeque fruges in ſpica *artificioſe diſpoſitae ſunt*, et *componunt ordinem ſimilem ordini* humana arte atque opera *ſtructo*: quia haec, inquam, in ſpica fiunt, quaſi arte et ordine et rationibus architectonicis, idcirco

Sculpentem faciet ſanctis laquearia templis.

Hic locus ex omnium difficillimo nunc facilis eſt et planus: et apparet inſignis viri magni error, qui quinque ſequentes verſus ultra verſum 508 relegavit: ubi tam inviti habitant, quam hinc abſunt. Si hinc tollis; poſt illud *quia ſpica*, &c. nulla redditio eſt, et ſententia membro ſuo mutilatur: ſi illic ponis; tum in eodem colo habes *artifices auri faciet*, et mox *ſculpentem faciet*, putide et invenuſte.

V. 289. CONDENTEMQUE NOVUM CAELUM PER TECTA TONANTIS. Vetuſti quattuor *per tecta tenacis*. Lege TONANTI.

V.

Haec fuerat quondam divis concessa figura :
At iam luxuriae paret . triclinia templis
Concertant ; tectique auro iam vescimur auro .
  Sed parte octava surgentem cerne sagittam
Chelarum . dabit haec iaculum torquere lacertis ,
Et calamum nervis , glebas et mittere virgis ;
Pendentemque suo volucrem deprendere caelo ,
Cuspide vel triplici securum figere piscem .
Quod potius dederim Teucro sidusve genusve ?
Teve , Philoctete , cui malim credere parti ?
Hectoris ille faces arcu de classe fugavit ,
Mittebat qui vos , ignes , in mille carinas :
Hic sortem pharetra Troiae bellique gerebat ,
Maior et armatis hostis subsederat exul .

Quin

Vulg. v. 291. NUNC——PARS EST. 294. ET. 300. TELOQUE. 302. HINC ORTAM PHARETRAM——BELLUMQUE.

V. 291. NUNC IAM LUXURIAE PARS EST. Gemblacensis et Lipsiensis *pars et*. A Vossiano abest *et*. Repone,

AT *iam luxuriae* PARET.

nc et *at* facile permutantur. *Nunc iam* hoc loco ridicule.

V. 294. DABIT ET IACULUM TORQUERE LACERTIS. Immo *dabit* HAEC.

V. 300. HECTORIS ILLE FACES ARCU TELOQUE FUGAVIT. Ridiculum est *arcu teloque*. Vossianus *telumque*, Lipsiensis *telaque*. Unde repone,

Hectoris ille faces arcu DE CLASSE *fugavit*.

Apud Ovidium Met. xiii, 7. Aiax, qui tum una cum fratre Teucro ἠρίστευσε, sic loquitur ;

At non Hectoreis *dubitavit cedere* flammis,
Quas ego sustinui, quas hac a classe fugavi.

V. 301. MITTEBAT QUI VOS, IGNES, IN MILLE CARINAS. Ita Scaliger, indigna tanto viro coniectura. Vetusti omnes,

Mittebatque suos ignes et mille carinis.

Volebat interpolator, *e mille carinis*. Sed *suos ignes* quam barbare ? *Mittebat*, pro pellebat, quam languide ? Nempe, cum *de classe* depravatum semel esset in *telaque*, *teloque* ; cuculus aliquis sensit deesse sententiae *classem* vel *carinas*, unde faces Hectoris fugatae sint.

V. 302. HINC ORTAM PHARETRAM, TROIAE BELLUMQUE GEREBAT. Vetusti omnes *hic* ; sine dubio recte : *ille* Teucer, *hic* Philoctetes. Cetera ineptissima sunt, quae ventilare piget. Repone,

HIC SORTEM PHARETRA *Troiae* BELLIQUE *gerebat*.

Philoctetes fatum Troiae et tam longi belli in pharetra sua gerebat : Troia enim sine sagittis Herculeis capi non potuit. Res pueris nota. Ulixes ad Pyrrhum de Philoctete ;

Εἰ γὰρ τὰ τῶδε τόξα μὴ ληφθήσεται,
Οὐκ ἔστι πέρσαι σοι τὸ Δαρδάνου πέδον.
Αἱρεῖ τὰ τόξα ταῦτα τὴν Τροίην μόνα.

V.

Quinetiam ille pater tali de ſidere cretus
Eſſe poteſt, qui ſerpentem ſuper ora cubantem,
Infelix, nati, ſomnumque animamque bibentem,
Suſtinuit miſſo petere ac proſternere telo.
Ars erat eſſe patrem: vicit natura periclum,
Et pariter iuvenem ſomnoque ac morte levavit,
Tunc iterum natum, et fato per ſomnia raptum.
At cum ſecretis improvidus hoedus in arvis
Erranti ſimilis fratrum veſtigia quaerit,
Poſtque gregem longo producitur intervallo;
Solertes animos, agitataque pectora in uſus
Effingit varios, nec deficientia curis,
Nec contenta domo. populi ſunt illa miniſtra,
Perque magiſtratus, et publica iura feruntur.

Vulg. v. 307. ET. 311. ASTRIS. 315. VARIIS.

V. 303. MAIOR ET ARMATIS HOSTIS SUBSEDERAT EXUL. Nimia hic eruditione peccat Scaliger, et ſententiae per ſe facili tenebras offundit. Philoctetes *maior armatis*; quia τοξόται, qui arcum geſtabant, cetera inermes erant. Teucer et Menelaus apud Sophoclem.

MEN. Ὁ τοξότης ἔοικε μὴ σμικρὰ φρονεῖν.
TEY. Οὐ γὰρ βάναυσον τὴν τέχνην ἐκτησάμην.
MEN. Μέγ' ἄν τι κομπάσειας, ἀσπίδ' εἰ λάβοις.
TEY. Κἂν ψιλὸς ἀρκέσαιμι σοί γ' ὡπλισμένῳ.

Subſederat exul; haeſerat, ceſſaverat, ſubſtiterat in Lemno.

V. 307. PETERE ET PROSTERNERE. Libri omnes, AC *proſternere*.

V. 311. AT CUM SECRETIS IMPROVIDUS HOEDUS IN ASTRIS. Quaenam iſta quae hic memorat, *ſecreta aſtra?* Repone,

At cum ſecretis improvidus hoedus in ARVIS
Erranti ſimilis, fratrum veſtigia quaerit.

Similis erranti in ſecretis arvis. Auctor nucis;

Felix ſecreto *quae naſcitur arbor in* arvo.

V. 315. AGITATAQUE PECTORA IN USUS EFFINGIT VARIIS NEC DEFICIENTIA CURIS. Repone ex vetuſtis omnibus,

agitataque pectora in uſus
Effingit VARIOS.

Ovid. Faſt. ii, 291.

Vita ferae ſimilis, nullos agitata per uſus.

Non illo coram digitos quaesiverit hasta ;
Desueritve bonis sector, poenamve lucretur
Noxius, aut patriam fraudarit debitor aeris.
Cognitor est urbis. necnon lascivit amores
In varios, ponitque forum, suadente Lyaeo ;
Mobilis in saltus, et scenae mollior arte.
Nunc surgente nepa, testudinis enatat undis

Forma,

Vulg. v. 318. ULLO CAREAT DIGITO, QUAQUE IVERIT. 319. DEFUERITQUE——POENAMQUE. 320. ET. 322. SE DATQUE. 324. LYRA.

V. 318. NON ULLO CAREAT DIGITO, QUAQUE IVERIT, HASTA. Rem egregie explicavit Scaliger, in verbis lapsus est. Gemblacensis,

Non ullo curam digito qui viverit hastae.

Sic et ceteri tres; nisi quod Lipsiensis *qui iuverit*, Venetus *qui irruerit*, Vossianus *que iuverit*. Hic autem et Venetus *illo*, non *ullo*: omnes tres *hasta*. Repone,

Non ILLO CORAM DIGITOS QUAESIVERIT *hasta*.

Coram illo, numquam hasta caruerit digitis: hasta enim in auctionibus erigebatur; et licitatores digitum tollebant. Mos notissimus. Cicero 1 Verr. c. 54. *Accurrunt ad tempus tutores: digitum tollit Iunius patruus*: et alibi non semel. Acutissimus Gronovius ad Statii silvas, p. 408, sic refingit,

Non illo coram *digito*, qui iuverit, hastae
Desueritque bonis sector.

Illo coram feliciter: cetera, quae dedit, perplexa sunt et ἑλικτά.

V. 319. DEFUERITQUE BONIS SECTOR, POENAMQUE LUCRETUR NOXIUS, ET PATRIAM FRAUDARIT DEBITOR AERIS. Immo repone,

*Desueritv*E *bonis sector, poenamv*E *lucretur*
Noxius, AUT *patriam fraudarit debitor aeris.*

V. 322. PONITQUE FORUM, SE DATQUE LYAEO. Sic Scaliger; cum Gemblacensis habeat *sua detque*; tres reliqui, *suadetque*. Repone,

ponitque forum, SUADENTE *Lyaeo.*

Deserit forum, suadente et invitante Baccho.

V. 324. NUNC SURGENTE LYRA TESTUDINIS ENATAT UNDIS FORMA. Quid hoc est, Surgente lyra, testudo sive lyra oritur? Ubi vero est *scorpios*, qui post chelas sive libram ordine suo sequi hic debebat. Repone,

Nunc surgente NEPA, *testudinis enatat undis*
Forma.

Cum prima, inquit, parte Nepae, surgit lyra: ut infra versu 339, cum octava parte *Nepae*, surgit ara: ubi tamen librarii, ut hic *lyra*, ita *pari* dederunt pro *nepae*: quam emendationem Scaligero debemus.

V. 325. TESTUDINIS ENATAT UNDIS FORMA PER HEREDEM TANTUM PRAEFATA SONANTIS. Sic quidem Gemblacensis et Lipsiensis: quae mirifice interpretantur Scaliger et Huetius; *praefata* scilicet substantive praeludia, προοίμια; sic ut testudo praeludia sonuerit, per heredem solum Orphea; alio tangente non sonuerit. Nec verba attigerunt, nec sententiam. Codex Venetus *profata*; Vossianus *post fata*. Repone,

Forma, per heredem tantum POST FATA *sonantis.*

Heredem tantum, hoc est, tam magnum, Mercurium intellige, qui ex mortua testudine primus lyram effecit. Historia vulgatissima.

V. 326. QUA QUONDAM SONITUMQUE SERENS OEAGRIUS ORPHEUS. *Serens* a Scaligero est: nam libri omnes *ferens*; et Vossianus praeterea *somnumque*. Haud dubie mendosa sunt, *sonitumque ferens*, seu *serens*. Coniunctio *que* prorsus supervacua est; et continuo post *sonantis* addere *sonitum*, non poëtae est vigilantis. Repono,

Qua

Forma, per heredem tantum post fata sonantis,
Qua quondam mentemque feris Oeagrius Orpheus,
Et sensus scopulis, et silvis addidit aures,
Et Diti lacrimas, et Parcis denique filum.
Hinc venient vocis dotes citharaeque sonantis,
Garrulaque in modulos diversa tibia forma,
Et quodcumque manu loquitur, flatuve movetur.

Ille

Vulg. v. 325. PRAEFATA. 326. SONITUMQUE SERENS. 328. MORTI——FINEM. 329. BOREAEQUE. 330. QUAE MODULIS DIVERSE——FORMAT. 331. FLATUQUE.

Qua quondam MENTEMQUE FERIS *Oeagrius Orpheus,*
Et sensus scopulis, et silvis addidit aures,
Et Diti lacrimas, et PARCIS *denique* FILUM.

Versus sane egregii: Ovid. Metam. xi, 1.

Carmine dum tali silvas animosque ferarum
Threicius vates et saxa *sequentia ducit.*

et mox versu 41.

perque os (pro Iuppiter) illud
Auditum saxis, *intellectumque* ferarum
Sensibus, *in ventos anima exhalata recessit.*
Te maestae volucres, Orpheu, te turba ferarum,
Te rigidi silices, *tua carmina saepe secutae*
Fleverunt silvae.

Ceterum addidit *filum Parcis,* non *morti finem.* Fine enim morti data, nemo postea moreretur. Filum addidit *Parcis,* cum Eurydicen uxorem mortuam, iterum victuram recepit. Parcarum *fila, stamina, colus, pensa,* cui non cognita? Orpheus apud Ovid. Met. x, 31.

Eurydices, oro, properata retexite fila.

Statius Silv. iii, i, 172.

Parcarum fila *tenebo,*
Extendamque colos; duram scio vincere mortem.

et Theb. viii, 57 Pluto de Orpheo narrat,

Odrysiis etiam (pudet heu) patuisse querelis
Tartara: vidi egomet blanda inter carmina turpes
Eumenidum lacrimas, iterataque pensa sororum

Martial. iv, 54. *Nil adicit* penso. Lachesis. et vii, 46.

Et raptas fatis *reddidit ipse* colos.

V. 329. HINC VENIENT VOCIS DOTES BOREAEQUE SONANTIS. Quid boreae cum musicis? abeat hinc in Scythiam suam. Vossianus *boreae:* unde Vossius ad Catullum substituit, *auraeque.* Tu repone,

Hinc venient vocis dotes CITHARAEQUE *sonantis.*

Ita iv, 529.

sed dulci tincta lepore
Corda creat, vocisque *bonis* citharaeque sonantis
Instruit, et dotes *cantus cum pectine iungit.*

Ovid. Metam. v, 112.

Sed qui pacis opus citharam cum voce *moveres.*

Statius Achilleïd. i, 573.

digitosque sonanti
Infringit citharae.

V. 330. GARRULA QUAE MODULIS DIVERSE TIBIA FORMAT. Ita Scaliger: sed vetusti codices,

Garrula quae modulos diversa tibia forma.

Nisi quod Vossianus, *Garrulaque modulos:* et Venetus, *Garrulaque in modulos.* Recte: et sic repone, ut et Vossius ad Catullum,

*Garrula*QUE IN MODULOS DIVERSA *tibia* FORMA.

Garrula in modulos: modus loquendi multum nostro dilectus. Ita ii, 39.

et Pana sonantem In calamos.

et 246. *ariesque in cornua torvus.*

ubi vide plura.

V. 331. ET QUODCUMQUE MANU LOQUITUR, FLATUQUE MOVETUR. Scribe *manus,* inquit doctissimus Huetius. Non ob-

tempero.

Ille dabit cantus inter convivia dulces,
Mulcebitque ſono Bacchum, noctesque tenebit.
Quinetiam curas inter, ſecreta movebit
Carmina, furtivo modulatus murmure vocem:
Solus et ipſe ſuas ſemper cantabit ad aures.
Chelarum ſurget cum pars viceſima ſexta
Hinc diſtante lyra,, quae cornua ducit in aſtra,
Sed regione nepae vix partes octo trahentis,
Ara ferens turis, ſtellis imitantibus, ignem,
(In qua devoti quondam cecidere gigantes,
Nec prius armavit violento fulmine dextram
Iuppiter,

Vulg. v. 333. NOCTISQUE TENEBRIS.

tempero. Non enim *manus*, ſed cithara vel tibia *manu* loquitur. Noſter iv, 154.

Et graciles calamos, et nervis inſita verba.

Lucret. iv, 978.

Et citharae liquidum carmen, chordaſque loquentes.

Ceterum pro *flatuque* lege FLATUVE.

V. 333. MULCEBITQUE SONO BACCHUM, NOCTISQUE TENEBRIS. Libri veteres, *noctesque tenebit:* Voſſianus ſolus *noctemque*. Repone,

Mulcebitque ſono Bacchum, NOCTESQUE TENEBIT.

hoc eſt, *producet noctes*, morabitur, longiores faciet; ne mane appetente convivae diſcedant. Martial. ii, 89.

Quod nimio gaudet noctem producere *vino.*

Ovid. Met. i, 682.

Sedit Atlantiades, et euntem multa loquendo
Detinuit *ſermone* diem.

V. 337. HINC DISTANTE LYRA, CUM PARS VICESIMA SEXTA CHELARUM SURGET, QUAE CORNUA DUCIT IN ASTRA. Verſus ſpurii et inſulſi. Quid eſt *diſtante lyra*; cum de lyra iam tranſactum ſit? Quid *pars* xxvi *chelarum*; cum iam de ſcorpio agatur? Hos tamen verſus ſic diſſolvit Scaliger:

Chelarum ſurget, cum pars viceſima ſexta.
Hinc diſtante lyra, quae cornua ducit in aſtra.

Et priorem ex his ponit poſt verſum 325, loco alieniſſimo,

Forma per heredem tantum poſt fata ſonantis,
Chelarum ſurget cum pars viceſima ſexta.
Qua quondam mentemque feris, &c.

Ergo teſtudo non ſonat, niſi parte librae xxvi ſurgente? Aut ea librae pars ſurgit poſt primam ſcorpii? *Qua* autem hoc pacto non cum *teſtudine* iungetur, ſed cum *parte*. Ergo Orpheus ſilvas et feras domuit xxvi parte librae? Vides quot incommoda: nec minora fere in altero verſu, quem ſuo hic loco relinquit. Audi tamen Ἰὸν πάνυ de hoc ſuo facinore gloriantem: *Reſtitutio*, inquit, *primum verſuum inter ſe implicatorum, deinde loco ſuo laxatorum, poſtremo mendi quod eſt in ſequenti verſu, (Pari* pro *Nepae) eſt omnium emendationum maxime notanda, quae in hoc poeta praeſtitae ſunt.* Non credemus: centies centieſque felicius tibi coniectura ceſſit. *Nepae* quidem egregie, reliquum vero ἄῤῥητον ἄμεινον.

V. 343. ANTE DEOS QUAM CONSTITIT IPSE SACERDOS. Cur *ante deos?* Immo *ante aram*. Hoc enim ſacerdotis eſt. Seneca Thyeſte 691. de Atreo;

Ipſe eſt ſacerdos: *ipſe funeſta prece*

Letale

Iuppiter, ante focos quam conſtitit ipſe ſacerdos;)
Quos potius finget partus, quam templa colentes,
Atque auctoratos in tertia iura miniſtros,
Divorumque ſacra venerantes numina voce,
Pene deos, et qui poſſunt ventura videre?
Quattuor appoſitis centaurus partibus effert
Sidera, et ex ipſo mores naſcentibus addit.
Hic mulos aget aut mannos, mixtoque iugabit
Semine quadrupedes, aut curru celſior ibit;
Aut ornabit equos phaleris, aut ducet in arma.
Ille tenet medicas herbas ad membra ferorum:

Hoc

Vulg. v. 343. DEOS. 344. ORTUS. 350. AUT——MIXTOSQUE. 352. ONERABIT——ARMIS. 353. ARTES——FERARUM.

Letale carmen ore violento canit,
Stat ipſe ad aras.

Repone igitur,

ante FOCOS *quam conſtitit ipſe ſacerdos.*

Ante focos id quod *ante aram.* Virgilius Aen. xii, 118.

In medioque focos *et diis communibus* aras.

Tibullus iv, 6.

Staret ut ante *tuos conſpicienda* focos.

Ovidius Faſt. vi, 307.

Nunc quoque, cum fiunt antiquae ſacra *Vacunae,*
Ante *Vacunales* ſtantque *ſedentque* focos.

V. 344. QUOS POTIUS FINGET ORTUS. Libri *fingent.* Lege *finget* PARTUS.

V. 350. AUT MULOS AGET AUT MANNOS, MIXTOSQUE IUGABIT SEMINE QUADRUPEDES. *Mulos* aut *mannos*, palmaria Scaligeri emendatio: nam veteres tres, *Aut ſtimulis agit aut omnis*; Voſſianus, *Aut ſtimuli jagitavit onus.* Repone, parva mutatione,

HIC *mulos aget aut mannos*, MIXTOVE *iugabit*
Semine quadrupedes.

Hic aget, ut mox *ille tenet.* *Mixto ſemine*, ut Claud. in Mallii Conſ. verſu 302.

Obvia fulminei properent ad vulnera pardi
Semine permixto *geniti, cum forte leaenae*
Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter.

V. 352. AUT ONERABIT EQUOS ARMIS, AUT DUCET IN ARMA. Haec inepta et putidà ſunt. Quorſum enim *onerare* equos armis? aut ſi onerentur, quo ducentur niſi in arma? Repone,

Aut ORNABIT *equos* PHALERIS, *aut ducet in arma.*

Virgilius Aen. v, 310.

Primus equum phaleris inſignem *victor habeto.*

V. 353. ILLE TENET MEDICAS ARTES AD MEMBRA FERARUM. Sic codices omnes: ſed repono,

Ille tenet medicas HERBAS *ad membra* FERORUM.

Et *ferorum* quidem, hoc eſt, *equorum*: nam ad *ferarum* membra venatores potius accedunt, quam medici. Noſter ſupra verſu 77.

Aut cum laxato fregerunt cardine clauſtra,
Exagitare feros, *pronumque anteire volantes.*

Virgilius de equo Troiano, Aen. ii, 51.

inque feri *curvam compagibus alvum*
Contorſit.

Et *ferorum* recte, ut iam video, emendarat in priore editione Scaliger; cur vero in ſecunda omiſerit, nequeo divinare. Scio autem *medicas*

arte:

Hoc eſt artis opus non expectare gementes,
Sed non auditos mutorum tollere morbos,
Et ſibi non aegros iamdudum credere tales.
Nunc ſubit arcitenens, cuius pars quinta nitentem
Arcturum oſtendit caelo; quo tempore natis
Fortuna ipſa ſuos audet committere cenſus,
Regales ut opes et ſancta aeraria ſervent,
Regnantes ſub rege ſuo, rerumque miniſtri:
Tutelamve gerant populi, domibuſve regendis
Praepoſiti, curas alieno limine claudant.
Arcitenens cum ſe totum produxerit undis

Ter

Vulg. v. 355. ET——MUTARUM. 356. CORPUS. 358. PONTO. 362. tutelamQUE GERENT. 363. CLAUDENT.

artes ſaepe alibi dici; ſed hic *herbas* verum exiſtimo; quia verſu ſequente rurſus habemus, *artis opus*. Idem error infra verſu 643.

Vilibus ille etiam ſanabit vulnera ſuccis
Quadrupedum, et medicas artes *in membra* ferarum
Noverit, humanos et quae naſcentur ad uſus.

Nam et ibi lego,

et medicas herbas *in membra* ferorum.

Herbas, quia ſequitur, *et quae naſcuntur*: herbae enim naſcuntur, non artes. Claudianus iii Honorii verſu 62.

non ocius hauſit Achilles
Semiferi praecepta ſenis; ſeu cuſpidis artes,
Sive lyrae cantus, medicas *ſeu diſceret* herbas.

Plin. Hiſt. ii, 63. *Terra* medicas *fundit* herbas, *et ſemper homini parturit.*

V. 354. HOC EST ARTIS OPUS NON EXPECTARE GEMENTES, ET NON AUDITOS MUTARUM TOLLERE MORBOS. In omnibus ſcriptis prior horum verſuum poſterior venit: perperam haud dubie. Qualis enim locatio eſt, *Tenet* medicas artes ſive herbas, et *tollere* morbos? Etiam hoc in priore editione recte Scaliger: in poſteriore neſcio quare deſeruit. Repone tantum,

SED *non auditos* MUTORUM *tollere morbos.*

V. 356. ET SIBI NON AEGROS IAMDUDUM CREDERE CORPUS. *Aegros* vetuſti quattuor. Quae verba ſic Scaliger evolvit, *Et* equos *non aegros iamdudum credere* ſive committere *corpus* ſuum *ſibi* medico. Mirifica ſententia. Quid enim hic facit *iamdudum?* vel quomodo beſtiae credant ſe medico? hoc rationis opus eſt. Cato apud Gellium i, 15. *Itaque auditis, non auſcultatis, tamquam pharmacopolam: nam eius verba audiuntur: verum* ei ſe nemo committit, ſi aeger eſt. Gronovius Obſerv. ii, 11, ſic legit explicatque,

Et ſibi non aegrum *iamdudum credere corpus.*

Aegrum autem accipiendum, quaſi bis poſitum eſſet, et iamdudum credere corpus aegrum, quod ſibi non eſt aegrum. Sententiam percepit vir acutiſſimus: ſed *aegrum* eo modo bis poni quis patienter ferat? Repone,

Et ſibi non aegros, iamdudum credere TALES.

Iamdudum credere et praeſentire equos eſſe aegros, priuſquam ipſi ſe aegros eſſe ſentiant. At, inquies, quid tam diſſimile, quam *corpus* et *tales?* Scribe, ut in membranis ſolent, *cpus*, *talis*; et ſingulis fere paginis paria portenta reperies. *Credere tales eſſe*, hoc eſt, aegros. Terent. Phorm. iii, ii, 44.

Hic me huiuſmodi ſcibat eſſe, ego hunc eſſe aliter credidi.

V.

Ter decima ſub parte feri; formantibus aſtris,
Plumeus in caelum nitidis olor evolat alis:
Quo ſurgente trahens lucem, matremque relinquens,
Ipſe quoque aërios populos, caeloque dicatum
Alituum genus in ſtudium cenſuſque vocabit.
Mille fluent artes, aut bellum indicere mundo,
Et medios inter volucrem prenſare meatus:
Aut nido captare ſuo, ramove ſedentem,
Paſcentemve ſuper ſurgentia ducere lina.
Atque haec in luxum: iam ventri longius itur,
Quam modo militiae. Numidarum paſcimur oris,
Phaſidos

Vulg. v. 369. alituumQUE genus ſtudium. 372. NIDIS DAMNARE SUIS. 374. AT QUAE.

V. 358. ARCTURUM OSTENDIT PONTO. *Pontus, pelagus, undae* loca infra horizontem ubique hic ſignificant. Ergo non *oſtendit* arcturum ponto, ſed *eruit, effert, eripit, erigit*, ut alibi loquitur. Repone,

Arcturum oſtendit CAELO.

Sic *in caelum ferens*, verſibus 157 et 395. Vel lege, *oſtendit* TERRIS, ut verſu 129.

Quae totum oſtendit terris *atque eruit undis*.

Vel MUNDO, ut 409.

Cumque ſuis magno ſuccedunt ſidera mundo.

V. 362. TUTELAMQUE GERENT POPULI. Hic et ſequens in libris univerſis infra verſum 373 poſiti ſunt; ſed recte a Scaligero huc reducti. Ceterum pro *gerent*, Gemblacenſis *gerunt*; Lipſienſis et Voſſianus *gerant*. Repone,

Tutelamve GERANT *populi*.

Gerant, ut prius *ferveant*.

V. 363. CURAS ALIENO LIMINE CLAUDENT. Lege cum Voſſiano CLAUDANT: ceteri tres *claudunt*.

V. 369. ALITUUMQUE GENUS STUDIUM. *Que* ſupervacuum eſt. Repone,

Alituum genus IN *ſtudium cenſuſque vocabit*.

Quod et Huetio placebat.

V. 372. AUT NIDIS DAMNARE SUIS, RAMOVE SEDENTEM. Quid eſt *damnare aves ſuis nidis?* *Exuere*, inquit Scaliger, *ſpoliare*. *Antique dictum*. Tanto peius, quod antique: cum auctor talia non ſectetur. Sed ſi *nidis* tantum ſuis aves *ſpoliant*; ipſas avolare liberas ſinunt. Gemblacenſis, Lipſienſis, Voſſianus,

Aut nitidos clamare ſuis.

Sed Venetus *ſuos*. Porro Gemblacenſis pro lectione varia, *Aut nidis damnare*. Repono,

Aut NIDO CAPTARE SUO *ramove ſedentem*.

Captare, ut Virgilius Georg. i, 139.

Tum laqueis captare *feras, et fallere viſco*.

Noſter infra verſu 398.

Pendentem et caeca captabit *in aequore piſcem*:

V. 374. AT QUAE HAEC? IN LUXUM IAM VENTRI LONGIUS ITUR. Sic Scaliger diſtinguit; *quae haec*, quam minuta ſunt haec, prae luxuria hodierna. Immo haec, phaſianos et aves Numidicas captare, ipſam hodiernam luxuriam conſtituunt. Repone ergo cum libris omnibus,

ATQUE *haec in luxum. iam ventri longius itur, Quam modo militiae*.

Captabit, inquit, aves; non quas comedat, ſed quas vendat; non in victum ſuum, ſed in *luxum* alienum.

V.

†

Phasidos et lucis : arcessitur inde macellum,
Unde aurata novo convecta est remige pellis.
Quinetiam linguas hominum sensusque docebit
Aërias volucres, novaque in commercia ducet,
Verbaque praecipiet naturae lege negata.
Ipse deum cycnus condit vocemque sub illo;
Non totus volucer, secumque immurmurat intus.
Nec te praetereant, clausas qui culmine summo
Pascere aves Veneris gaudent, et credere campo,
Ac certis revocare notis; totamve per urbem
Qui gestant caveis volucres ad iussa paratas,
Quorum omnis parvo consistit passere census.
Has erit et similes tribuens olor aureus artes.
  Anguitenens magno circumdatus orbe draconis
Cum venit in regione tuae, capricorne, figurae,
Non

Vulg. v. 376. DAMNIS. 377. AEQUORE. 384. REDDERE CAECAS. 385. AUT——TOTAMQUE .390. IN.

V. 376. NUMIDARUM PASCIMUR ORIS, PHASIDOS ET DAMNIS. Pro *damnis* Gemblacensis *dulcis*, ceteri tres *dueis*; legendum, quod et Scaliger vidit,

Phasidos et LUCIS.

Phasiani enim in silvis vescuntur.

V. 377. UNDE AURATA NOVO CONVECTA EST AEQUORE PELLIS. *Novo aequore* erit tum primum tentato. Dedit tamen auctor,

Unde aurata novo convecta est REMIGE *pellis.*

Ovid. Pont. iii, 1.

Aequor Iasonio pulsatum remige *primum.*

et Heroid. xvi, 345.

Phasida puppe nova *vexit Pagasaeus Iason.*

V. 384. PASCERE AVES GAUDENT VENERIS, ET REDDERE CAECAS, AUT CERTIS REVOCARE NOTIS. *Reddere caecas* erit παλευτρίας sive illices facere. Aucupes enim excaecatam columbam domi nutriebant; quae reti alligata, et voce et subsultatione feras aves alliceret. Sed hoc auctorem voluisse vix crediderim. De Aucupio enim iam actum erat versu 373. Quin et *reddere caecas*, ignave dictum; et saltem tribus verbis causam addidisset, cur excaecaverint: sequentia etiam minime consentiunt; quomodo enim caecae *revocari certis notis* potuissent? Referri in sinu, non revocari, debebant. Vetusti quattuor, *redere caecos:* Vossianus alio ordine *Veneris gaudent*. Repono,

Nec te praetereant, clausas qui culmine summo
Pascere aves Veneris gaudent, *et* CREDERE CAMPO,
AC *certis revocare notis.*

Qui nutriunt columbas summo domus culmine clausas; quas tamen sinunt liberas in campo pastum quaerere; et sciunt, cum volunt, certis eas notis et sonis domum revocare. *Culmine summo.* Juvenalis iii, 222.

quem

Non inimica facit ſerpentum membra creatis.
Accipient finibuſque ſuis, peploque fluenti;
Oſculaque horrendis iungent impune venenis.
At cum ſe patrio producet ab aequore piſcis,
In caelumque ferens alienis finibus ibit;
Quiſquis erit tali capiens ſub tempore vitam,
Litoribus ripiſque ſuos circumferet annos,
Pendentem et caeco captabit in aequore piſcem,
Cumque ſuis domibus concha valloque latentes
Protrahet immerſus. nihil eſt audere relictum.
Quaeſtus naufragio petitur, corpuſque profundo
Immiſſum pariter cum praeda exquiritur ipſa.
Nec ſemper tanti merces eſt parva laboris:
Cenſibus aequantur conchae, rapidumque notari. *
Vix quiſquam eſt locuples. oneratur terra profundo.

Tali

Vulg. v. 392. ACCIPIUNT. 393. IUNGUNT. 394. PRODUCIT. 400. PROTRAHIT. 402. QUAM. 403. NAM.

quem tegula ſola tuetur
A pluvia, molles ubi ponunt ova columbae.

Nemeſianus Eclog. ii, de Luſcinia;

Quae licet interdum contexto vimine clauſa,
Cum parvae patuere fores, ceu libera ferri
Novit et agreſtes inter volitare volucres;
Scit rurſus remeare domum, *tectumque ſubire*
Viminis, et caveam totis praeponere ſilvis.

V. 385. TOTAMQUE PER URBEM. Lege cum tribus vetuſtis TOTAMVE.

V. 392. ACCIPIUNT. Lege cum Gemblacenſi ACCIPIENT; et verſu proximo pro *iungunt*, cum libris omnibus IUNGENT.

V. 394. PRODUCIT. Veteres omnes PRODUCET.

V. 395. IN CAELUMQUE FERENS. *Ferens* non eſt, ut vult Scaliger, ἀναφερόμενος, ſed *ſe* repetitur. *Ferens ſe in caelum*: ut ſupra verſu 157.

Iam vero geminis fraterna ferentibus *aſtra*
In caelum.

V. 400. PROTRAHIT IMMERSUS. Lege cum Voſſiano PROTRAHET, ut *captabit*.

V. 402. PARITER QUAM PRAEDA EXQUIRITUR IPSA. *Pariter quam* pro eo quod eſt *pariter ac*. Sic, aiunt, Sueton. Claud. xxxv. *Sed nihil aequo quam timidus fuit*: cum dici ſoleat, *aeque ea*. Sed nihil excuſatione eſt opus. Dedit enim auctor,

corpuſque profundo
Immiſſum pariter CUM *praeda exquiritur ipſa.*

V. 403. NAM SEMPER TANTI MERCES EST PARVA LABORIS. Haec abſurda ſunt. Nam ſi conchas fundo extractas *cenſibus* et totis patrimoniis vendunt, quomodo parva eſt laboris merces? Lege cum vetuſtis omnibus;

NEC *ſemper tanti merces eſt parva laboris.*

V. 404. CENSIBUS AEQUANTUR CONCHAE, RAPIDUMQUE NOTARI. * VIX

Oo QUISQUAM

Tali ſorte ſuas artes per litora tractat,
Aut emit externas pretio: mutatque labores,
Inſtitor aequoreae varia ſub imagine mercis.
Cumque fidis magno ſuccedunt ſidera mundo,
Quaeſitor ſcelerum veniet, vindexque reorum,
Qui commiſſa ſuis rimabitur argumentis,
In lucemque trahet tacita laetantia fraude.
Hinc etiam immitis tortor, poenaeque miniſter;
Et quiſquis vero favit, culpamve perodit
Proditor; atque alto qui iurgia pectore tollat.
Caeruleus ponto cum ſe delphinus in aſtra
Erigit, et ſquamam ſtellis imitantibus exit,

Ambiguus

Vulg. v. 407. EXTERNOS. 412. LATITANTIA. 415. PRODITUR.

QUISQUAM EST LOCUPLES. ONERATUR TERRA PROFUNDO. Tranſiliit hunc locum Scaliger ut deſperatum. Pro *quiſquam* Gemblacenſis *umquam*. Pro *notari* Lipſienſis et Voſſianus *notori*.

V. 407. AUT EMIT EXTERNOS PRETIO, MUTATQUE LABORES. *Externi labores* non placent. Repone,

Tali ſorte ſuas artes per litora tractat,
Aut emit EXTERNAS *pretio: mutatque labores.*

Suas artes et *externas* oppoſita eſſe vides.

V. 412. IN LUCEMQUE TRAHET TACITA LATITANTIA FRAUDE. Vetuſti quattuor LATENTIA. Lege,

In lucemque trahet tacita LAETANTIA *fraude.*

ut Virgilius Aen. vi, 567.

ſubigitque fateri
Quae quis apud ſuperos, furto laetatus *inani.*

V. 415. ET QUISQUIS VERO FAVIT, CULPAMVE PERODIT, PRODITUR. *Hinc*, aiunt, *proditur*, id eſt, hinc *producitur*. Sed nuſquam alias auctor ſic loquitur. Ex ſuperioribus repete, *Hinc veniet*. Et repone,

Et quiſquis vero favit, culpamve perodit
PRODITOR.

Proditor, index, qui culpam odit et defert. Ovid. Amor. ii, 8.

Quod ſi ſtulta negas, index *anteacta fatebor*,
Et veniam culpae proditor *ipſe meae.*

et Art. Am. iii, 368.

indicio prodor *ab ipſe meo.*

V. 418. AMBIGUUS TERRAE. Poſt hunc duos iſtos conſtituit Scaliger, *Par ex diverſo*, &c. qui in libris univerſis ſequuntur verſum 435. Ibi vide.

V. 421. ET SINIBUS VIRES SUMIT, FLUCTUMQUE FIGURAT. Quomodo *ſinibus vires ſumat* delphinus, non poſſum concipere; neque quid commune ſit video, inter *vires ſumere*, et *fluctum figurare*. Semper fere Noſter eandem rem variat: ergo et hic tale quid inveſtigandum. Repono,

Et finibus GYROS GLOMERAT, *fluctumque figurat.*

Vires ſumit, giros glomat. Noſter infra verſu 636.

Hic glomerabit *equo* gyros, *dorſoque ſuperbus*
Ardua bella geret.

Ovid. Met. iii, 683.

Undique dant ſaltus; multaque aſpergine rorant:
Emerguntque iterum, redeuntque ſub aequora rurſus;

Inque

Ambiguus terrae partus, pelagoque creatur.
Nam velut ipſe citis perlabitur aequora pinnis,
Nunc ſummum ſcindens pelagus, nunc alta profundi,
Et ſinibus gyros glomerat, fluctumque figurat;
Sic, venit ex illo quiſquis, volitabit in undis:
Hic alterna ferens in lentos brachia tractus,
Nunc plauſa reſonabit aqua; nunc aequore merſas
Diducet palmas, furtivus remus in ipſo:
Nunc in aquas rectus veniet, paſſuque natabit;
Et vada mentitus reddet ſuper aequore campum:
Aut immota ferens in tergus membra latuſve,
Non onerabit aquas, ſummiſque accumbet in undis,
Pendebitque

Vulg. v. 421. VIRES SUMIT. 423. NUNC. 424. ET—MERSUS. 425. DEDUCET—FURTIVO. 426. PASSIMQUE. 427. AEQUORA. 428. LATUSQUE.

Inque chori ludunt ſpeciem, *laſcivaque iactant*
Corpora, et acceptum patulis mare naribus efflant.

Seneca Agamem. 452. de Delphine;
Tyrrhenus omni piſcis exſultat freto,
Agitatque gyros, *et comes lateri adnatat.*

Sic codex Mediceus; ceteri *Agitque gyros.*

V. 423. NUNC ALTERNA FERENS IN LENTOS BRACHIA TRACTUS ET PLAUSA RESONABIT AQUA. Aut *feret* legendum erat, aut *et* ſupervacuum eſt. Sed vetuſti omnes pro *nunc* habet *hinc*. Repone,
HIC *alterna ferens in lentos brachia tractus*
NUNC *plauſa reſonabit aqua; nunc*, &c.

Statius Silv. i. 3.
vitreaſque natatu
Plaudit aquas.

V. 424. NUNC AEQUORE MERSUS, DEDUCET PALMAS, FURTIVO REMUS IN IPSO. Poſteriorem pro ſpurio habet Scaliger: ſed perperam. Libri veteres *merſas*; pro *deducet*, Voſſianus *dicutet*. Repone,
nunc aequore MERSAS
DIDUCET *palmas*, FURTIVUS *remus in ipſo.*

Diducere palmas eſt natantis, ut alas volantis; non *deducere: furtivus in ſeipſo remus*, ut apud Muſaeum Leander,
Αὐτὸς ἐὼν ἐρέτης, αὐτόστολος, αὐτόματος νηῦς.

Et Ovidium, Heroid. xviii, 148.
Idem navigium, navita, vector ero.

et ibidem, 215.
Cum patitur hiems, remis ego corporis utar.

Voſſius ad Catullum, *portuno remus in ipſo*; non potuit infelicius.

V. 426. NUNC IN AQUAS RECTUS VENIET, PASSIMQUE NATABIT. Quorſum illud *paſſim?* quid hoc ad erectam natationem? Vetuſti quatuor, *paſſumque*. Repone,
Nunc in aquas rectus veniet, PASSUQUE *natabit*;
Et vada mentitus, reddet ſuper AEQUORE *campum:*

Ita aequore natabit, ac ſi paſſu ſuper terram incederet. *Mentitus vada*, quaſi fundum pedibus tangeret. *Aequore* pro *aequora* etiam Reineſius.

V. 428. AUT IMMOTA FERENS IN TERGUS MEMBRA LATUSQUE. Immo LATUSVE.

Pendebitque ſuper ; totus ſine remige velum eſt .
Illis in ponto iucundum eſt quaerere pontum ,
Corporaque immergunt undis , ipſumque ſub antris
Nerea , et aequoreas conantur viſere nymphas ;
Exportantque maris praedas , et rapta profundo
Naufragia , atque imas avidi ſcrutantur arenas .
Par ex diverſo ſtudium ſociatur utrumque
In genus , aque uno digeſtum ſemine ſurgit .
Adnumeres etiam illa licet cognata per artem
Corpora , quae valido ſaliunt excuſſa petauro ,
Alternoſque cient motus : delatus et ille
Huc iacet , atque huius caſu ſuſpenditur ille .
Membrave , per flammas orbeſque emiſſa flagrantes ,
Molliter ut liquidis per humum ponuntur in undis .

Delphinumque

Vulg. v. 430. TUTUS—VOTUM. 432. QUI MERGUNT. 436. STUDET ET. 437. ATQUE. 438. AD NUMEROS—ILLE CIET. 440. ELATUS. 441. NUNC. 442. MEMBRAQUE.

V. 430. PENDEBITQUE SUPER TUTUS SINE REMIGE. VOTUM EST ILLIS IN PONTO, IUCUNDUM EST QUAERERE PONTUM. *Votum eſt in ponto* ; et *iucundum eſt pontum quaerere*, poſt tot deſcriptiones, frigida et putida ſunt. Gemblacenſis *tutum* non *tutus*. Lipſienſis et Voſſianus *totum*. Gronovius Obſerv. ii, 11. ſic legit,

Pendebitque ſuper tutum *ſine remige* ; pontum.

Vossius ad Catullum,

Pendebitque ſuper totum *ſine remige* pontum.

Sed vetuſti omnes habent *votum eſt:* et utrumque verſum in idem verbum definere, nullo modo ferendum eſt. Repone et diſtingue,

Pendebitque ſuper ; TOTUS *ſine remige* VELUM *eſt*.
Illis in ponto iucundum eſt quaerere pontum.

Pendebit ſuper aquas immotis membris ; ergo non *remigat*, ſed *velificat tantum*. Ut ſupra verſu 425. erat remus furtivus ; ita nunc contra, diverſo natandi modo, velum eſt ſine remo. Ovid. Triſt. i, 9.

Sive opus eſt velis : *minimam bene currit ad auram.*
Sive opus eſt remo : remige *carpit iter.*

et v, 14.

Vela *damus*, *quamvis* remige *puppis eat.*

Seneca Thyeſte, 438.

Sic concitatam remige *et* velo *ratem*
Aeſtus, *reſiſtens* remigi *et* velo, *refert.*

Quaerere pontum in ponto, ſequentia ſatis explicant. Non contenti ſummo aequore, in imum ſe immergunt. *Illis* opponitur *hic* verſu 423. *Hic* natator, *illis* urinatoribus.

V 432. CORPORA QUI MERGUNT UNDIS. Repone cum Voſſiano,

*Corpora*QUE IMMERGUNT *undis.*

V. 436. PAR EX DIVERSO STUDET, ET SOCIATUR UTRUMQUE IN GENUS, ATQUE UNO DIGESTUM SEMINE SURGIT. Pro *par* veteres omnes *pars* ; pro *ſtudet et* Venetus *ſtuduit*, Voſſianus *ſtudium*. Repone,

Par ex diverſo STUDIUM *ſociatur utrumque*
In genus, AQUE *uno digeſtum ſemine ſurgit.*

Deſcripſerat primum *natatores*, deinde *urinatores :* de utriſque nunc dicit, *Par ex diverſo ſtudium*, hoc eſt, ſimile ſed non idem ſtudium, *ſociari in genus utrumque* tam horum, quam illorum,

Delphinumque ſuo per inane imitantia motu
Et viduata volant pennis, et in aëre ludunt.
At ſi deficient artes, remanebit in illis
Materies tamen apta. dabit natura vigorem,
Atque alacres curſus, campoque volantia membra.
  Sed regione means Cepheus humentis aquari
Non dabit in luſum mores. facit ora ſevera:
Frontes ac vultus componit pondere mentis.
Paſcentur curis, veterumque exempla revolvent
Semper, et antiqui laudabunt verba Catonis,
Tutoriſve ſupercilium, patruive rigorem.
Componet teneros etiam qui nutriat annos,
Et dominum dominus pretextae lege ſequatur,
Quodque agit, id credat, ſtupefactus imagine iuris.

Quinetiam

Vulg. v. 457. AGET——CREDES——VERI.

illorum, *et ab uno ſemine digeſtum ſurgere. Digeſtum* in duas partes; ut Ovidius Heroid. ix, 91.

Prodigiumque triplex, armenti dives Iberi
Geryones; quamvis in tribus unus erat.
Inque canes totidem trunco digeſtus ab uno
Cerberus, implicitis angue minante comis.

et Met. ix, 773.

et ſeptem digeſtum in cornua *Nilum.*

Hoc vult, ex urinatoribus facile natatores fieri, et ex natatoribus urinatores.

V. 438. AD NUMEROS ETIAM ILLE CIET COGNATA PER ARTEM CORPORA. *Ille ciet*, Delphinus ſcilicet, a Scaligero eſt. Sed quid eſt *Ad numeros ciere?* Hoc tacet. Lipſienſis et Voſſianus *ulla licet:* Gemblacenſis cum recentioribus *illa licet.* Egregia eſt Reineſii emendatio,

ADNUMERES *etiam* ILLA LICET *cognata per artem*
Corpora.

His natatoribus et urinatoribus *adnumeres licet*, adiungere poteris, ob artis cognationem petauriſtas et curſores.

V. 440. ELATUS ET ILLE NUNC IACET ATQUE HUIUS CASU SUSPENDITUR ILLE. *Delatus* libri univerſi: pro *nunc* Voſſianus *hunc*, Gemblacenſis *huc*. Repone,

DELATUS *et ille*
HUC *iacet, atque huius caſu ſuſpenditur ille.*

Huc delatus. Aliud agebat vir magnus, cum *elatus* reponeret. Quomodo enim *elatus iacet?* Hoc ἀσύςατον.

V. 442. MEMBRAQUE. Immo MEMBRAVE cum vetuſtis. Diverſorum hoc artificum, non eorundem.

V. 457. QUODQUE AGET, ID CREDES, STUPEFACTUS IMAGINE VERI. Hunc verſum ex ſuo loco, quem in membranis et nunc in hac editione ſervat, removerat Scaliger ultra verſum 485, et inſuper interpolaverat. Sic enim libri veteres;

Quodque agit, id credat, ſtupefactus imagine iuris.

Agit Gemblacenſis, ceteri *agat*. Repone,

Quodque AGIT *id* CREDAT, *ſtupefactus imagine* IURIS.

Recte

Quinetiam tragico praeſtabunt verba cothurno ,
Cuius erit quamquam in chartis ſtilus ipſe cruentus .
Nec minus et ſcelerum facie , rerumque tumultu
Gaudebunt : vivi buſtum memorare ſepulchri ,
Ructantemque patrem natos , ſolemque reverſum ,
Et caecum ſine luce diem : Thebana iuvabit
Dicere bella uteri , mixtumque in fratre parentem :
Quin et Medeae natos , fratremque , patremque :
Hinc veſtes , flammas illinc pro munere miſſas ,
Aëriamque fugam , iunctoſque in curribus angues .
Mille alias rerum ſpecies in carmina ducent .

Forſitan

Vulg. v. 461. ATRI LUCTUM. 463. SOLE. 465. QUAERERE. 467. VECTOSQUE EX IGNIBUS ANNOS. 468. CARMINE.

Recte hoc explicat Gronovius Obſerv. ii, 11. Componet Cepheus paedagogum, *qui dominus*, iuſſu heri maioris dominus conſtitutus, *ſequatur dominum*, herilem filium, herum minorem : et interim credat ſe revera dominum ſui domini eſſe, ſuperbiens imagine iuris, ſibi tantum pro tempore commiſſi.

V. 461. GAUDEBUNT, ATRI LUCTUM MEMORARE SEPULCHRI. Quis iſte *luctus atri ſepulchri ?* Antigonae, inquiunt, apud Sophoclem. O pauperis venae poëtam ; ſi non aliis verbis Antigonen monſtrare potuit, quam quae alii cuicumque funeri aeque conveniant. Pro *atri luctum* Gemblacenſis et Lipſienſis *atri luxum* ; Voſſianus *aure luxum*. Repone,

Gaudebunt VIVI BUSTUM *memorare ſepulchri.*

Thyeſten intelligit ; ut et ſequentia probant. *Buſtum vivi ſepulchri*, ἔμψυχος τάφος. Lucretius v, 991.

Viva *videns* vivo ſepeliri *corpora* buſto.

Ovid Met. vi, 665. de Tereo :

Flet modo, ſeque vocat buſtum *miſerabile nati.*

Statius Theb. vii, 20.

offenſique ſedent ad buſta ſepulchri.

ubi MS. Regius *iuſta*.

V. 462. SOLEMQUE REVERSUM, . ET CAECUM SINE SOLE DIEM. Haec inepta ſunt. Repone,

noctemque reverſam,
Et caecum ſine ſole diem.

vel potius, *ſolemque reverſum,*
Et caecum ſine LUCE *diem.*

Luce et *ſole* ſaepe permutantur.

V. 463. THEBANA IUVABIT DICERE BELLA UTERI. Statius Theb. xi, 408. de re eadem,

Stat conſanguineum campo ſcelus, unius ingens
Bellum uteri.

V. 465. QUAERERE MEDEAE NATOS FRATREMQUE PATREMQUE. Quorſum illud *Quaerere? Ex perſona Iaſonis*, inquit Scaliger, *interfectos a Medea natos quaerentis et deſiderantis.* Eſto hoc Iaſonis : at cuius eſt quaerere Abſyrtum *fratrem*, et patrem *Aeaetam*. An et hoc Iaſonis ? Lipſienſis et Voſſianus *Quere tunedee natos*. Repone,

QUIN ET *Medeae natos fratremque patremque.*

Quin et iuvabit dicere Medeae natos.

V. 467. AERIAMQUE FUGAM, VECTOSQUE EX IGNIBUS ANNOS. Reineſius mavult, *tractoſque*. Huetius, *vectoſque ex ignibus angues. Nam conflagrante*, inquit, *Creontis*

Forsitan ipse etiam Cepheus referetur in actus.
At si quis studio scribendi mitior ibit,
Comica componet laetis spectacula ludis.
Ardentes iuvenes, raptasque in amore puellas,
Elusosque senes, agilesque per omnia servos,
Quîs in cuncta suam produxit saecula vitam
Doctor in urbe sua linguae sub flore Menander,
Qui vitae ostendit vitam, chartisque sacravit.
Et, si tanta operum vires commenta negarint,
Externis tamen aptus erit nunc voce poëtis,
Nunc tacito gestu; referetque affectibus ora,

Et

Vulg. v. 469. GESTUS. 479. SATURO.

ontis regia, Medea fugit. Atqui ipsa non tum erat in domo Creontis. Pro *vectos* Gemblacensis et Lipsiensis *nectos*; Vossianus *noctos*. Repono,

Aeriamque fugam, IUNCTOSQUE IN CURRIBUS ANGUES.

Ovid. Fast. iv, 497, de Cerere;

fraenatos curribus angues
Iungit.

V. 468. IN CARMINE DUCENT. Immo *in* CARMINA; ut et Huetius.

V. 469. FORSITAN IPSE ETIAM GESTUS REFERETUR IN ACTUS. Quid est *gestus referetur in actus?* Verba sensu vacua. Pro *gestus* Vossianus *cesens*. Repone,

Forsitan ipse etiam CEPHEUS *referetur in actus.*

Ipse forsitan *Cepheus* erit dramatis argumentum. Cepheus persona erat in fabula Andromeda Sophoclis, Euripidis, Ennii, Accii. *Referetur in actus*; ut Horatius, A. Poet. 129.

Rectius Iliacum carmen deducis in actus
Quam si proferres ignota indictaque primus.

V. 475. DOCTOR IN URBE SUA. Gemblacensis *Doctor urbe sua.* Lipsiensis et Vossianus *Doctior orbe sua.* Bene habet lectio recepta. *Doctor* est διδάσκαλος, poeta ipse: unde *fabulam docere*, hoc est, componere.

V. 476. QUI VITAE OSTENDIT VITAM. Apollodorus Scaligero citatus;

ὦ Μένανδρε καὶ Βίε,
Πότερος ἄρ' ὑμῶν πότερον ἀπεμιμήσατο.

Martialis viii, 3.

At tu Romano lepidos sale tinge libellos:
Agnoscat mores vita legatque suos.

Sententia igitur est, Menander, qui mores saeculi saeculo ostendit.

V. 478. EXTERNIS TAMEN APTUS ERIT NUNC VOCE POETIS, NUNC SATURO GESTU. Quid sit *saturo gestu*, laborat Scaliger expedire; sed frustra. Libri veteres *hesternis*; et *actus* non *aptus*. Pro *saturo* autem Gemblacensis et Lipsiensis *tanto*, Vossianus *tacito*. Repone,

Externis tamen aptus erit nunc voce poëtis
Nunc TACITO *gestu.*

Voce, actor. quales Roscius et Aesopus; *tacito gestu*, pantomimus, quales Pylades et Bathyllus.

V.

Et sua dicendo faciet; solusque per omnes
Ibit personas, et turbam reddet in uno:
Aut magnos Heroas aget, scenisque togatas.
Omnis fortunae vultum per membra reducet,
Aequabitque choros gestu, cogetque videre
Praesentem Troiam, Priamumque ante ora cadentem.

Nunc aquilae sidus referam, quae parte sinistra
Rorantis iuvenis, quem terris sustulit ipsa,
Fertur, et extentis praedam circumvolat alis.
Fulmina missa refert, et caelo militat ales,
Bis sextamque notat partem fluvialis aquari.
Illius in terris orientis tempore natus
Ad spolia et partas surget vel caede rapinas.
Cumque hominum dederit strages, dabit ille ferarum:
Nec pacem a bello, civem discernet ab hoste.
Ipse sibi lex est; et, qua fert cumque voluntas,
Praecipitat vires: laus est contendere cuncta.
At si forte bonis accesserit impetus ausis,
Improbitas fiet virtus. et condere bella,
Et magnis patriam poterit decorare triumphis.

Et

Vulg. v. 497. ET SI. 499. ORNARE.

V. 482. AUT MAGNOS HEROAS AGET, SCENISQUE TOGATAS. Vetusti quattuor *togatus*. Versus spurius et barbarus; qui et mediam sententiam interrumpit.

V. 493. CUMQUE HOMINUM DEDERIT. Versus, opinor, spurius, sententiam mediam interrumpens.

V. 497. ET SI FORTE. Immo, AT *si forte*.

V. 499. POTERIT ORNARE TRIUMPHIS. Vetusti codices *poterunt*. Repone,

Et magnis patriam poterit DECORARE *triumphis.*

Cicero: *Scipiones patriam spoliis* triumphisque *decorarunt.*

V. 510. AUREA PHOEBEIS CERTANTIA LUMINA FLAMMIS, GEMMARUMQUE IULI RADIANTES LUCIBUS IGNES. Pro *Iuli* Gemblacensis *iub*; Vossianus *Gemmarumque abradientes*. Repono,

Aurea Phoebeis certantia CULMINA *flammis,*
Gemmarum IUBAR, *radiantes lucibus ignes.*

Seneca

Et quia non tractat volucris, sed suggerit, arma;
Immissosque refert ignes, et fulmina reddit;
Regis erit magnive ducis per bella minister,
Ingentesque suis praestabit viribus usus.
At cum Cassiope, bis denis partibus actis,
Aequorei iuvenis dextra de parte resurgit,
Artifices auri faciet; qui mille figuris
Vertere opus possint, caraeque acquirere dotem
Materiae, et lapidum vivos miscere colores.
Hinc augusta nitent sacratis munera templis,
Aurea Phoebeis certantia culmina flammis,
Gemmarumque iubar, radiantes lucibus ignes.
Hinc Pompeia manent veteris monimenta triumphi,
Et Mithridateos vultus induta tropaea.
Et quod erat regnum, pelagus fuit: una malorum
Non extincta lues, semperque recentia flammis.
Hinc lenocinium formae, cultusque repertus
Corporis, atque auro quaesita est gratia frontis,
Perque caput ducti lapides, per colla, manusque,
Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.

Quid

Vulg. v. 510. LUMINA. 511. IUBI.

Seneca ad Helviam, c. x. *Maiores nostri, quorum tecta nondum auro fulgebant, quorum templa nondum gemmis nitebant.*

V. 513. ET MITHRIDATEOS VULTUS INDUTA TROPAEA. Hunc versum, qui in scriptis post versum 509 venit, huc reduxi; sententia praecipiente: nam tropaea vultu Mithridatis in Pompeii triumpho ferebantur.

V. 514. ET QUOD ERAT REGNUM PELAGUS FUIT, UNA MALORUM NON EXTINCTA LUES SEMPERQUE RECENTIA FLAMMIS. Hos versus monstrosos vocat Scaliger, nec voluit attingere. Interpolatoris esse credo, et de Mithridate accipiendos.

Cui quod erat regnum pelagus fuit: una malorum
Non extincta lues, semperque recentior annis.

Pelagus, quia Mithridates rex Ponti. Cetera explicabit Iustinus xxxvii, 1. *Cum eum* (Mithridatem) *Sylla, Lucullus, ceterique, in summa Cn. Pompeius, ita vicerint; ut maior clariorque in restaurando bello resurgeret, damnisque suis terribilior redderetur.*

V.

Quid potius matrona velit tractare creatos,
Quam factum revocare suos quod possit ad usus?
Ac ne materies tali sub munere desit,
Quaerere sub terris aurum, furtoque latentem
Naturam eruere omnem, orbemque invertere praedae
Imperat, et glebas inter deprendere gazam,
Invitamque novo tandem producere caelo.
Ille etiam fulvas avidus numerabit arenas,
Perfundetque novo stillantia litora ponto,
Magnaque ramentis faciet momenta minutis.
Protulit, ut legeret census spumantis in aurum,
Et perlucentes cuperet prensare lapillos.
Vorticibus mediis oculos immittet avaros.
Et coquet argenti glebas, venamque latentem
Eruet,

Vulg. v. 528. STELLANTIA. 529 PARVAQUE.

V. 520. QUID POTIUS MATRONA VELIT TRACTARE CREATOS, QUAM FACTUM REVOCARE SUOS QUOD POSSIT AD USUS? Et hos pro spuriis habet Scaliger; *ex quibus nemo bonam sententiam eruerit.* Est αἰτιολογία, cur Cassiope aurifices creet. *Quid potius* Cassiope, ipsa *matrona, tractare velit* suo sidere *creatos, quam quod suos ad usus*, ad lenocinia formae *revocare possit.*

V. 528. PERFUNDETQUE NOVO STELLANTIA LITORA PONTO. Vetusti omnes STILLANTIA; quod verum esse antithesis probat. Novo ponto perfundet litora, adhuc vetere stillantia.

V. 529. PARVAQUE RAMENTIS FACIET MOMENTA MINUTIS. An *parva* momenta ex ramentis auri? Immo MAGNA: quod et antithesis postulat: magna emolumenta ex minutis ramentis. Noster ii, 448.

Hinc quoque magna *tibi venient* momenta *futuri.*

V. 530. PROTULIT UT LEGERET CENSUS SPUMANTIS IN AURUM, ET PERLUCENTES CUPERET PRENSARE LAPILLOS. Et hi spurii videntur.

V. 535. ET FACTI. Gemblacensis *at.* Recte Vossianus AUT.

V. 536. MUTABIT IN USUS. Vetusti quattuor AD *usus.*

V. 537. FINGIT. Gemblacensis et Lipsiensis FINGET.

V. 542. TIMUIT CUM NAUFRAGA TELLUS. Hoc a Scaligero est: Libri universi: *timuit naufragia tellus.* Atqui *naufragia* secundam corripit. Nec tamen viri magni coniecturae accedimus: nimis enim sero *timet* tellus, cum iam *naufraga* est: neque naufraga esse potuit, nisi prius, ut Delos, erratica fuerit, et mari innaverit. Quae autem tellus? nisi hanc nomine suo dixeris, *tellus*, quod hic absurdum, erit totus terrarum orbis. Poteris reponere,

Incubuit pontus: timuit Cepheïa *tellus.*

ut

Eruet, et ſilicem rivo ſaliente liquabit.
Aut facti mercator erit per utrumque metalli,
Alterum et alterius ſemper mutabit ad uſus.
Talia Caſſiope naſcentum pectora finget.
  Andromedae ſequitur ſidus, quae, piſcibus ortis
Bis ſex in partes, caelo venit aurea dextro.
Hanc quondam poenae dirorum culpa parentum
Prodidit, infeſtus totis cum finibus omnis
Incubuit pontus, timuit Mauruſia tellus.
Propoſita eſt merces, veſano dedere ponto
Andromedan, teneros ut bellua manderet artus.
Hic Hymenaeus erat: ſolataque publica damna
Privatis lacrimis ornatur victima poenae,
Induiturque ſinus non haec ad vota paratos,

Virginis

Vulg. v. 535. ET. 536. IN. 537. FINGIT. 542. CUM NAUFRAGA. 545. SOLAQUE IN. 546. PRO NATIS LACRIMANS—POENA. 547. IN.

ut Ovid. Met. iv, 668, de Perſeo;

Gentibus innumeris circumque infraque relictis,
Aethiopum populos Cepheïa *conſpicit* arva.

Sed placet magis, quod a codicum lectione *naufragia* propius abeſt,

Incubuit pontus: timuit MAURUSIA *tellus.*

Sic infra 585.

ſonat undique Syrtis,
Atque ipſi metuunt *montes ſcopulique ruentem.*

Mauri autem Syrtis accolae. Horat. Carm. ii, vi, 3.

Barbaras Syrtes, *ubi* Maura *ſemper*
Aeſtuat unda.

Claud. ii, Stil. 278.

Namque feras aliis tellus Mauruſia *donum*
Praebuit: huic ſoli debet, ceu victa, tributum.

V. 545. HIC HYMENAEUS ERAT: SOLAQUE IN PUBLICA DAMNA PRO NATIS LACRIMANS ORNATUR VICTIMA POENA. *Si non eſt mendum*, inquit vir magnus, dum haec explicare conatur. Huetius legit, *Pro* cunctis *lacrimans*. Sed uterque illud praeteriit, *ſolâ poenâ ornatur:* quod quid ſibi velit, ne Oedipus quidem coniectaverit. Gemblacenſis *ſolaque publica*; non habet *in*. *Primatis* habet Venetus, non *pro natis:* Voſſianus vero *privatis*. Ex his veſtigiis repono,

Hic hymenaeus erat: SOLATAQUE *publica damna*
PRIVATIS LACRIMIS *ornatur victima* POENAE.

Solabatur Andromede damna publica privatis ſuis lacrimis: quippe ob ſalutem patriae expoſita. *Poena* eſt ipſa bellua; ut mox verſu 591.

Adnantemque tibi poenam *pelaguſque ferentem.*

V. 547. NON HAEC IN VOTA PARATOS. Vetuſti quattuor AD *vota*.

Virginis et vivae rapitur ſine funere funus.
Ac ſimul infeſti ventum eſt ad litora ponti,
Mollia per duras panduntur brachia cautes:
Aſtrinxere pedes ſcopulis, iniectaque vincla,
Et cruce virginea moritura puella pependit.
Servatur tamen in poena cultuſque pudorque.
Supplicia ipſa decent. nivea cervice reclinis
Molliter ipſa, ſuae cuſtos eſt ipſa figurae.
Defluxere ſinus humeris, fugitque lacertos
Veſtis, et effuſi ſcapulis luſere capilli.
Te circum Alcyones pennis planxere volantes,
Fleveruntque tuos miſerando carmine caſus,
Et tibi contextas umbram fecere per alas.
Ad tua ſuſtinuit fluctus ſpectacula pontus,
Aſſuetaſque ſibi deſiit perfundere ripas.
Extulit et liquido Nereis ab aequore vultus;
Et caſus miſerata tuos roravit et undas.
Ipſa levi flatu refovens pendentia membra

Aura

Vulg. v. 549. AT. 553. VULTUSQUE. 555. SOLA. 557. SCOPULIS HAESERE. 563. VULTUM.

V. 549. AT SIMUL INFESTI. Libri veteres AC *ſimul*.

V. 551. ASTRINXERE PEDES SCOPULIS, INIECTAQUE VINCLA. Verſus ſpurius et inſulſus; *cautes* et mox *ſcopuli*; *adſtrinxere* et poſtea *vincla*. Hoc ſublato nitidiora ſunt reliqua.

V. 553. SERVATUR TAMEN IN POENA VULTUSQUE PUDORQUE. Quomodo *vultus* ſervatur, qui *lacrimis* opplebatur. Repone,

Servatur tamen in poena CULTUSQUE *pudorque*.

Curatum eſt, ne a partibus, quas viris videre non fas eſt, veſtis difflueret. Ovid Met. xiii, 480. de Polyxena;

Tum quoque cura fuit partes velare tegendas,
Cum caderet, caſtique decus ſervare pudoris.

V. 554. NIVEA CERVICE RECLINIS, MOLLITER IPSA SUAE CUSTOS EST SOLA FIGURAE. Vetuſti quattuor, pro *ſola* habent *ipſa*. Recte,

ipſa ſuae cuſtos eſt IPSA *figurae*.

Ipſa multo mollius ſuaviuſque quam *ſola*.

V. 556. FUGITQUE LACERTOS VESTIS, ET EFFUSI SCOPULIS HAESERE CAPILLI. Cur *ſcopulis capilli haeſerint*, cauſa nulla eſt, niſi cum inluvie ipſius virginis iuncta. Quomodo vero *haeſerunt*, et tamen *effuſi*?

Scopulis

Aura per extremas resonavit flebile rupes.
Tandem Gorgonei victorem Persea monstri
Felix illa dies redeuntem ad litora duxit.
Isque, ubi pendentem vidit de rupe puellam,
Diriguit, facies quem non stupefecerat hostis:
Vixque manu spolium tenuit: victorque Medusae
Victus in Andromeda est. iam cautibus invidet ipsis,
Felicesque vocat, teneant quae membra, catenas.
At postquam poenae causam cognovit ab ipsa,
Destinat in thalamos per bellum vadere ponti,
Altera si Gorgo veniat, non territus ire.
Concitat aërios cursus, flentesque parentes
Promissu vitae recreat, pactusque maritum
Ad litus remeat. gravidus iam surgere pontus
Coeperat, et longo fugiebant agmine fluctus
Impellentis onus monstri. caput eminet undas
Scandentis, pelagusque vomit. circumsonat aequor
Dentibus, inque ipso rapidum mare navigat ore.

Hinc

Vulg. v. 570. FACIE. 582. SCINDENTIS—MOVET.

Scopulis a Scaligero est; libri universi *scapulis*. Repone,

fugitque lacertos
Vestis, et effusi SCAPULIS LUSERE *capilli.*

Effusi scapulis sive *humeris, cervice.* Seneca Apocolocyntosi de Nerone;

flagrat nitidus fulgore remisso
Vultus, et effuso cervix *formosa capillo.*

Ovid. Met. vi, 167.

movensque decoro
Cum capite immissos humerum per utrumque *capillos.*

et iv, 672. de hac ipsa re;

nisi quod levis aura capillos
Moverat, *et trepido manabant lumina fletu,*
Marmoreum ratus esset opus.

Capilli *lusere*, ut Virgilius Aen. xi, 497.

luduntque *iubae per colla, per armos.*

V. 563. AB AEQUORE VULTUM. Vossianus *vulta*. Gemblacensis recte VULTUS.

V. 571. DIRIGUIT FACIE, QUEM NON STUPEFECERAT HOSTIS. *Diriguit* facie; cuius? Suane facie an Andromedae? *Diriguit* semper absolute venit. Repone,

Diriguit, FACIES *quem non stupefecerat hostis.*

Quem *facies Medusae*, quae in saxa vertebat omnia, non stupefecerat.

V. 576. ALTERA SI GORGO VENIAT. Sic codices: ut Graeci Γοργὼ, γοργοῦς.

V. 582. SCANDENTIS PELAGUSQUE MOVET. At *movere pelagus* leve est: cum iam *fluctus* onus impellentis longo agmine fugissent. Vossianus *movit*. Repone,

caput

Hinc vasti surgunt immensis torquibus orbes,
Tergaque consumunt pelagus. sonat undique Syrtis,
Atque ipsi metuunt montes, scopulique ruentem.
Infelix virgo, quamvis sub vindice tanto,
Quae tua tunc fuerat facies? quam fugit in auras
Spiritus? ut toto caruerunt sanguine membra?
Cum tua fata cavis e rupibus ipsa videres,
Adnantemque tibi poenam, pelagusque ferentem,
Quantula praeda maris? plausis hic subvolat alis
Perseus, et caelo pendens sic fertur in hostem,
Gorgoneo tinctum defigens sanguine ferrum.
Illa subit contra, versamque a gurgite frontem
Erigit, et tortis innitens orbibus alte

Emicat,

Vulg. v. 584. VASTIS URGENT IMMENSI. 592. SED PENNIS—ALTE. 593. IACULATUR. 595. ASSURGENS CONVERSAQUE.

caput eminet undas
SCANDENTIS, *pelagusque* VOMIT.

Scandentis, non *scindentis*. Si enim *eminet*, quomodo aquas *scindit*? Ovid. Met. xv, 513. de tauro marino Hippolyti;

Pectoribusque tenus molles erectus *in auras*
Naribus et patulo partem maris evomit *ore*.

V. 584. HINC VASTIS URGENT IMMENSI TORQUIBUS ORBES. Libri omnes *immensis*. Vossianus insuper, *Hinc nasci surgent*. Repone,

Hinc VASTI SURGUNT IMMENSIS *torquibus orbes*.

V. 585. SONAT UNDIQUE SYRTIS. Sic libri recentiores: sed veteres *fortis*. Vossianus *fortus*. Unde Vossius ad Catullum legit,

sonat undique Phorcys.

Phorcys, ait, *poëtice pro mari*. Syrtis *nihil ad oceanum*. Atqui recte *Syrtis*: res enim agitur in Mauritania.

V. 592. SED PENNIS SUBVOLAT ALTE PERSEUS. Sic recentiores codices: sed vetusti aliter. Gemblacensis, *quantis hic subvolat undis*. Ceteri tres *quantis hic subvolat alis*. Repone,

Quantula praeda maris? PLAUSIS HIC *subvolat* ALIS.

Propius ad receptam lectionem, *quassis*; ut Gratius Halieut. versu 8.

Concussisque *levis* pennis *sic evolat ales*.

Sed *plausis* ab auctore est. Virgilius Aen. v, 515.

Iam vacuo laetam caelo speculatus, et alis
Plaudentem *nigra figit sub nube columbam*.

Ovid. Met. xiv, 507.

numerusque ex agmine maior
Subvolat, *et* plausis *remos circumvolat* alis.

V. 593. ET CAELO PENDENS IACULATUR IN HOSTEM. Mendosum est τὸ *iaculatur*: sola enim harpe, sive ense falcato, utebatur in pugna; quam e manu dextra non dimittebat. Quid quod *iaculatus* quinto abhinc versu iterum habemus. Repono,

et caelo pendens SIC FERTUR *in hostem*.

Virgilius Georg. iii, 236.

Signa movet, praecepsque oblitum fertur in hostem. et, Aen. ii, 511.

densos fertur *moriturus* in hostes.

V.

†

Emicat, ac toto ſublimis corpore fertur.
Sed quantum illa ſubit, ſeque eiaculata profundo eſt,
Is tantum revolat, laxumque per aethera ludit.
Perſeus, et Ceti ſubeuntis verberat ora.
Nec cedit tamen illa viro, ſed ſaevit in auras
Morſibus, et vani crepitant ſine vulnere dentes.
Efflat et in caelum pelagus, mergitque volantem
Sanguineis undis, pontumque extollit in aſtra.
Spectabat pugnam pugnandi cauſa puella;
Iamque oblita ſui, metuit pro vindice tali
Suſpirans, animoque magis quam corpore pendet.
Tandem confoſſis ſubſedit bellua membris,
Plena maris, ſummaſque iterum remeavit ad undas,

Et

Vulg. v. 598. SEMPER IACULATA profundo. 599. IN. 609. ſummas ITERUMQUE RENAVIT.

V. 595. ILLA SUBIT CONTRA ASSURGENS, CONVERSAQUE FRONTEM ERIGIT. Mirum quantum ab hac recentiorum codicum lectione variant vetuſti. Gemblacenſis et Lipſienſis,

Illa ſubit contra verſaque aſſurgit a fonte.

Voſſianus,

Illa ſubit contra verſaque a gurgite fonte.

Unde liquida eſt emendatio,

Illa ſubit contra, VERSAMQUE A GURGITE *frontem*
Erigit.

V. 598. SED QUANTUM ILLA SUBIT SEMPER IACULATA PROFUNDO, IN TANTUM REVOLAT LAXUMQUE PER AERA LUDIT. Illud *ſemper* ignave et inſulſe: et *iaculata* abſolute quid hic facit? quibus iaculis uſa eſt bellua. Rectius Gronovius Obſerv. ii, 11. *ſemet iaculata*. Repone,

Sed quantum illa ſubit, SEQUE EIACULATA *profundo* EST,
IS *tantum revolat, laxumque per aethera ludit.*

Plin. Hiſt x, 54. *Aliquae avium* eiaculantur ſeſe *in ſublime*. Ovid. Met. vi, 259.

Expulit hanc ſanguis, ſeque eiaculatus *in altum*
Emicat.

V. 600. PERSEUS, ET CETI SUBEUNTIS VERBERAT ORA. Verſus irreptitius. *Sed quantum* illa *ſubit*; et mox, *Nec cedit tamen* illa *viro*: inter haec feminina maſculinum *ceti* intervenire non debet. Addidit hunc verſum interpolator; poſtquam *is tantum* mutatum erat in *in tantum*. Tum enim *revolat* opus habebat nominativo *Perſeus*.

V. 609. SUMMAS ITERUMQUE RENAVIT AD UNDAS. Illud *que* vitioſe hic locatur. Gemblacenſis *ſummaſque iterum renavit*. Lipſienſis et Voſſianus, *ſummaſque iterum regnavit*. Repone cum Veneto,

ſummaſque iterum REMEAVIT *ad undas.*

ut ſupra verſu 579,

pactuſque maritum
Ad litus remeat.

V.

Et magnum vaſto contexit corpore pontum ,
Tunc quoque terribilis , nec virginis ore videnda .
Perfundit liquido Perſeus in marmore corpus ,
Maior et ex undis ad cautes provolat altas ,
Solvitque haerentem vinclis de rupe puellam ,
Deſponſam pugna , nupturam dote mariti .
Hic dedit Andromedae caelum , ſtelliſque ſacravit ,
Mercedem tanti belli , quo concidit ipſa
Gorgone non levius monſtrum , pelaguſque levavit .
Quiſquis in Andromedae ſurgentis tempora ponto
Naſcitur , immitis veniet , poenaeque miniſter ,
Carceris et duri cuſtos , quo ſtante ſuperbo
Proſtratae iaceant miſerorum in limine matres ,

Pernoctesque

Vulg. v. 612. PERFUDIT. 613. PERVOLAT. 617. CONDIDIT. 619. TEMPORE. 621. SUPERBAE.

V. 612. PERFUDIT LIQUIDO. Immo PERFUNDIT cum Voſſiano : ut mox *Provolat*.

V. 613. PERVOLAT. Inepte. Repone, PROVOLAT.

V. 617. QUO CONDIDIT IPSA GORGONE NON LEVIUS MONSTRUM. *Condere monſtrum*, ait Scaliger, *ut condere bellum, luſtrum, diem ; eſt finire*. Immo repone,

quo CONCIDIT *ipſa*
Gorgone non levius monſtrum.

Virgilius Aen. xi, 245.

Contigimuſque manum, *qua* concidit *Ilia tellus.*

Ovidius Faſt. iii, 550.

Ipſa ſua Dido concidit *uſa manu.*

V. 619. QUISQUIS IN ANDROMEDAE SURGENTIS TEMPORE PONTO NASCITUR. Repone ex Gemblacenſi, Lipſienſi et Veneto, *ſurgentis* TEMPORA *ponto*. Naſcitur in tempora Andromedae ponto ſurgentis.

V. 621. QUO STANTE SUPERBAE PROSTRATAE IACEANT. Immo SUPERBO.

V. 625. CARNIFICISQUE VENIT MORTEM DUCENTIS IMAGO. *Mortem ducentis, Argute*, inquit Scaliger. Nihil minus. Gemblacenſis *vincentis* : Lipſienſis et Voſſianus *vindentis*. Repone,

Carnificiſque venit mortem VENDENTIS *imago.*

Probat quod mox ſequitur,

Supplicium vectigal *erit.*

V. 626. ACCENSISQUE ROGIS ET STRICTA SAEPE SECURI. Unde ablativus hic caſus regatur, fruſtra quaeras. Libri omnes, *Accenſoſque rogos*. Illud vero *ſaepe* quid hic facit ? Repone,

ACCENSOSQUE ROGOS, *et* TINCTAS CAEDE SECURES.

Horatius Carm. iii, xxiii, 12.

Victima pontificum ſecurim
Cervice tinguet.

Tinctas *caede*, idem quod ſanguine, cruore. Ovid. Pont. ii, ix, 56.

Sumere, et hoſtili tingere caede *manum*.

V.

Pernoctesque patres cupiant extrema suorum
Oscula, et in proprias animam transferre medullas:
Carnificisque venit mortem vendentis imago,
Accensosque rogos, et tinctas caede secures.
Supplicium vectigal erit. qui denique posset
Pendentem e scopulis ipsam spectare puellam:
Interdum poenis innoxia corpora servat,
Vinctorum dominus, sociusque in parte catenae.
Piscibus exortis, cum pars vicesima prima
Signabit terrae limen, fulgebit et orbi;
Aërius nascetur equus caeloque volabit,
Velocesque dabit sub tali tempore partus,
Omne per officium vigilantia corda ferentes.

Hic

Vulg. v. 625. DUCENTIS. 626. ACCENSISQUE ROGIS et STRICTA SAEPE SECURI. 627. POSSIT. 632. SIGNATOR TERRAE LUMEN. 635. COME—MEMBRA.

V. 627. QUI DENIQUE POSSIT. Immo POSSET cum Gemblacensi et Vossiano.

V. 629. INTERDUM POENIS INNOXIA CORPORA SERVAT, VINCTORUM DOMINUS, SOCIUSQUE IN PARTE CATENAE. Hi duo versus in libris scriptis ordinem inter se mutaverant. Nos sic, ut vides, posuimus, manifesto sententiae commodo.

V. 631. PISCIBUS EXORTIS CUM PARS VICESIMA PRIMA SIGNATOR TERRAE LUMEN FULGEBIT, ET ORBI AERIUS NASCETUR EQUUS. *Pars* xxi. *piscium*, *lumen signator terrae*, (appositive) *fulgebit*, *et*, statim, *equus nascetur*. Apage illud *Signator lumen*. Gemblacensis et Lipsiensis *Signato terrae lumen*; Vossianus *Signavit terra limen*. Repone et distingue,

Piscibus exortis, cum pars vicesima prima
SIGNABIT TERRAE LIMEN, *fulgebit et orbi*;
Aërius nascetur equus.

Signabit limen terrae, hoc est, stringet lineam horizontalem. Sic i, 581.

Proximus hunc ultra, brumalis nomine gaudens,
Ultima designat *fugientis* limina *solis*.

V. 635. COME PER OFFICIUM VIGILANTIA MEMBRA FERENTES. Gemblacensis, Lipsiensis, et Vossianus *Come:* Venetus *Roma*; recentiores, *Omne*. Repone,

OMNE *per officium vigilantia* CORDA *ferentes*.

Omne officium; ut Claudian. Eutrop. i, 367.

communiter omni
Fungitur officio, *gaudetque potentia flecti*.

Vigilantia corda: nam certe *vigilantia membra* nimis dure et audacter. Sic noster alibi, *vigilanti mente*, *vigilanti sensu*. Supra v, 63.

Indelassato properantia corda *vigore*.

Sic, *martia corda*, *tremebunda corda*, *lepore tincta corda*. Silius viii, 210, de Annibale.

Anxia ducebat vigili *suspiria* corde.

Sic lego pro vulgata *voce:* non ut Heinsius *nocte:* res enim interdiu est acta.

Hic glomerabit equo gyros, dorſoque ſuperbus
Ardua bella geret rector cum milite mixtus.
Hic ſtadium fraudare fide, poteritque videri
Mentitus paſſus, et campum tollere curſu.
Quamvis extremo citius revolaverit orbe
Nuntius extremum velox penetraverit orbem.
Vilibus ille etiam ſanabit vulnera ſuccis
Quadrupedum: et medicas herbas in membra ferorum
Noverit, humanos et quae naſcentur ad uſus.
Nixa genu ſpecies, et Graio nomine dicta
Engonaſi,

Vulg. v. 638. NUNC STADIO—FIDEM. 639. MENTIRI—CAMPO—CURSUM. 641. VEL BIS. 643. ARTES—FERARUM.

V. 638. NUNC STADIO FRAUDARE FIDEM, POTERITQUE VIDERI MENTIRI PASSUS, ET CAMPO TOLLERE CURSUM. Haec mendoſa ſunt; *fraudare fidem* et *tollere curſum campo*; utrumque vitioſe. Libri veteres, *Hic ſtadium*, et *mentitus*, et *campum curſu*. Repone,

HIC STADIUM *fraudare* FIDE, *poteritque videri*
MENTITUS *paſſus*, *et* CAMPUM *tollere* CURSU.

Fraudare ſtadium fide; tam celeriter curret, ut ſtadium juſto brevius eſſe, et campus ipſe tolli, videatur. Nemeſianus Cyneget. verſu 289.

Longa volunt, latumque fuga conſumere *ire viarum*
campum.

Sic *corripere campum*; Virgilius, Aen. v, 145.

V. 640. QUAMVIS EXTREMO CITIUS REVOLAVERIT ORBE NUNTIUS, EXTREMUM VEL BIS PENETRAVERIT ORBEM. Haec portentoſa ſunt; callide tamen ab interpretibus diſſimulata. Aut uterque ſpurius eſt, aut poſterior ſic refingendus. Pro *vel bis* Venetus *ve toris*; Voſſianus, *velle bis*. Repono,

Nuntius extremum VELOX *penetraverit orbem.*

Claudianus, Prob. et Olyb. 174.

Dixerat, et velox *jam* nuntius *advolat urbem.*

Prior verſus videri poteſt ex poſteriore per variantes lectiones conflatus.

V. 643. QUADRUPEDUM: MEDICAS ARTES IN MEMBRA FERARUM NOVERIT. Cum dicit *naſcentur*, herbas vult, non artes. Libri veteres, *et medicas*. Repone,

ET *medicas* HERBAS *in membra* FERORUM.

Statius Achill. i, 116, de Chirone;

nam tum labor unus inermi,
Noſſe *ſalutiferas dubiis animantibus* herbas.

Vide ſupra v, 353.

Ille tenet medicas herbas *ad membra* ferorum. etiam Scaliger hic *ferorum*.

V. 646. ET GRAIO NOMINE DICTA ENGONASI INGENICLA NITENS SUB ORIGINE CONSTAT. Gemblacenſis,

Et comes inguicola vides *ſub origine conſtat.*

Lipſienſis,

Et comas inguicula vides *ſub origine conſtat.*

Voſſianus,

Et gonas ingui onlandos *ſub origine conſtat.*

Ex his veteris et verae lectionis veſtigiis nata eſt hodierna lectio. Scaliger tentabat,

Engonaſi, ingenicla cui pes ſuffragine *conſtat*:

ſed ſtatim conjecturae pertaeſus, deſperabat. Voſſius ad Catullum hoc modo,

Engonaſi, ingenicla claudens *ab origine conſtat.*

Claudens, inquit, eſt *claudicans*. Nimirum infirmo eſt talo, claudicatque haec conjectura. Unde vero eſt, quod plerique quaſi certam lectionem ſumunt barbarum illud *ingenicla* Nemo.

Engonaſi, (ignota facies ſub origine conſtat)
Dextra per extremos attollit lumina piſces.
Hinc fuga naſcentum, dolus, inſidiaeque creantur,
Graſſatorque venit media metuendus in urbe.
Et ſi forte aliquas animis exſurget in artes,
In praerupta dabit ſtudium, vendetque periclo
Ingenium. ac tenues auſus ſine limite greſſus
Certa per extentos ponet veſtigia funes;
At caeli meditatus iter veſtigia perdet
Pene ſua, et pendens populum ſuſpendet ab ipſo.

Laeva

Vulg. v. 646. INGENICLA NITENS. 650. ANIMO CONSURGET. 651. VINCETQUE. 652. AUT. 653. PONIT. 654. ET. 655. ET PENE UT—SUSPENDIT.

mo vel ante vel praeter Firmicum *ingeniculus* dixit viii, 17; et vel ibi neſcio an *in genibus* Firmicus ſcripſerit, ut Graeci ἐν γόνασι. Certe apud Noſtrum, qui priore verſu dixerat *Nixa genu ſpecies*, ineptiſſimum fuerit *ingenicla* addere, quod idem eſt ac *genu nixa*. Sic et i, 322;

Nixa venit ſpecies genibus, ſibi conſcia cauſae.

Reſtituo tibi, quod ab auctore venerat,

Nixa genu ſpecies, et Graio nomine dicta
Engonaſi (IGNOTA FACIES *ſub origine conſtat*)
Dextra per extremos attollit lumina piſces.

Ut in libro primo dixerat, *ſibi conſcia cauſae*; nimirum quia nemo alius erat conſcius; ita hic *ignota ſub origine*. *Facies* tamen, inquit, *conſtat*. Omnes in aſteriſmo conſentiunt, iuvenem eſſe genibus nixum; licet, Arato duce, plerique cauſam ſe neſcire fateantur *Facies conſtat ſub ignota origine*: ſic de origine mundi diſſerens i, 147.

Sed facies *quacumque tamen* ſub origine *rerum*
Convenit, *et certo digeſtum eſt ordine corpus.*

V. 650. ET SI FORTE ALIQUAS ANIMO CONSURGET IN ARTES. Vetuſti quattuor *animus*, et tres *exſurget*. Repone,

Et ſi forte aliquas ANIMIS EXSURGET *in artes.*

Virgilius Georg. iv, 132.

Regum aequabat opes animis. ita paſſim.

V. 651. VINCETQUE PERICLO INGENIUM. Venetus VENDETQUE: recte. Sic iv, 139.

Seque ſua ſemper cupientia vendere *laude.*

V. 652. AUT TENUES AUSUS SINE LIMITE GRESSUS. Pro *aut*, vetuſti quattuor habent AC.

V. 653. PONIT VESTIGIA. Immo PONET.

V. 654. ET CAELI MEDITATUS ITER VESTIGIA PERDET ET PENE UT PENDENS POPULUM SUSPENDIT AB IPSO. Vetuſti libri in mirifica lectione conſentiunt,

Et penena et pendens porulum ſuſpendet ab ipſa.

Unde Scaliger *Et pene ut pendens*; Salmaſius ad Vopiſcum, *Per vacuum et pendens*; Voſſius ad Catullum, *Et perna pendens*. Repono,

AT *caeli meditatus iter veſtigia perdet*
PENE SUA, *et pendens populum* SUSPENDET *ab ipſo.*

Dum per extentum et directum funem incedit, *certa veſtigia ponit*; at cum caeli iter meditatus, per laxum et erectum funem ſcandit, *veſtigia ſua pene perdit*.

Laeva ſub extremis conſurgunt ſidera ceti
Piſcibus, Andromedam ponto caeloque ſequentis.
Hic trahit in pelagi caedes, et vulnera natos
Squamigeri gregis: extentis laqueare profundum
Retibus, et pontum vinclis arctare furentem;
Et velut in laxo ſecuras aequore phocas
Carceribus claudunt raris, et compede nectunt;
Incautoſque trahunt macularum lumine thynnos.
Nec cepiſſe ſat eſt: luctantur rumpere nodos,
Expectantque novas acies, ferroque necantur,
Inficiturque ſuo permixtus ſanguine pontus.
Tum quoque, cum toto iacuerunt litore praedae,
Altera fit caedis caedes: ſcinduntur in artus,
Corpore et ex uno varius deſcribitur uſus.
Illa datis melior ſuccis pars, illa retentis.

Hinc

Vulg. v. 658. HOC. 660. ARMARE SEQUENTEM. 663. VIMINE. 664. CORPORA NODIS. 667. TOTUS. 669. CORPORA.

V. 658. HOC TRAHIT. Immo HIC; nempe *cetus.*

V. 660. ET PONTUM VINCLIS ARMARE SEQUENTEM. *Armare pontum ſequentem vinclis quid ſit neſcio,* inquit Scaliger. At ſcire ſe exiſtimabant Huetius, et ad Statii Silvas Gronovius: nempe *ſequentem,* obſequentem, patientem pontum armare retibus contra piſces. Quid aliud eſt, ſi hoc non eſt, intelligendo nihil intelligere? Vetuſti omnes non *ſequentem,* ſed *furentem.* Repone,

et pontum vinclis ARTARE FURENTEM.

Et Scaliger quidem *artare,* ſed *ſequentem* male retinebat. Pontum furentem et indignantem vinculis coërcent. Ut *arta vincula* paſſim dicuntur; ita Lucanus v, 234.

Artatus *rapido fervet qua gurgite* pontus.

V. 663. INCAUTOSQUE TRAHUNT MACULARUM VIMINE THYNNOS. Quid eſt *vimen* macularum? *Textura,* inquit Scaliger. Cui hoc credibile fiet? Dixiſſet auctor, *naſſarum vimine,* non *macularum:* ut Silius v, 48.

piſcator ad undas,
Ore levem patulo texens de vimine naſſam.

Sed ſententia hoc non recipit. Pro *vimine,* Gemblacenſis *numine;* Lipſienſis et Voſſianus *nomine.* Repone,

Incautoſque trahunt macularum LUMINE *thynnos.*

Maculae ſunt foramina et quaſi feneſtrae retis. Ad thynnorum igitur capturam, qui inter piſces praecipua magnitudine ſunt, retia adhibentur grandibus maculis: quo fit ut thynni non ſentiant aquas opacari vel ſe retibus includi.

V. 664. LUCTANTUR CORPORA NODIS. Repone,

luctantur RUMPERE NODOS.

Thynni luctantur rumpere retia. Sic Horatius Carm. i, i, 28.

Seu rupit *teretes Marſus aper* plagas.

V. 667. PERMIXTUS SANGUINE PONTUS TOTUS, CUM TOTO, &c. Ponenda

eſt

Hinc ſanies pretioſa fluit, floremque cruoris
Evomit, et mixto guſtum ſale temperat oris.
Illa putris turba eſt. ſtrages confunditur omnis,
Permiſcetque ſuas alterna in damna figuras,
Communemque cibis uſum, ſuccumque miniſtrat.
Aut cum caeruleo ſtetit ipſa ſimillima ponto
Squamigerûm nubes, turbaque immobilis haeret,
Excipitur vaſta circumvallata ſagena,
Ingenteſque lacus et Bacchi dolia complet,
Humoriſque vomit ſocias per mutua dotes;
Et fluit in liquidam tabem reſoluta medulla.
Quinetiam magnas poterunt celebrare ſalinas,
Et pontum coquere, et ponti ſecernere virus,
Cum ſolidum certo diſtendunt margine campum,
Adpelluntque ſuo deductum ex aequore fluctum,
Claudendoque

Vulg. v. 676. AT. 677. TERRAEQUE. 680. HUMORESQUE VOMET SOCIA—DOTE. 681. LIQUIDAS TABES—MEDULLAS.

eſt hic, inquit Huetius, τελεία στιγμή. *Totus. cum toto.* Sane ponenda eſt, ſed non poſt *totus*; ne ſententiae commodum aucupantes verſus elegantiam prorſus amittamus. Quid q od ineptum et abſurdum eſt, *totum pontum* thynnorum, qui uno reti clauduntur, ſanguine infici. Gemblacenſis et Lipſienſis, *Totum cum toto*; Voſſianus, *Totum quoque cum toto.* Repone et diſtingue,

Inficiturque ſuo permixtus ſanguine pontus.
TUM QUOQUE, *cum toto jacuerunt litore praedae,*
Altera fit caedis caedes.

V. 668. SCINDUNTUR IN ARTUS CORPORA, ET EX UNO VARIUS DESCRIBITUR USUS. Sic quidem libri veteres: ſed recentiores hic recte;

ſcinduntur in artus;
CORPORE *et ex uno varius deſcribitur uſus.*

Si *corpora* legas; tunc conſtructio erit, *ex uno uſu varius uſus.* Prorſus abſurde.

V. 676. AT CUM CAERULEO. Immo cum vetuſtis AUT.

V. 677. TERRAEQUE IMMOBILIS HAERET. Ineptum illud *terrae: cui* ſi haerent thynni, non poſſunt *circumvallari* ſagena. Vetuſti omnes *turbaeque.* Repone,

Squamigerum nubes, TURBAQUE *immobilis haeret.*

Immobilis prae turba.

V. 680. HUMORESQUE VOMET SOCIA PER MUTUA DOTE. *Vomet humores ſocia dote.* Non intelligo. Gemblacenſis, *Ut moriſque volet.* Lipſienſis pro varia lectione, *Humoriſque volet.* Voſſianus, *Umoreſque volet.* Repone,

HUMORISQUE VOMIT SOCIAS *per mutua* DOTES.

V. 681. ET FLUIT IN LIQUIDAS TABES RESOLUTA MEDULLAS. Monſtrum hoc eſt, *tabes reſoluta fluit in medullas:* immo *medulla reſoluta fluit in tabem.* Repone,

Et

Claudendoque negant. tum demum ſuſcipit auras
Area, tum poſito per ſolem humore niteſcit.
Congeritur ſiccum pelagus, menſiſque profundi
Canities ſepoſta maris; ſpumaeque rigentis
Ingentes faciunt cumulos; pelagique venenum,
Quo perit uſus aquae ſucco corruptus amaro,
Vitali ſale permutant, redduntque ſalubre.
At revoluta polo cum pronis vultibus arctos
Ad ſua perpetuos revocat veſtigia paſſus,
Nunquam tincta vadis, ſed ſemper flexilis orbe:
Aut cynoſura minor cum prima luce reſurgit,
Et pariter vaſtuſve leo, vel ſcorpios acer
Nocte ſub extrema permittunt iura diei:

Non

Vulg. v. 686. UNDAS. 687. PONTUS. 688. MERSIQUE. 689. EMOTA. 690. TUMULOS. 691. QUODQUE ERAT. 692. SALUBREM. 693. PRIMIS. 696. AC. 697. TUM.

Et fluit in LIQUIDAM TABEM *reſoluta* MEDULLA.

Ovid. Met. ix, 175.

Ambuſtique ſonant nervi, caecaque medullis
Tabe liquefactis.

et xiv, 431.

Lactibus extremum tenues liquefacta medullas
Tabuit.

V. 686. TUM DEMUM SUSCIPIT UNDAS AREA, TUM PONTUS PER SOLEM HUMORE NITESCIT. Haec abſurdiſſima ſunt. Tum demum *undas* ſuſcipit: poſtquam undis repleta eſt: et pontus niteſcit per ſolem *humore*; quod fit calore et aeſtu. Vetuſti omnes *ponto*. Repone,

tum demum ſuſcipit AURAS
Area, tum POSITO *per ſolem humore niteſcit.*

Poſito per auras et ſolem humore niteſcit et concreſcit in ſalem.

V. 688. CONGERITUR SICCUM PELAGUS, MERSIQUE PROFUNDI CANITIES EMOTA MARIS. *Siccum pelagus* eſt ſal in fundo areae ſiccus relictus. Quid igitur hic facit *merſi* maris? Gemblacenſis *merſiſque*; Lipſienſis et Voſſianus, *menſiſque*. Omnes quattuor *ſed nota* pro *emota*. Repone,

Congeritur ſiccum pelagus; MENSISQUE *profundi*
Canities SEPOSTA *maris.*

Silius viii, 378.

At quos ipſius menſis ſepoſta *Lyaei*
Setia.

Sepoſita menſis, ſervata, ſeparata, recondita.

V. 690. INGENTES FACIUNT TUMULOS, PELAGIQUE VENENUM, QUODQUE ERAT USUS AQUAE SUCCO CORRUPTUS AMARO, VITALI SALE PERMUTANT, REDDUNTQUE SALUBREM. Et haec ſenſu caſſa ſunt; quippe et mendis et prava diſtinctione laborantia. Pro *Quodque erat*, vetuſti tres *Quodque erit*; Voſſianus, *Quod erit*. Lege et diſtingue,

Ingentes faciunt CUMULOS: *pelagique venenum,*
QUO PERIT *uſus aquae ſucco corruptus amaro,*
Vitali ſale permutant, redduntque SALUBRE.

Etiam *venenum* pelagi *ſalubre* reddunt.

V.

Non inimica ferae tali ſub tempore natis
Ora ferent, placidaſque regent commercia gentes.
Ille manu vaſtos poterit frenare leones,
Et palpare lupos, pantheris ludere captis,
Nec fugiet validas cognati ſideris urſas.
Ille elephanta premet dorſo, ſtimuliſque monebit;
Inque artes hominum, perverſaque munia ducet,
Turpiter in tanto ſcandentem pondere funes.
Ille tigrim rabie ſolvet, pacique domabit;
Quaeque alia infeſtant ſilvis animalia terras,
Iunget amicitia ſecum, catuloſque ſagaces.

* * * *

MULTA DESUNT.

Tertia

Vulg. v. 699. NATUS. 700. FERET PLACIDAS REGET IN. 705. MOVEBIT. 706. MUNERA. 707. CEDENTEM—CUNCTIS.

V. 693. AT REVOLUTA POLO CUM PRIMIS VULTIBUS ARCTOS. Repone,

cum PRONIS *vultibus arctos.*

ut iii, 359. *boreamque rigentem*
Prona *Lycaoniae ſpectantem membra puellae.*

V. 696. AC CYNOSURA MINOR. Vetuſti quattuor AUT.

V. 697. VASTUSVE LEO, TUM SCORPIOS ACER. Pro *tum* vetuſti VEL.

V. 699. NON INIMICA FERAE TALI SUB TEMPORE NATUS ORA FERET, PLACIDAS REGET IN COMMERCIA GENTES. Repone ex vetuſtis omnibus,

Non inimica ferae tali ſub tempore NATIS
Ora FERENT, PLACIDASQUE REGENT *commercia gentes.*

Omnino melius dictu et decentius, *ut ferae non inimica hominibus ora ferant, quam ut homines ora ferae* neſcio cui; quaſi homines morſu feras invadant. Sic ſupra 391.

Non inimica facit ſerpentum membra creatis.

Val. Flacc. iv, 103. *non foedera legum*
Ulla colunt, placidas aut jura tenentia mentes.

V. 704. ILLE ELEPHANTA PREMET DORSO, STIMULISQUE MOVEBIT. Hic verſus in membranis locum cum priore mutaverat. Nos in ſuum ordinem reduximus; duce ipſa ſententia. Non enim urſos, ſed elephantas in artes humanas ducunt. Ceterum pro *movebit*, repone,

Ille elephanta premet dorſo, ſtimuliſque MONEBIT.

Ovid. Triſt. iv, vi, 7.

Quaeque ſui monitis *obtemperat Inda magiſtri Bellua.*

V. 705. PERVERSAQUE MUNERA DUCET. Lege MUNIA; ut antea bis, ter.

V. 706. TURPITER IN TANTO CEDENTEM PONDERE CUNCTIS. Quomodo *cedentem cunctis?* Quinam illi cuncti, homines an beſtiae? Vidit abſurdum Huetius; et ſubſtituit *punctis.* Atqui jam dixerat auctor, *ſtimulis monebit.* Neque *turpiter* cedit ſtimulis, ſed ſapienter. Repone,

Turpiter in tanto SCANDENTEM *pondere* FUNES.

In membranis ſcriptum *funis*, caſu accuſativo: inde natum *cunctis.* De elephantis funambuli-

Tertia pleïadas dotavit forma forores,
Caeruleum rubro vultum fuffufa pyropo,
Invenitque parem fub te, cynofura, colorem,
Et quos delphinus iaculatur quattuor ignes,
Deltotonque tribus facibus, fimilique nitentem
Luce aquilam, et flexos per lubrica terga dracones.
Tum quartum quintumque genus difcernitur omni
E numero, fummamque gradus difiungit utramque.
Maxima pars numero cenfu concluditur imo,

Quae

Vulg. v. 710. PLEIADES DOTABIT. 711. FEMINEUM. 715. ARTUS per lubrica terga. 717. SUMMAQUE gradus QUI IUNGITUR ANGUE. 718. PER MINIMOS.

lis plenae Romanorum hiftoriae. Iam vero de fpectaculis hic agi certum eft ex iv, 236.

Cumque elephante loqui, tantamque aptare docendo
Artibus humanis varia ad fpectacula molem.

V. 710. TERTIA PLEIADES DOTABIT FORMA SORORES. Repone ex libris vetuftis, et fententia ipfa;

Tertia PLEIADAS DOTAVIT *forma forores.*

V. 711. FEMINEUM RUBRO VULTUM SUFFUSA PYROPO. Hic agit de ftellis tertiae magnitudinis: quam affignat pleïadibus, cynofurae, delphino, deltoto, aquilae, et draconibus. Quorfum igitur *Femineum vultum?* An omnia haec figna feminea funt? Repono,

CAERULEUM *rubro vultum fuffufa pyropo.*

Caeruleus color nigro propior, pyropus flammeo. Ergo ftellae tertiae magnitudinis mediam inter maximas et minimas lucem fundentes, funt utriufque coloris participes. Sic i, 416, de Canicula,

vix sole minor, nifi quod procul ardens
Frigida caeruleo *contorquet lumina* vultu.

V. 715. ET FLEXOS ARTUS PER LUBRICA TERGA. Hoc recentiorum codicum commentum eft, et fenfu caret: Gemblacenfis vetus, *et lubrica flexos in terga leones.* Lipfienfis, *et flexos in lubrica terga leones.* Repone cum Voffiano,

Luce aquilam, et flexos PER *lubrica terga* DRACONES.

Utrumque anguem intelligit, tam illum inter duas urfas, quam alterum ophiuchi; quem et fupra verfu 389 *draconem* vocat,

Anguitenens magno circumdatus orbe draconis.

Et res de utroque vera eft: nam ille draco viii ftellas habet magnitudinis tertiae, hic v; Ptolemaeo definiente.

V. 717. TUM QUARTUM QUINTUMQUE GENUS DISCERNITUR OMNI E NUMERO, SUMMAQUE GRADUS QUI IUNGITUR ANGUE. Haec portentofe corrupta funt; ita tamen conftanter codices tam veteres quam novi. Quid eft,

fummaque gradus qui iungitur angue?

Quaevis totidem verba, cafu hinc inde petita, tam bonam fententiam, quam haec, efficient. Fruftra tentavit emendationem doctiffimus Huetius. Repono,

Tum quartum quintumque genus difcernitur omni
E numero, SUMMAMQUE *gradus* DISIUNGIT UTRAMQUE.

Summa ftellarum iv et v magnitudinis gradu a fe invicem difiungitur. Has autem duas magnitudines nullis conftellationibus affignat, quia in omnibus funt; contentus ipfos gradus indicaviffe.

V. 718. MAXIMA PER MINIMOS CENSU CONCLUDITUR IMO. Quo referes illud, *per minimos?* Quid facit fine fuo fubftantivo *maxima?* Repone,

Maxima PARS NUMERO *cenfu concluditur imo.*

Pars

Quae neque per cunctas noctes, neque tempore in omni
Resplendet, vasto caeli submota profundo:
Sed cum clara suos avertit Delia currus,
Cumque vagae stellae terris sua lumina condunt,
Mersit et ardentes orion aureus ignes,
Signaque transgressus mutat per tempora Phoebus;
Effulget tenebris, et nocte accenditur atra.
Tunc conferta licet caeli fulgentia templa
Cernere luminibus densis, totumque micare

Stipatum

Vulg. v. 720. RESPLENDENT ALTO. 721. CURSUS. 722. VAGA EST ILLA ET—CONDIT. 727. SEMINIBUS—TOTISQUE.

Pars ea stellarum, quae numero maxima est, ut infinitae illae in via lactea, concluditur imo censu VI magnitudinis: infra quam astronomi non descendunt.

V. 720. RESPLENDENT ALTO CAELI SUBMOTA PROFUNDO. Repone,

RESPLENDET VASTO *caeli submota profundo.*

Numero singulari, ut probat ipsa redditio versu 725.

Effulget *tenebris, et nocte* accenditur *atra.*

Atque hinc firmatur prior emendatio *maxima pars.* Quippe si hic *resplendent* legas, *maxima* id erit quod *maxima sidera,* plane contra loci sententiam.

V. 721. SED CUM CLARA SUOS AVERTIT DELIA CURSUS. Immo CURRUS, ut saepe ante. Sic i, 667.

Subsequiturque suo solem vaga Delia curru.

V. 722. CUMQUE VAGA EST ILLA, ET TERRIS SUA LUMINA CONDIT. Quid hoc? Cum luna vaga est? Atqui semper *vaga* est; perpetuum est hoc lunae epithetou. Horatius, Serm. i, viii, 21.

simul ac vaga luna *decorum* *Protulit os.*

Et praeterea, nihil in hoc versiculo erit, quod non dictum sit in praecedente, nempe cum luna sub horizonte est. Vetusti quatuor *condunt;* et Vossianus, *illa e terris.* Repone,

Cumque VAGAE STELLAE *terris sua lumina* CONDUNT.

Hoc dicit: stellae minimae magnitudinis non per omnes noctes visuntur: sed cum luna, et planetae, et orion sub horizonte sunt; et hieme cum sol in brumalibus signis versatur, tum effulgent noctibus tenebrosis, et fiunt conspicuae, nec aliorum siderum splendore obruuntur.

V. 727. CERNERE SEMINIBUS DENSIS. Rectius codex Vossianus LUMINIBUS.

V. 727. TOTISQUE MICARE FLORIBUS, UT SICCAE CURVUM PER LITUS ARENAE: NEC SPATIUM STELLIS, MUNDO NEC CEDERE SUMMAM. *Caelum micare floribus,* id est stellis, *elegantissime,* inquit Scaliger; ut Lucretius,

Bina lucernarum florentia *lumina flammis.*

Atqui aliud longe est, *lucernas florere flammis;* aut ut Ovid. Fast. v, 363. *collucere floribus agros,* et Stat. Theb. ii, 275. *arcano florentes igne smaragdos:* aliud *caelum lucere floribus.* Illa belle, hoc nequaquam. Sed ut hoc condonemus; an *totis* quoque *floribus* elegantissimum est? In manuscriptis omnibus hi versus alio veniunt ordine;

totisque micare,
Nec spatium stellis, mundo nec cedere summam,
Floribus, ut siccae curvum per litus arenae.

Scaliger pro imperio loca permutare jussit. Sed utrumvis ordinem admiseris, nullus sensus exorietur. Quid enim est *spatium cedere stellis?* quid *summam mundo cedere?* veteres quattuor, *totumque micare,* non *totis:* tum versum sic

Rr inchoant,

Stipatum ſtellis mundum; nec cedere ſummâ
Floribus, aut ſiccae curvum per litus arenae:
Sed quot eant ſemper naſcentes aequore fluctus,
Quot delapſa cadant foliorum millia ſilvis,
Amplius hoc ignes numero volitare per orbem.
Utque per ingentes populus deſcribitur urbes,
Praecipuumque patres retinent, et proximum equeſter
Ordo locum; populumque equiti, populoque ſubire
Vulgus iners videas, et iam ſine nomine turbam:

Sic

Vulg. v. 728. NEC SPATIUM ſtellis MUNDO—SUMMAM. 733. INGENTEM—URBEM. 736. ETIAM.

inchoant, *Spatium ſtellis*, ſine illo *nec*: deinde pro *mundo ſummam* habent *mundum ſumma*; et poſtremo *aut ſiccae*, non *ut*. Unde facilis et certa naſcitur emendatio;

TOTUMQUE *micare*
STIPATUM *ſtellis* MUNDUM; *nec cedere* SUMMA
Floribus, AUT *ſiccae curvum per litus arenae*.

V. 733. UTQUE PER INGENTEM POPULUS DESCRIBITUR URBEM. Vetuſti omnes, *ingentes orbes*. Lege, INGENTES URBES. Hoc maluit auctor: ne, ſi unam urbem Romam denotaret, in eo offenderet, quod non ſupra patres principem nominaſſet.

V. 736. VULGUS INERS VIDEAS ETIAM SINE NOMINE TURBAM. Diſtingue, *Vulgus iners videas*, ET IAM *ſine nomine turbam*. Quinque gradus in civitate facit, ſenatum, equites, populum, vulgus, et ſine nomine turbam.

V. 737. SIC ETIAM MAGNO QUAEDAM RESPONDERE MUNDO HAEC NATURA FACIT, QUAE CAELI CONDIDIT ORBEM. *Reſpondere* coniugationis tertiae omnem barbariem exſuperat. Nec ſcias, numeri an ſententia ſit pejor. Gemblacenſis *res pendere*: ceteri

Sic etiam in magno quaedam respublica mundo est;
Quam natura facit, quae caelo condidit urbem.
Sunt stellae procerum similes, sunt proxima primis
Sidera, suntque gradus, atque omnia iura priorum.
Maximus est populus, minimo qui lumine fertur,
Cui si pro numero vires natura dedisset,
Ipse suas aether flammas sufferre nequiret,
Totus et accenso mundus flagraret olympo.

Vulg. v. 737. RESPONDERE mundo. 738. HAEC—CAELI—ORBEM. 740. IUNCTA PRIORI. 741. SUMMO qui CULMINE.

ceteri *respondere*. Vossianus *mundo est*; omnes *Quam natura*, et *quae caelo*. Repone,

Sic etiam IN *magno quaedam* RESPUBLICA *mundo* EST,
QUAM *natura facit, quae* CAELO *condidit* URBEM.

Respublica compendiose scriptum erat, *Resp.* Inde librariorum hariolationes *pendere, pondere*.

V. 740. SUNTQUE GRADUS, ATQUE OMNIA IUNCTA PRIORI. Quid sibi velint *omnia iuncta priori*, frustra opinor quaesiveris. Pro *iuncta* vetusti omnes *victa*: pro *priori* Gemblacensis *priorem*; Lipsiensis *priore*, Vossianus *priorum*; ut et pro varia lectione Lipsiensis. Repone,

suntque gradus, atque omnia IURA PRIORUM.

Livius ii, 1. *omnia* iura, *omnia insignia primi consules tenuere*.

V. 741. MAXIMUS EST POPULUS SUMMO QUI CULMINE FERTUR. Libri quidem universi, *summo culmine*; mendosa tamen lectio est, et ipsi caelo repugnat. *Maximus populus* sunt stellae sextae magnitudinis sive minimae, non in *summo* modo *culmine*, sed per omne caelum dispersae; quibus si pro numero vires adessent, totus mundus conflagraret. Repone igitur, iubente ipsa sententia.

Maximus est populus, MINIMO *qui* LUMINE *fertur*.

FINIS ΣΥΝ ΘΕΩ.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM.

Canopus.

INDEX.

D.

E.

F.

I N D E X.

Mollium

Signa

I N D E X.

